Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In Apocalypsim Iesu Christi, reuelatam quidem per angelum Domini, uisam uero uel exceptam atque conscriptam a Ioanne apostolo & euangelista, Conciones centum

https://hdl.handle.net/1874/428393

IN APOCALYPSIM Iesu Christi, reuelatam quidem per angelum Domini, uisam uerò uel EXCEPTAM ATQVE CONSCRIPTAM A' IOANne apostolo & euangelista, Conciones centum:

authore HEINRYCHO BVLLINGERO.

Argumentum, præstantiam, utilitatemq; & usum operis huius Apocalypseos, inuenies in Præfatione.

IESVS:
Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea: ipsum audite.
Matth. 17.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1557.



AD OMNES PER GERmaniam & Heluetiam, Galliæ, Angliæ,

ITALIAE, ALIORVM'QVE REGNORVM VEL NATIONVM CHRISTI NOMINE EXVLES, ATQVE ADEO' AD Vniuersos ubiq; fideles, Christi Domini iudicisq; aduentũ expectantes, in Apocalypsim IESV Christi per Ioannem apostolum & euangelistam euulgatam, HEINRYCHI BVLLINGERI

PRAEFATIO.

APOCALYPSIM hanc à IESV Christo, rege regũ & põtifice maximo, Domino nostro à dextera patris reuelatam, ac spiritu Apostolico in salutem omniũ fidelium, eorum maximè qui futuri sunt postremis illis ante extremum iudiciũ seculis, editam esse, euincit cùm ipsa res apprimè cognitu necessaria, salutaris & magnifica, quæ tractatur: tum & modus atque ratio simplex, euidens & illustris, qua tractatur. De utroque dicam breuiter, ea duntaxat colligens, quę uidentur esse utiliora & magis necessaria. Dixerat Dominus in Euange- *Ioan. 16.*
lio, se ascensurum in cœlos, inde missurum Apostolis spiritum sanctum paracletum, qui in omnem ueritatẽ induceret, & ea quæ futura sunt annunciaret. Quod autem uerbis se facturum dixit, id reuera factis etiam abundè præstitit, Spiritu sancto Apostolis misso, qui ipsos in omnẽ ueritatẽ induxit, ijsdẽq; ea quę futura erant aperuit, Ioanni apostolo & euangelistę in primis, qui exhibitam sibi à dextera patris per Christum, opera angeli, in spiritu sancto, reuelationem hanc excepit, scriptoq;, hic etiam iubente Christo, mandauit. Cuius quidem scripti summa & finis hic est, Christũ IESVM Dominũ nostrum *Summa & finis Apocalypseos.*
nunquã defuturum suæ in terris Ecclesiæ, sed gubernaturum illam spiritu ac uerbo per ministerium ecclesiasticum. Ecclesiam uerò ipsam, dum in hoc uersatur seculo, permulta passuram, idq; propter Christum & ueritatem Euangelij confessam. Aperit autem omnia & singula propemodum, quæ passura est mala, ostendens, quomodo exercenda sit uulgaribus calamitatibus, bello, peste, fame, & similibus. Quid priuatim expertura sit à falsis fratribus, per hęreses & schismata, grauesq; & diuturnas in religionis negotio concertationes ac corruptelas: denicq;, quàm atrociter diuexanda sit crudelissimis ueteris Romani imperij persecutionibus, postremò & Antichristi nepharijs artibus ac tyrannide exquisita. Quæ quidem omnia huc pertinent, ut electi omnes abundè pręmoniti & instructi, omnibus seculis, dum hic mũdus fuerit, Christo redemptori, regi & sacerdoti summo, unico & æterno, unicè uera fide adhæreant, ipsum ingenuè syncereq; confiteãtur, inuocẽt, innocentia colant, ac in patientia uenturum ad iudicium, liberandumq; & seruandum pios expectent: contra uerò, superstitiones omnes ac mundũ ipsum cum suis illis uarijs religionibus, felicitatibus ac uoluptatibus, aspernentur: caueant autem sibi

ab omni impietate, fugiantq; in primis Antichristum in fine seculi uenturũ, usurpantem sibi iniquissimè regnum & sacerdotium Christi, & grauiter persequentem Christi Ecclesiam ad ipsum usq; extremum iudiciũ, quo tandem cum omnibus suis complicibus in tartara sit præcipitandus.

Apoc. cap. 1. Orditur autem Ioannes salutare hoc negotium ab ipso Christo Domino, rege & pontifice summo, cuius descriptionem admirandam & pulcherrimã, pro more apostolico, ueluti totius operis fundamentum, mox ab initio collocat. Ea adeò magnificè describit Dominum, ut facilè agnoscere possit uniuersa Ecclesia, per totum terrarum orbem disseminata, in Christo Domino, omnia ea completa esse, quæcunq; ipse prædixerat in seipso adimplenda fore, nimirum exaltandum in dexteram patris, in omnem cœlestem gloriam, potentiam & maiestatem, ibiq; futurum regem regum omnium maximum, & pontificem uerè & unicè summum, Saluatorem, gubernatorem, Dominũ & defensorem catholicũ catholicæ Ecclesiæ. Talem enim beatus Ioannes non tantum ipse uidet, sed nobis quoq; omnibus scriptura hac sua, planè diuina, cõspiciendum, in uisione luculentissima & elegãtissima, exhibet. Quinimò, ut nobis omnibus innotesceret, quomodo in cœlis ad dexterã patris sui, rex, sacerdos & Dominus noster IESVS Christus sedens, uel agens, nihilo minus uersetur in medio Ecclesiæ suę catholicæ, cuius fidelẽ habeat curam, quam benignè & plenè conseruet, optimeq; gubernet, demõstrat in illa sua uisione Ioannes, obambulare Christũ inter septem candelabra aurea, ac in manu sua dextera septẽ tenere stellas. Et mox quid per candelabra & stellas intelligat, explicat, appellans candelabra ecclesias, & stellas ecclesiarum angelos, id est legatos, ministros atq; pastores. Nam delegit sibi Dominus septem celebres in Asia ecclesias, cum quibus nunc quidem in genere & per compendiũ, Ioanne interprete, agit: quod in omnibus per orbem ecclesijs perpetuò agit, neq; unquam ad finem usq; seculi agere desinit. Etenim septenarius numerus, qui usitatissimus in hoc libro, plenitudinisq; numerus est, omnes in se cõprehendit ecclesias. Vnde Ioannes omnia quæ cum his septem ecclesijs agit, ita proponit, moderatur & attemperat, ut omnibus in mundo ad finem usq; seculi futuris, ad eruditionẽ applicari queant ecclesijs: atq; ea de causa hæ septem Ecclesiæ omnium ecclesiarum exempla esse possint. Quod enim tunc, cum illa reuelarentur in septem illis ecclesijs, placuit aut displicuit Domino: id ipsum in omnib. ecclesijs, ad finem usq; seculi uel placebit uel displicebit. Et sicut illas septem uoluit institutas, ita omnes & singulas, quouis etiam tempore uolet esse institutas. Ergo habemus in his septem ecclesijs exempla Deo dilectarum ecclesiarum, & præstantissimarum quidem: deinde & corruptissimarũ, mediocriũ quoq;, deniq; & mixtarum. Atq; in his omnibus indicatur, quodnam sit, aut futurum sit, ecclesiarũ omnium in orbe terrarum, & omniũ quoque temporum, ingenium, qui mores, quæ uirtutes, quæ item uitia, uitiorũq; medicina. Ergo instruit in his Dominus, arguit, obiurgat, minatur, hortatur, consolatur, promittit. Vnde in his ueluti in tabula ante nos posita cernemus, quæ uera & orthodoxa sit Ecclesiæ doctrina: rursus quæ praua & cacodoxa sit doctrina. audiemus discemusq;, Ecclesiæ Deo dilectæ perstandum esse in semel accepta ab apostolis Domini nostri IESV Christi prædicatione euãgelica: neq; expectanda esse noua & plura dogmata alia, nihil opus esse alijs reuelationibus: Ecclesiam enim plenissima instructam esse doctrina. Ibi etiam docetur, quid agere oporteat cum doctrinis, doctoribusq; corruptis. Cumq;

Quæ tractẽtur in hoc libro, & quo ordine.

Septem Ecclesiæ. Cap. 2 & 3.

procli-

procliuis sit in uitia lapsus, diligenter & copiose suppeditat medicinam, docens, quomodo collapsa possit erigi reparariq; Ecclesia. Atq; hic multis differit de uera pœnitentia, de fructibus pœnitentiæ, de officijs sanctorum, uel de uere bonis operibus. Simul afflictos hortatur ad patientiam & constantiam, ad intrepidam confessionem nominis Christi, & ad omnem pietatem: subinde proponẽs amplissima Dei præmia, & supplicia quoq; parata esse asseuerans rebellibus atq; defectoribus. Hac ratione & hoc modo ostendit Ecclesiæ Ioannes, quomodo IESVS Christus Dominus noster uersans in cœlis ad dexteram patris, interim & nihilominus agat in media suorum Ecclesia, inspirans hanc, animans, seruans atq; gubernans: & rursus, quomodo Ecclesia in hoc seculo uiuens, uiuat in Christo nihilominus, & uiuificetur ab ipso, à quo tota pendet, & in quem unicè respicit, in quo & seruatur. Quis uerò nõ agnoscat hanc tractationem prorsus esse apostolicam, atq; in doctrina Christi optimè fundatam? In ipso autem opere omnia ac singula multo euidentius nobis explicabuntur.

Porrò cum in Euãgelio dixerit Dominus, Ecclesiam dilectam suam sponsam uarijs exercendam fore afflictionibus, in quibus tamen ei nunquam deesse uelit: nunc quidem à dextera patris fusissimè & pulcherrimo ordine omnia Ecclesiæ fata tristia enumerat, nimirum ut dum Ecclesia uarijs subditur malis, horum reminiscatur, & sese consoletur, ne malis fracta incipiat dubitare de bona erga ipsam Dei uoluntate, recidatq; rursus in desertam idololatriam, in errores patrios, & in uoluptates huius mũdi lubricas: sed pergat potius in semel recepta Christi religione, pergat inquam per constantem patiẽtiam cõfiteri Christum, adhærere ipsi indiuulse, ut tandẽ cum eodem cõiungamur etiã in æterna patria. Qui certè scopus & finis est uitæ nostrę, cursusq; omnium in hoc misero seculo fidelium. Cæterùm cum in calamitatibus persecutionibusq; fidelium, & in felicitate ac triumphis infidelium uariè afficitur, adeoq; grauissimè tẽtatur etiam sanctissimi cuiusq; cultoris Dei animus, priusquam fata Ecclesiæ tristia miseraq; exponat, prę̃mittit his omnium pulcherrimum adorãdę & semper in secula benedictæ Trinitatis typum uel adumbrationem, qua omnium oculis spectanda proponitur ineffabilis Dei sapientia, potentia ac maiestas, iusta eiusdem gubernatio, & sanctum in rebus omnibus iudicium: adeoq; demonstratur, Deum omnipotẽtem patrem, per agnum illum, id est per filium suum, redemptorem nostrum unicum, in uirtute sancti Spiritus, omnia rectè gubernare, quæcunq; uel in cœlo uel in terra sunt: adeoq; ipsa etiã Ecclesiæ suæ fata, quæ scripta sunt in libro æternæ eius prouidẽtię, sigillis munito septẽ. Ibi apparet agnus Dei, septẽ insignitus cornibus: id est, plenissima instructus potentia tam imperiali quàm pontificali, omniumq; summa ac in omnibus absolutissima. Librum illum ex dextera sedentis in throno accipit agnus, & ordine septem illa sigilla recludit, uel aperit. Accepit enim à patre omnem potestatẽ cùm in cœlo, tum in terra. Quod autem agnus solus sigilla illa septem aperit, suaue mysterium continet, & cõsolationem eximiam fidelibus suppeditat. Etenim cum credamus, agnũ Dei redemptorem nostrum IESVM Christũ eximiè genus humanum diligere, ita ut neq; in cœlo neq; in terra quicquam inueniri possit, quod nos diligat ardentius: nunc autem cernimus hunc ipsum, & non alium, sigilla illa septem aperire, quibus apertis in mundũ protinus proruant calamitates uariæ: quis dubitaret, illas immitti sibi ad salutem, cum non citra eius prouidentiam

Ecclesia multis obnoxia tẽtationibus & persecutionib.

Cap. 4.

Septem agni cornua. Cap. 5.

Septem sigilla.

dispositionemq; immittantur, qui omnia in salutẽ suorum dirigit? Quibus omnibus illud insigne accedit, quòd omnes spiritus angelici, seniores quoq; cœlites & creaturæ uniuersæ, Deum adorant & agnum, huius iusticiã prædicant ac laudãt, & pro gubernatione optima sempiternas agunt gratias. Inde enim nos miseri mortales carne circundati peccatrice, discere debemus, etiam nos agnoscere iusticiam Dei in omnibus suis operibus, nihil obmurmurare eius gubernationi iudicijsq; æquissimis: sed adorare potius Deum, nos illi subijcere, prędicare eius iusticiam, & gratias agere pro gubernatione eius sanctissima, ac cum Propheta clamare, Iustus es Domine in omnib. uijs tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. Istis uerò ad hunc modum pręmissis, et sic instructis præparatisq; fidelium animis, sigillatim exponitur ac enumera-

Cap.6. tur in apertione septem sigillorum, quæ & quanta mala homines sint inuasura, à quibus ne fideles quidem in mundo hoc uiuentes sint immunes futuri. Recensentur bella, clades, fames, pestes, & quę huius generis sunt alia: rursus persecutiones, seditiones, & his longè deteriores hominum per corruptam doctrinam seductiones, perditionesq;.

Consolatio. Quoniam uerò liber hic Apocalypseos maximè euangelicus & apostolicus est, miscet certè in tota illa expositione sua subinde tristibus læta, consola-

Cap.7. turq; in periculis maximis fideles eximiè. Ideoq; in hactenus expositis calamitatibus, turbis, malis ac corruptelis, inducit Dei angelus, qui electos Dei consignat in frontibus suis: atq; hi quidem omnes Dei bonitate & custodia seruantur ab interitu. Numerantur autem horum innumera milia. Vnde discimus, amplissimam esse Dei misericordiam in seruandis hominibus: optimeq; de maiorum nostrorum salute sperandum esse, quorum licet pars ma-

Optimè sperandum de salute maiorum nostrorum. gna uixerit sub corruptela Papismi, inde tamen non cõsequi, dubiam esse ipsorum salutem, uel hac etiam de causa, quòd cernimus nullo non tempore, etiam periculosissimo, Deum suam habuisse ac habere Ecclesiam, habere suos signatos, & cultores, qui, sicuti quondam, genua sua non flexerunt ipsi Baal. Quos omnes sua ineffabili bonitate & misericordia ab interitu seruauit, & ab omni corruptela clementer repurgauit.

Septem tubæ. Ex septimo autem sigillo producuntur consequẽter tubæ septem, quibus grauia denunciantur certamina fidelium & infidelium. Priusquã tamen hæc

Cap.8. explicentur, ostenditur Christus ante Dei thronum intercedens pro nobis, & ad hunc in periculis remittũtur fideles, petituri ab ipso auxilium, defensionem & liberationem. Classicum uerò suis canit magister mendaciorum diabolus: sanctis rursus classicum canit sanctus Dei spiritus. Concurrunt hic pij & impij, synceræ & corruptæ doctrinæ discipuli, milites Christi & diaboli. Magna sunt hic pericula, grauiusq; affliguntur & tentantur piorum animi peruersis in Ecclesia doctrinis, quàm sæuo tyrannorũ gladio, omnimodisq; calamitatibus. Recensentur hic uariæ hæreses, quæ ueritatem oppugnant & adulterant euangelicam. Et ut per septem sigilla intellexit omnis generis calamitates, iusto Dei iudicio irrogatas orbi: ita sub tubis septem cõprehendit omnes in orbe hæreses, & pernicioſas cõtra doctrinam apostolicam opiniones. Ac in præsentiarum ostendit, inter corruptelas illas maximè excellere

Cap.9. Papismum & Mahumetismum. Papę clerum petulantem & molestũ, adeoq; hominibus intolerabilem, describit sub specie locustarum. Ac Laurentius Valla, uir doctiss. licet patria Romanus esset, de insigni etiam familia natus (quando potior ei libertas erat Christo digna, quàm seruitus tam dura &

prodi-

prodigiosa) cõtinere se non potuit, quin inuexerit in pontificium clerum, dixeritq; : Ego, si qua mihi fides est, nihil puto nec Deo nec cæteris hominibus magis esse inuisum, quàm tantam clericorum in rebus secularibus licentiam. Necq; minus euidenter Turcicam crudelitatem, sub specie terribilium equorum, fumos & ignes spirantium, adumbrat: quibus omnibus miserè tradit afflictissimam excarnificandam fore Ecclesiam, eo prorsus modo, quo uidemus hodie diuexari sub Papistino & Mahumetismo infelicissimo.

Rursus tamen ne quis in tantis malis desponderet animum, cogitaret que uanas esse Dei promissiones de finibus bonorum & malorum, & de liberatione fidelium per extremum iudicium: rursus ex more ingenioq; apostolico consolationem ualidissimam omnibus istis periculis & calamitatibus sub texens, opponit. Nam producit in medium ipsum Christum Dominum, confirmantẽ solenni iuramento, uenturũ omnino rerum omniũ finem, Deumq; iustum repensurum certò præmia pijs, supplicia autem impijs. Vbi non dissimulat, ipsum Ioannem rursus prophetaturũ, nimirũ in spiritu & doctrina apostolica, regibus, gentib. et populis multis. Quinimò manifestè asserit missurum se orbi doctores ueritatis & certæ salutis, qui & scelera & sceleratos corruptissimi seculi extremi homines acerrimè increpitent, Christum syncerè prædicent, & Antichristum grauissimè accusent. Hos per typum adumbrat duorum excellentium doctorum, quos propter libertatem prædicandi, fideiq; constantiam, dicit ab Antichristo occidendos crudelissimè. Sed addit, hos à Deo accepturos præmia amplissima: Antichristum uerò frustra conaturum supprimere, per cædes & incendia, prædicationem Euangelicam: eo quòd Dominus subinde excitaturus sit nouos prædicatores, qui ueritatem obscuratam illustrent. Addit præterea, plurimũ subinde decessurũ Antichristi partibus, eundem denicq; per aduentum iudicis prorsus conterendum, fideles autem conseruandos & beandos. Verùm non pergit in præsenti absoluere locum de iudicio Christi extremo, sed suspendit expositionem uel tractationem eam in alium commodiorem locum, quem tractat 19 & 20 cap. Et hæc quidem hactenus in genere dixit de periculis, calamitatibus, certaminibus, turbis, sectis & persecutionibus Ecclesiæ Christi, quæ à temporib. Christi & Apostolorum, ad finem usq; seculi ipsam exercebunt. Subiungit consequenter singularem uel peculiarem, eamq; copiosam tractationem de certaminibus persecutionibusq; Ecclesiæ grauissimis. Nam nouisse ista in primis oportet sanctos, ut in ipsis periculis & afflictionibus admonitionis huius diuinæ reminiscantur, meminerintq;, hæc quę patiuntur prædixisse Dominũ, qui & omnia regat & gubernet, denicq; ex his malis liberare possit & uelit, quando, quomodo & quantum ipse pro sua bona uoluntate uoluerit. Principiò itaq; in genere rursus proponit partes huius pugnæ uel certaminis, mulierem sole amictam, coronatam, parturientẽ, Ecclesiæ utique fidelis typum: opponit huic hostem longè acerrimum, grauissimumq;, Draconem inquam magnum, ruffum, septicipitem, &c. figuram nimirum antiqui serpentis uel sathanæ. Subijcitur horum conatus, ingenium, uis & congressus uel pugna. Atq; hic iterum consolationis ergò infulcitur uictoria Christi capitis, Ecclesięq; & membrorum eius. Deinde speciatim cõmemorat in uisione per Ioannem Dominus, singularia draconis organa uel instrumenta, per quæ Ecclesiam & oppugnat, & crudelissimè diuexat atq; dilaniat. Sunt aũt hæc instrumenta, bestia septiceps & decacornis, & bestia bicornis, hoc est Imperium &

Euangeliũ, uel consolatio.

Cap. 10.

Cap. 11.

Cap. 12.

Septem draconis capita.

Cap. 13.

Septem bestiæ capita.

pseudopropheta, Imperijq; imago. Hæc ad imitationem Danielis tam propriè, suisq; (quod dici solet) coloribus, & in 13 & in 17 cap. depingit, ut nemo non possit tangere, nedum uidere, de quibus loquatur: nempe de ueteri imperio Romano, & de Papatu. Bestias, ad imitationem Danielis, regna uel imperia appellauit crudelia. Et res quidem ipsa clamat, ipsum Dominum nostrum IESVM Christum, caput & regem omnium sanctorum, passum esse & crucifixum sub Pontio Pilato rectore Iudææ, sed huc à Roma misso, & gubernante omnia nomine Imp. Tiberij. Deinde nemo nescit, primam in Christianos persecutionem excitatam esse à Nerone Rom. Imp. secundam institutam esse à Fl. Domitiano Rom. Imp. quæ & authorem huius operis inuoluit: inde uerò à reliquis Imperatoribus Romanis octo alias, & plures etiam persecutiones commotas esse in fidelem Christi sponsam, quibus hæc tantum non dilacerata & conculcata fuisse legitur: nec ullam aliam ob causam, quàm quod bestiam hanc adorare nollet: id est, quòd superstitiones & ritus ethnicos Romani imperij, deos inquam, cultum'que ethnicum recipere nollet: Deum autem solum per Christũ adoraret, atq; ei secundum Euangelium adhæreret atq; seruiret. Excipiuntur ergo hic Constantius, Constantinus, Gratianus, Theodosius, & reliqui pij ac Christiani principes uel imperatores, qui sub bestia diabolica minimè supputantur. Imperium enim uel regnum per se, sicuti & Paulus dicit, est à Deo: unde si boni uiri imperauerint, & se diabolo regendos non dederint, pertinebunt utiq; ad corpus Ecclesiæ sanctum, non ad abominandum bestiæ corpus. Interim dum uetus illa Roma seriò nollet resipiscere, & conuerti ad Christum, relictis dijs suis & superstitionibus, lege talionis tandem damnata est à Christo. Nam qua mensura Romani mensi sunt alijs gentibus, eadem gentes aliæ remensę sunt Romæ. Proinde irruerunt in imperium Persæ, Hunni, Franci, Alemanni, Vestgotthi, Vuandali & Ostgotthi, ac totum frustillatim dilacerarunt Imperium: ipsam uerò Romam tandem obsederunt, irruperunt, occuparunt, diripuerunt, euacuarunt, & combusserunt atq; uastarunt. Atque ita demum ultus est iusto iudicio Dominus IESVS sanguinem suorum. Iacuit autem, & iacet adhuc in ruinis Roma, neque reparabitur unquã ad splendorem antiquum. Ruinas autem extare oportet, in argumentum ueritatis & uindictæ Christi IESV: ut uel inde colligant omnes pij, in reliquis etiam promissis Christi nondum impletis, Deum futurum ueracissimum.

Rom. 13.

Sed & Romanum Imperium occidentale sine Imperatore neglectum iacuit supra annos 320, ab Augustulo, quem oppressit Odacer Germanus, ad Carolum usq; magnum Francorum regem. Atq; istis temporibus desolationis, id est Imperij oppressi & extincti in occidente, cœpit Romanus episcopus non modicas paulatim colligere uires & facultates, per authoritatem quam sibi prætextu Christi & apostolorũ Petri & Pauli parabat, donec & dominari inciperet. At antecessores Papę prisci non fuerunt principes in Ecclesia, religionis prætextu dominãtes: sed ministri fuerunt Ecclesię, pasto resq; simplices & pauperes. Prędixit autẽ & Paulus, ex ruina Imperij & urbis deuastatione emersurum Antichristum. Dixit enim, Tantum hoc tenẽs nunc (uel, Tantum hoc impedimentum quod nunc detinet) donec è medio fiat, aut tollatur, & tunc patefiet iniquus ille. Significauit itaq;, non prius regnaturum, aut uenturum, erupturumq; Antichristũ, quàm è medio sublatũ fuerit uetus illud Rom. Imperium. Nam hoc subuerso, erigẽdam fore sedem

Veteris imperij occasus noui est exortus.

illam

illam Romanam. Nam Tertullianus, qui uixit ante annos 1300, in libro de Resurr. carnis: Quis, inquit, fiet de medio, nisi Romanus status? cuius absessio in decem reges dispersa, Antichristum superinducet. Et S. Hieronymus ii. ad Algasiam quæst. Romanum imperiū, inquit, quod nunc uniuersas gentes tenet, recedet, & de medio fiet: & tunc ueniet Antichristus, fons iniquitatis. Illi ipsi authores, per Babylonem in hoc libro Ioannis, intelligunt Romam. Ac Ioannes ipse in hoc libro demonstrat, sublato septicipi & potenti imperio Romano ueteri, exorituram bestiam aliam, & quidem bicornē: hoc est, talem principem, qui sibi uendicet principatū, aut regnum duplex, plenitudinem inquam potestatis tam in spiritualibus quàm tēporalibus. Agnoscit autem hunc hodie totus mundus Romanū esse pontificem, triplici corona insignitum (haud dubiè à tribus cornibus, quæ humile hoc contemptumq; cornu, iuxta Danielis uaticinium, uel humiliauit, uel sustulit) ac duabus armatum clauibus, significantibus hunc esse regem & pontificem, in spiritualibus & temporalibus monarcham maximum, Christi in terris uicarium, habentē potestatem plenam in cœlo & in terra. Ille ipse quondam fuit author hominibus, excitandę imaginis bestiæ: id est, instituendi ad imaginem iuxtaq; imitationem ueteris Romani imperij, nouum imperium. Id quod cum in Carolo Magno, principe alioqui eximio, inceptum, & aliquò usq; prouectum esset, deuentumq; à Francicis regibus ad Germanicos, fortes quidē illos, pios laudatosq; principes, pontifex Romanus hos miris modis uexare, turbare, excōmunicare, deijcere, & alios in ipsorum locum subuehere, pluraq; simul regna bellis inter sese committere collidereq; non erubuit, tātisper dum reges illi se ad arbitriū suum accōmodarent, & ad oscula pedum sese prouoluerēt: ipse uerò Imperium tandem sibi raperet, & decretis in totum euulgatis orbem terrarum, iactaret se esse orbis monarcham, qui pro suo arbitrio possit reges & deijcere & subuehere in regnum: deniq; se iudicem esse in terris supremum, qui iudicare possit omnes, ipse uerò à nemine prorsus iudicari debeat. Vt ergo in ueteri Imperio secreuimus à bestiæ communione omnes uiros bonos, qui fuerunt & uixerunt sub Imperio: ita in nouo hoc semper graues cordatosq; principes & uiros pios populosq; religiosos excipimus, qui illis permixti, non modò se in Christo continent, sed bestiam quoq; uel auersantur atq; contemnunt, uel pro uiribus suis oppugnant. Vnde nequaquam in censum bestiæ ueniūt. Bestia uerò hęc bicornis suos cultores insignit characterе: characterem uerò respuentes hominum cōmunione abdicat, ut his nec emere liceat, nec uendere: quinimò damnat eos pro hæreticis atq; schismaticis, pro nebulonibus perditis atq; perdendis. Si fatearis nunc te Christianum esse, profitearęq; syncero & orthodoxo corde symbolum apostolicum, & unam sanctā Christi omniumq; sanctorū Ecclesiā, non autem confitearis ante omnia Papam esse Christi in terris uicarium, cum plenitudine potestatis, & Romanam ecclesiam, quæ sit mater omnium ecclesiarum, & errare non possit: nihil adhuc confessus uideberis, sed dicēris potius de hęresi suspectus, & inquisitioni seueriori subijciendus. Dissimulari hæc res non potest. nām nota est omnibus in toto orbe hominibus. Quo minus autē aberraremus in re tantopere cognitu necessaria, cognitumq; Antichristum facilius fugeremus, numerum etiam nominis bestiæ Ioannes subiungit, 666: per quem uidelicet perueniamus ad nomen, uel noticiā Antichristi. Si enim ab edita Apocalypsi numerauerimus annos 666, perueniemus ad annum Domini

Bestia bicornis.

Danielis 7.

Character bestiæ.

Numerus nominis bestiæ.

mini 763, ad ea inquam tempora, quibus Romanus pontifex humilitatis, simplicitatis, paupertatisq;, adeoq; & ministerij sui oblitus, animū adiecit ad dominatum, & munera maxima a Pipino rege alijsq; principib. accepit, ac sibi gradum construxit, per quem postea ad summum cacumen Imperij conscendit. Id quod in ipso Opere ex historijs plenius perspicitur.

Consolatio. Cap. 14. Sicut autem antea semel & iterum, ita nunc quoq;, pro ingenio apostolico, fidelem afflictamq; consolatur Ioannes Ecclesiam, ne forte in his angustijs & diuturnis Antichristi persecutionibus concidat, actumq; de pietate et Ecclesia putet. Ergo ostendit, utcunque sęuiat cùm decacornis tum bicornis bestia, stare agnum nihilominus in monte Zion, non ut draconem in harena: habereq; Christum electam, in mundo hoc immundo, & ab Antichristo polluto, Ecclesiam, quam interim fideliter asserat, et tueatur. Adijcit, utcunq; oppressam cupiat bestia sacrosanctam Euangelij prædicationem, nihilominus tamen Euangelium prædicandum fore, & quidem clarè, adeoq; ruiturā Babylonem certò, stabiliendam uerò Ecclesiam Christi. Addit insuper consolationis ergò, animas sanctorum, propter Christum periclitantium, aut occumbentium, certò & rectà à morte hac corporali migrare in uitam æternā. Rursus, paratum esse Dominum ad uindictam de omnibus suis hostibus sumendam, hisq; quàm abundantissimè retribuendum. Id quod parabolis uindemiæ & messis eleganter enarrat.

De supplicijs & præmijs malorum & bonorum. His aūt ad hunc modū tractatis, pergit diligētius explicare non postremū huius libri locū, de finibus bonorū & malorū, de donandis amplissimis præmijs Christi cultoribus, & de irrogādis grauissimis pœnis atq; supplicijs Antichristo adhærentib. Hęrent in his perplexi homines nō uulgares, & erratur ferè à uulgo plus q; turpiter: dum propter felicitatem impiorū temporariā, miseriamq; piorū diuturnā, dubitat impijs supplicia, pijs ampla præmia esse destinata. Ideo enim in statione sua consistunt pauci, pluresq; Christum ipsum cum uerbo suo rident, & præsentes præsentis seculi uoluptates amplexantur, sectātes partem feliciorē & uictoriosam. Proinde non abs re beatus Ioannes, pręcipiente Domino, maximam in his bene explicandis diligentiā collocat. Et principiò pro more suo septem angelos, habentes phialas plagarum Dei, producit in mediū, & producit quidem è templo: significans, iudicia Dei in puniendis impijs omnino esse ęquissima. Et septenarius numerus iterum comprehendit omnis generis, adeoq; plenissimas Dei plagas. Phialas has effundunt angeli in Antichristianos, uerbi Dei hostes, & in pœnitere nescios homines. Nam iustissimus Deus uarijs pœnis impœnitentem mundum affligit: grauiora his reseruans, quæ in futuro irroget seculo. Singulariter uerò iudicium, id est, supplicium meretricis purpuratæ, Papatus inquam & bestiæ, exhibet spectandum. Prius produxit honestam & illustrem matronam, ipsam uidelicet Christi Ecclesiam: nunc ueluti per antithesim opponit ei meretricem superbam, pseudoecclesiam illam Romanam nuperam, quæ se magis externo quàm interno ornatu extollens uenditat. Asserit autē hanc ob grandia peccata interituram, sicuti & ueterem bestiam dilaceratam atq; combustā esse constat. Sedet autem scortum illud, quod Babylonicum appellat, in bestia. Nam Roma, sedes est illius ecclesiæ, quæ & Romana & sanctissima nuncupatur. Vnde tam diserte locutum Ioannem uident omnes, ut ueluti digito, quod dici solet, monstrarit, quos intelligat, & de quibus loquatur. Certè ueteres, quod & paulo antè monuimus, per Babylonem ipsam

Cap. 15. Septē phialæ.

Cap. 16.

Cap. 17.

Romam

Romam intellexerunt. Cæterùm Babylonis interitum deinceps mira prose quitur copia & euidentia, ueluti flumen quoddam eloquentiæ effundens: ac ueluti in compendiũ colligens, quicquid uspiam est apud prophetas amplificationum & figurarum orationem incendentium. Obiter uerò inserit his iucundissima quædam de nuptijs agni, & sponsa ad nuptias se apparante, deq; certitudine salutis piorum, & qualis nam sit felix illa beatitudo. Quibus absolutis, protinus descendit ad iudicium illud extremum, quod non existimo ullibi in tota Scriptura, tam copiosè & graphicè, atq; in præsenti non modò descriptum, sed etiam coloribus ceu uiuis esse depictum. Nam describitur persona ipsius iudicis uenientis in iudicium cum sanctis suis, & cum gloria & potentia magna. Opponuntur illi hostium phalanges, atrocissima spirantes in sanctos Dei. Succedit mox iudicium horrendum planè, sed iustissimũ. Nam deturbatur in tartara pseudopropheta, deturbatur bestia, deturbantur unà impij & impœnitentes omnes. Ostenditur præterea iusticia & æquitas huius uniuersalis in seculi huius fine iudicij, quo supplicium sumitur de omnibus cuiuscq; tandem nationis, religionis, gradus uel ordinis sexusq; hominibus, à uerà Christi religione separatis aut alienis. Vbi & resurrectio mortuorum attingitur, & processus totius iudicij adumbratur. Istis subiungit longè iucũdissimam disputationem de uita beata, in genere primùm ostendens, qualis ea sit, & quòd certissimè fidelibus donanda sit. Qua tractatione oppugnatur ualidissimè congenita nobis diffidentia. Deinde speciatim & copiosè sub typo uel imagine elegantissimæ urbis, adumbrat utcunq;, sedem & palatium beatorũ, nihil omnino relinquens uel iucundi, aut amœni uel preciosi, quod non in cœlesti illa regia esse, & abundantissimè sempiternis' que temporibus præstari asseueret. Alioqui non nescimus, de futuro gaudio quantumuis amplè disputatum sit à Ioanne hactenus, nihildum tamen tantæ par rei dictum esse, cum & Prophetica & Apostolica scriptura dicat, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit, id præparauit Deus ipsum diligentibus.

Cap.18.

Cap.19.

Cap.20.

Cap.21 & 22.

Illa uerò quę redegi hucusq; in compendium (inscriptione et conclusione operis omissa, dispositione libri interim etiam cõmonstrata obiter) Apocalypsi sua, & quidem ex traditione Christi (quod sæpe repeto) per ministeriũ Angeli præstantiss. accepta, Ioannes uniuersæ Christi Ecclesiæ, & nobis in primis, in quos fines seculorum inciderunt, commendauit: in quibus nihil prorsus ijs aduersum docuit, quæ in historia Euangelica sua & Epistolis suis docuit. In historia de Ecclesiæ persecutionibus, Christi Domini uerbis quædam cõmemorauit. De Antichristo nihil, nisi hoc duntaxat dixit, quod nonnulli de Antichristo dictum intelligunt: Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me: si alius uenerit nomine suo, illũ recipietis. In epistola, Antichristi negotium obiter modò attigit, ac dixit: Filioli, nouissimum tempus est, & sicut audistis quòd Antichristus uenturus sit, etiam nũc Antichristi multi cœperunt esse. Cæterùm in hoc libro suo postremo sumpsit sibi Ioannes peculiariter & iusto ordine & copiosè enarranda, quæ ipsi de Antichristo illo magno & Ecclesiæ periculis atq; persecutionibus reuelabantur distinctè & diserte à Domino nostro IESV Christo. Eamq; ob causam usum fuisse appareat uberiore copia, & genere orationis instructiore, magisq; picturato, uariegato & exculto: ut nihil sit mirum, si huius libri sermo nonnihil uariet à stylo aliorum eius librorum. De quo attingemus nonnihil & in consequentibus.

Doctrina Apocalypsis est apostolica doctrina.

Ioan.5.

1.Ioan.2.

nihil

nihil interim huic libro deesse dixeris, si singula diligẽtius expenderis, quod requiras à libro maximè euangelico & apostolico. Habemus in ipso non tantum expressa, sed & elegãter exposita pręcipua Symboli apostolici capita, in quod omnes fatentur concorditer relata esse potissima doctrinæ Apostolicæ dogmata. Exponuntur præterea innumeri in hoc libro prophetarum loci. Quo nomine Ioannes hic noster, à Ioanne Oecolãpadio, uiro doctiss. sanctissimoq; appellatus est non temerè prophetarum paraphrastes. Et quemadmodum Apostoli hoc sibi peculiare habuerunt, ea quę docuerunt, scripturis firmare prophetícis: ita in huius operis expositione patebit, Ioannẽ illum nostrũ omnia sua aut ex Scripturis mutuò accepisse, aut sua Scripturis ornare & cõprobare. Pręcipuè uerò illustrat hic liber Ioannis IESV Christi Domini nostri regnum & sacerdotium, potentiam, gloriam & maiestatem, diuinitatis humanitatisq; & redemptionis eius mysterium ac ueritatem. Dubito autem, si post Euangeliũ in ullo alio Scripturæ libro plures, elegantiores, magisq; diuinæ appositæq; Christi descriptiones reperiantur. Nec peto, ut his meis credatur uerbis: fiat ex ipsa re periculum. Sed & Ecclesia Christi sponsa electa pulcherrimè depingitur, & ipsa cum suis uirtutibus ac uitijs attingitur, & eiusdẽ lapsus, reparatio item & reformatio, pugna quoq; eiusdem: describuntur item pericula, auxilium atq; uictoriæ: ut uideare tibi in his cõpendium habere historiæ ecclesiasticæ. Præterea apparet ex hoc libro, quæ sit uera & syncera, quæ falsa & adulterata in Ecclesia Dei doctrina. Iam exhibet nobis etiam uarias rerum maximarũ descriptiones ac adumbrationes, in primis uerò adorandæ Trinitatis Christi, item (quod & modò diximus) seruatoris & iudicis, denicq; & præsidis, uel rectoris, omnia iustissimè & pulcherrimè ad salutem suorum electorum gubernantis, uigilantis super uerbo suo, & super Ecclesia sua, Ecclesiæq; ministris: iustificantis item, sanctificantis & conseruantis omnes in Ecclesiæ consortio fideles: punientis quoque omnes impios, cum uniuersa superstitione & impietate: breuiter nusquam negligentis electos, nusquam item parcentis hostibus. Exhibet nobis præterea diaboli quoq;, & uniuersæ eius maliciæ, militiæq; descriptionem: sed & inferorum ac supplicíorum horrenda tormenta, oculis nostris conspicienda obijcit. Aperit nobis ipsum etiam cœlum, & ostendit quæ sit spes fidelium. Asserit & resurrectionem ueram uniuersę carnis. Docetur in hoc libro, quàm ampla sit Dei gratia & misericordia, quàm iustus sit, & uerax. Docetur quæ sit uera fidelium pœnitentia: docentur opera uerę fidei, uerè bona, quæ sunt pietatis officia, & sanctorum in terris sancta Deoq; debita placentiaq; exercitia. Indicãtur quoq; diligentissimè illa scelera, quæ Deo maximè sunt inuisa. Ostenditur copiosissimè, quis tandem bonorum & malorũ finis sit futurus, quòd nam summum bonum, quæ nam miseria & infelicitas extrema: ut liber hic ipsa re uel materia, quam tractat & tradit, semetipsum omnibus pijs commendet, & Apostolico spiritu scriptum commonstret, adeoq; & euincat.

Apocalypsis prophetarũ paraphrasis.

Quàm præstantia & utilia hoc libro tradantur.

Qua ratione & quomodo hæc tradantur.

Iam uerò tradũtur tractãturq; ista omnia modo Apostolico, & ratione sacris literis consueta, simplici & maximè perspicua. Ab exordio rerum proposuit Deus res diuinas, & salutis nostræ, ferè sub inuolucro aliquo, aut sub figura, non ut has inuolueret ac obscuraret: sed euolueret magis, illustrareturq;. Est enim hæc ratio declarandi res inuisibiles per uisibiles, ad docendum appositа, ad commouendum idonea, ad perspicuitatem apta, & ut res animis altius infigantur, minusq; excidant, accommodatissima. Ideoq; patriarchis uariæ legun-

legumtur obiectæ esse uisiones, ut Abrahæ, Izraeli, Iosepho, Mosi, & alijs. Certè si sustuleris ex libris prophetarum uisiones, parabolas, & figuras orationis uarias, quantulum obsecro reliqueris doctrinæ ipsorum? Inter hos insigniores uisionibus sunt Ezechiel, Daniel, & Zacharias. Neq; uerò in nouo Testamento sublata est, sicuti & aliàs ostendi, hæc docendi ratio per uisiones, per parabolas figurasq; uarias. Ipsa historia euangelica per parabolas plerag; suffigurat atq; docet. Quin ipse in Euangelio suo Ioannes frequentissimus est in mentione lucis, tenebrarum, panis, aquæ, pastoris, ouium, similiumq;. Interim non nescio, permultum inter se distare parabolas, metaphoras, aut allegorias, ac uisiones: sed quis uicissim ignoret, in docendo, rebusq; exhibendis, quodāmodo eandem esse utriusq; rationem, effectum eundem? Seruiunt enim euidentiæ & perspicuitati. qui uerò non perperam existimāt multum inter se differre parabolas petitas à rebus terrenis, ac uisiones cœlestes: cogitent, uisiones hasce cœlestes exhiberi apostolo Ioanni, per Christū agentem nunc in cœlestibus, postulantemq; ut sui, animis in cœlestia sublatis, spiritualia sapere discant. Vbi tamen ille simplicitatem & perspicuitatem nihilo minus seruauit.

Ego librum hunc omnino simplicem & perspicuum esse puto fidelibus, at tente & cum pietate legentibus. Fateor, interpretes huius libri ueteres in eo explicando non rarò hæsisse, & semetipsos explicare non semper potuisse: sed constat interim, illos ipsos non semel dixisse, uix hunc librum priusquam impleatur intelligendum fore, tunc uerò citra molestiam facilimè à quouis etiam intelligendum. Et priscis quidem illis patribus uidebatur Danielis uisio prorsus esse obscurissima. Verùm cum ea sunt completa, quæ ille sub figuris uelauerat, non defuerunt qui dixerunt, ipsum conscripsisse rerum gestarum historiam, non rerum gerendarum prophetiā. Sed & ipse Dominus noster in Euangelio secundum Matth. Cum uideritis, inquit, abominationē desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Quid quod Isaias omnibus propemodum suis uaticinijs, post aduentum Christi & adimpleta mysteria regni Dei pleraq;, luculentissimam uidetur & ipse contexuisse historiam? Equidem si cum diligentia legerimus hunc librum Apocalypseos, & contulerimus ea quæ dicit sub inuolucro, cum ijs quæ historiæ facta testantur: dicemus & nos, illum meras narrare historias. A primis certè annis amaui ego hunc librū, & libenter in eo legi, multumq; in ipsum contuli operæ, obseruans quæ haberet ex libris prophetarū, & quomodo huius uaticinia congruerent cum prophetijs alijs prophetarū & doctrinis apostolorum. Scrutatus sum deniq; pro mei tenuitate ingenij historias uarias, quas putabam facere ad expeditiorem huius uaticinij sensum. Scrutatus sum & aliorum interpretum sententias: sed & domestica, quæ uidelicet nostro seculo fiunt, diligenter cum narratione hac Ioannis contuli: ex quibus omnibus, diuino in primis auxilio inuocato & adiuuāte, ea quæ pijs hic lectoribus communico collegi. Accessit his singularis eruditio diligentiaq; & in Sacris libris enarrādi dexteritas pijssimi uiri D. Theodori Biblian dri, scholæ Tigurinę professoris theologi, qui ante annos tredecim hunc Reuelationis librum publicè magnaq; cum laude exposuit: à quo, nisi permultum me adiutū esse fatererer, insigniter ingratus essem. Extat eiusdē & Fidelis relatio, impressa Basileæ anno 1545, in qua hunc Ioannis librū disponit, uelutiq; scholijs illustrat. Ex uetustioribus uerò, neotericisq; quos habere potui,

Liber est expositus, & qui possit intelligi.

D. Theodorus Bibliander.

euoluí: ut Aretam, Andreæ illíus Cæsarienſis epíſcopi, cuius enarrationes ín hunc librum non ſemel citat, ſucceſſorem: Auguſtinũ quoq; Hipponenſem epíſcopum, & Primaſíum Vticenſem. Nec ſpreuí Thomã illum Aquinatem, non ſpreuí Gloſſam quam uocant ordinaríam. Ex neotericis fideliter, nec ſíne exímio fructu, laborauit ín hoc líbro exponendo, uír ínſigní píetate & eruditione prædítus D. D. Sebaſtíanus Meyer, Bernenſis eccleſiæ ante 20 annos miníſter, cuius Commentarij ín Apocalypſím Tíguri à Froſchouero noſtro ante plures annos ſunt ímpreſſi. Laborauit in eodem líbro explicando & píiſſimus doctiſſimusq; uír D. D. Franciſcus Lambertus Auenionenſis, qui eundem in celebrí príus academía Heſſorum Martburgenſi expoſuit, deinde in eadẽ ciuitate líbros ſeptẽ Exegeſeos anno Domíní 1528 typis excudí curauit ac euulgauit. Præterea excuſus eſt in Saxonía Vuitembergæ Cõmentarius ín Apocalypſím, ante 100 annos ſcriptus, & ad D. Lutherũ ab extremis Germaniæ finibus, è regioníb. Sarmaticís & Líuonicís miſſus, quẽ etiam conſuluí: ſicutí & quædam ín hunc eundem líbrum Reuelat. D. Luthe rí. Neq; hic míhí obliuíone prætereũdí uídentur de bonis & etiã ſacris líbris bene meríti & pręſtantíſsimí uírí, D. Eraſm. Rot. & Laurentíus Valla, quí & ipſí ſuas ín hunc líbrum Annotationes reliquerũt. Horum omnium laboríb. liberaliter adiutum me eſſe fateor: quæ & in hoc commemoro ingenuè, ne quíd díſsimulem, contraq; candorem peccare uídear, aut quenquam íniquè merita laude defraudem: adeoq; pium lectorem admoneam, ut ſí quícquam cuíquam uídear ín hoc opere præſtitiſſe, níhil me ſine Theſeis egiſſe norit: totumq; hoc beneficium ad Deum omnís boní fontem referat authorem, cui & gratias agat. Vniuerſa uerò hæc mea píjs lectoríbus auditoríbusq; iudicanda propono, ut quod in his bonum eſſe uíderint, recípiãt: ſicubi uerò à regula bona aberraſſe uídear, ab eo deflectãt. Neq; contendã cum quoquam, neq; ínuídebo eruditioríbus & exercitatioríbus, quorum aliquí iamdudum Cõmentarios ín hunc líbrum pollicití ſunt, ſí meliora protulerint: quínimo meliora ſemper paratus ſum non modò ípſe recípere, ſed et offerentibus gratias agere. Interím talentum meum, quod accepi à Domino, ut cum hoc lucrum faciam Domino meo, nunc in medium depono: & Dominum oro ut bene felicitet, & negociationi meæ ſimplící benedicat.

Qui ſcripſerint in Apocalypſim.

Candidè ſcriptas eſſe Conciones illas.

Porrò Deum hic teſtem habeo, nullo odio in quenquã príuato, nulla conuiciandí líbídíne, nulloq; propoſito ínuídiam cuíquam conflandí, hunc me ſuſcepiſſe laborem: ſed enarrandí ſimpliciter líbrum hunc nouí Teſtamẽtí egregium & perutílem, quí dudum reliquos nouí Teſtam. líbros omnes Commentarijs meís explicaui. Quò accedit, quod ex uarijs locis, líteris ad me ſcriptis, uíri pij & docti à me poſtularũt, meam ín Apocalypſím expoſitionem. Quorum ſudício cum permultum tríbuerem, facílius ſanè in editionem hanc conſenſi. Quod interím odioſa (ut nonnulli uocant) Antichriſti cauſa, in ípſo opere tractanda uenit, eam díſsimulare nec debui, nec potui. Præterea conſtat, níhil in hac cauſa me nouí & inuſitatí aut ínauditi proferre: neq; ſolũ me hoc ſaxum uoluere. Clamat nunc totus mundus, nullum alíum Antichriſtũ uenturum in mundũ, quàm quí dudum uenit in Pontificibus Romanís: quí interím iuguletur gladio uerbi Dei in cordíbus fidelíum, & breuí totus ſit abolendus glorioſo Chriſtí aduentu in iudícium. Hoc ipſum ſí nos premere & ſubticere uoluerímus, lapides clamabunt. Nam ímpletum eſt iam tempus, & aduenit regnum Dei. Beatí, & inæternùm beatí ſunt, quí uígilant, &

Chriſtum

Christum in salutem expectant. Dixit ante annos 1400 beatus Irenæus: Antichristus cũ sit seruus, quasi Deus uult adorari. Tertullianus & beatus Hieronymus, quod iam semel & iterum diximus, uaticinium Ioannis de Babylone, interpretati sunt de Roma palàm. Gregorius eius nominis primus, & ipse Pontifex Romanus, nõ uerebatur manifestè pronũciare, eum esse Antichristi præcursorem, qui pateretur se appellari uniuersalem & summum pontificem. At tunc sibi hunc titulũ usurpauit Cõstantinopolitanus episcopus, qui præcurrit posterioribus Rom. pontificibus. Et in Epistola 35 ad Ioan. episc. Constantinop. Omnia, ait, quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ (Antichristus nimirum) propè est: & quod dici nefas est, sacerdotum ei præparatur exercitus. Quia ceruici militant elationis, qui positi fuerant ut ducatum præberent humilitatis. Scripsit autem ista Gregorius ante annos 950. Arnulphus uir ualde pius & doctus, Aurelianensis episcopus ante annos 550, in Concilio Remensi, palàm de Romano pontifice loquens, in hæc tandẽ erupit uerba: Quid hunc in sublimi solio residentẽ, ueste purpurea & aurea radiantem, quid hunc inquam esse censetis? Nimirũ, si charitate destituitur, solaq; scientia inflatur & extollitur, Antichristus est, in templo Dei sedens, & sese ostentans quasi sit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in templo Dei tanquam idolum est. tantum ille: qui uidetur hisce uerbis suis alluisse ad loca sanctæ scripturę Apocalyp. 19. 2 Thess. 2. Zach. 11. S. Bernardus, licet sibi in omnibus, per temporis illius infelicitatem, non constet per omnia: ita tamen in Papam, in Episcopos, & in clerum sui temporis inuectus est, ut si quis hodie, præterito nomine eius, uerbis eius utatur, dicatur esse hæreticissimus. Cum tamen nunc omnia sint corruptiora, quàm fuerint Bernardi temporibus. Extat illius Sermo in Concilio Remensi ad Clerum habitus. In libris Considerat. uehementiss. est, maximè in 2 & in 4 libro. Vixit circa annum Domini 1150. Circa annum Domini 1240 cogebatur concilium principum & episcoporum Reginoburgi, idq; propter Pontificum Romanorũ tyrannidem, grauissimè oppugnãtium pium Imperat. Friderychum eius nominis secundum. In eo exurgens Eberhardus Salisburgensis archiep. Sub Pont. max. inquit, titulo, pastoris pelle, lupũ sæuissimũ, nisi cæci sumus, sentimus. Romani pontifices arma in omnes habent Christianos, audendo, fallendo, & bella ex bellis serendo, magni facti, oues trucidãt, occidunt: pacem, concordiam terris depellunt, intestina bella, domesticas seditiones ab inferis eliciunt, indies magis atq; magis omnium uires debilitant, ut omnium capitib. insultent, omnes deuorent, uniuersos in seruitutem redigant. Hyldebrandus ante annos centum atq; septuaginta primus specie religionis, Antichristi imperij fundamenta iecit: hoc bellum nefandum primus auspicatus est, quod per successores hucusq; continuatur. Et mox: Pontifices Babylonis soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt. Credite experto, non cessabunt, donec Imperatore in ordinem redacto, Romani imperij honore soluto, pastoribus ueris oppressis, per hunc morem omnia extinguant, omnia pedibus suis conculcent, atq; in templo Dei sedeant, extollanturq; super omne id quod colitur. Qui seruus seruorum est, dominus dominorum, perinde ac si Deus esset, esse cupit. Noua consilia sub pectore uolutat, ut proprium sibi constituat imperium: leges commutat, suas sancit: contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit perditus ille homo, quem Antichristum uocare solent, in cuius fronte cõtumelię nomen scriptũ est: Deus sum, errare nõ possum. In templo

Vetustissima et peruulgata est doctrina, Papã esse Antichristum.

Gregorius Papa primus.

Arnulphus Aurelianensis episcopus.

Eberhardus episcopus Salisburgensis.

Dei ſedet, longè lateq; dominatur. Et paulo pòſt: Romani maieſtas populi, qua olim orbis regebatur, ſublata eſt de terris. Regnum multiplicatum, ſumma rerum poteſtas per plures diſſipata, conſciſa, minuta, ne dicam dilacerata eſt. Imperator, uana appellatio & ſola umbra eſt. Reges decẽ pariter exiſtũt, qui orbem terræ, Romanum quondam imperium, non ad regendum, ſed ad conſumendum partiti ſunt. Decem cornua (id quod D. Aurel. Auguſtino incredibile uiſum eſt) Turcæ, Græci, Aegyptij, Aphri, Hiſpani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas prouincias poſsidẽt, Romanosq; in his excidére colonos: cornuq; paruulum ſub his ſuccreuit, quod oculos habet & os loquens grandia, tria potiſsimum Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redegit, ſibiq; ſeruire cogit, inſuſtentabili dominatione populum Chriſti ſanctosq; Dei uexat, diuina & humana miſcet, execrabilia molitur. Et reliqua quæ legere eſt fol. 685, in 7 Ann. lib. Auentini, quæ anno Domini 1554 imperatorio priuilegio Ingolſtadij impreſſa ſunt. Ex ijs tranſcripſi uerbotim omnia ea quæ hactenus ſub nomine archiepiſcopi Eberhardi Salisburg. recenſui. Circa illa ipſa tempora uixit & Abbas Ioachim Calaber, qui Papam idẽtidem Antichriſtũ appellat, & Apocalyp. picturis prophetícis ſcholijsq; Italicis illuſtrauit. Frãciſcus Petrarcha, uir doctiſſ. & immortali laude digniſſ. floruit circa annum Domini 1350, qui & ipſe in ſedem Romanam, in curiam, & in Pont. Romanum huiuſmodi ſcripta poſt ſe reliquit, ut ſi eis cõferantur quæ noſtro ſeculo D. Lutherus acerbiſsima in Romam ſcripſit, ab iſto uinci hic prorſus uideatur. In Epiſt. 20, appellat Papæ curiam & Babylonẽ, & meretricem Babylonicam, ſuper aquas ſedentem, matrem omnium idololatriarũ & ſcortationum. Extat præterea liber doctus Marſilij Patauini, ſcriptus pro Ludouico 4 Imp. cõtra Pontificẽ, in quo acerrimè inuehitur in Rom. pont. & leges eius oligarchicas. Eodem ſeculo, nimirum ante annos 200, floruit et Michael Ceſenas, generalis Minoritarũ, qui palàm accuſauit Papam ut Antichriſtum, Romanam ſedem & Eccleſiam ut Babylonicam meretricem ſanctorũ ſanguine ebriam. Ante 100 annos uixit Laurentius Valla, patricius Romanus, uir clariſſ. qui ſe etiam obiecit Romano pont. & ſedi, quo nomine actus eſt in exiliũ: ſed à rege Neapolitano honorificè eſt exceptus. Sed & Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis, egregius eius temporis Theologus & philoſophus, uir ſanctimonia uitę (ut à multis prædicat) clarus, manifeſtè prędicauit per Italiã, Papam eſſe Antichriſtũ: quãobrem Florẽtię ab Alexãdro 6 crudeliſsimè eſt cõbuſtus. Verſatur hoc in recenti adhuc hominũ memoria, cum facta iſta ſint circa annũ Domini 1499. Eundem tamẽ Sauonarolã Ioan. Franciſcus Picus Mirand. Com. ſanctũ prophetã appellat. Licet Nauclerus in hiſtoria ſignificet, ipſum multa ambitionis ergò & uanæ gloriæ captandæ cauſa feciſſe. Tribuit eidẽ Sauonarolę & Marſilius Ficinus in quadã epiſtola ſpiritum propheticum. Teſtatur prętera Philippus Comineus hiſtoricus, ipſum fuiſſe uirum ſanctum, planeq; ſpiritus prophetici. Aiunt enim illum prędixiſſe uaſtitatem Florentiæ & Romæ, & inſtaurationem uel reformationẽ Eccleſię, plurimaq; alia ipſi euentura Italiæ, quæ interea ei euenerunt. Recordor me, dum adoleſcens adhuc ſtudia bonarum literarum per ſcholas ſectarer, à quibuſdã monachis Dominicanis audire, Sauonarolam Alexandri Papæ & Curiæ Rom. indignationem nulla re magis in ſe prouocaſſe, cõq; quòd cõtra ipſos, per Italiã, prædicauerit Apocalyp. Ioannis apoſtoli. Quid quod Vualdenſes ante 400 annos in Gallia, Italia, Germania, Bohemia, Polonia, & in alijs

Abbas Ioachim. *Franciſcus Petrarcha.* *Marſilius Patauinus.* *Michael Ceſenas.* *Laurent. Valla.* *Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis.* *Vualdenſes fratres.*

in alijs per mundum regionibus, Euangelium IESV Christi profitentes, Romanum pont. scriptis plurimis & prædicationib. perpetuis accusarũt ceu uerum Antichristũ, à Ioanne apostolo prædictũ, & ideo fugiendũ. Illi ipsi atrocissimis subditi supplicijs, constantes fidem suam per gloriosa martyria attestati sunt, & attestãtur etiã hodie. Nam nunquã extirpari, quod tamen sæpissimè tentatum est à potentiss. regibus & principibus per Pontificẽ inspiratis, potuerũt, Deo aliud uolẽte. Sed quid hæc cõmemoro, cũ hoc anno 1556, Basileæ excusus sit Catalogus testiũ ueritatis, qui ante nostrã ætatẽ reclamarunt Papæ, quorũ magnus quidem numerus est, ac pars potior Pont. Romanum, citra prouerbiũ, Antichristũ in mundum uenturum, appellauit. Claret itaq; me in hoc meo opere nihil insoliti, aut nunq; antea auditi proferre quic quam, cum nũc palàm intellexerimus hanc cantilenã tot seculis esse decantatam, scriptã, pictam, prædicatã, & inculcatã ab optimis, integerrimis, doctissimisq; uiris, sed & immenso martyrũ sanguine confirmatam.

Omnibus seculis ab optimis quibusq; contradictum est Papæ.

Porrò si qui supersunt studiosi rerũ bonarũ inter episcopos aut prelatos ecclesiasticos, & in ipso clero, nõ mihi irascantur, si cubi interpretãdo Apocalypsim, dicta ipsorũ factaq; profero, & cum uerbis Apostoli cõpono: irascãtur potius dictis factisq; suis citra & cõtra uerbũ Dei prolatis atq; peractis. Desinant agere quod agunt: quinimò agant pœnitentiã, ita laudẽ habebũt in Ecclesia sanctorũ. Cæterùm si perrexerint etiam contra conscientiã, suum uitæ genus, suas uoluptates & opes atq; honores suos tueri ac asserere, & prædicatores ueritatis tanq; hostes Ecclesiæ accusare, persequi & iugulare: uiderint ne derepẽte illis usuueniat, quod cõmemorat Euangeliũ de remulẽto seruo, qui conseruos suos diuexabat ac uerberabat: ab ipso uerò Domino summo, adobruebãtur dum minimè putauerat, atq; in frusta conscindebatur.

Daniel. 11.

Matth. 24.

Si uerò ullum unq; antea fuit tempus, quo hanc doctrinã inuulgare, urgere & inculcare uniuerso populo oportuit, hoc nostro seculo in primis fieri necesse est. Habet enim hoc seculum in Papatu ingenia acuta & exercitata, quæ & pontificẽ & ecclesiã pontificiã miris ornant laudibus, contraria q; Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ inexercitatioríb. instillãt atq; persuadẽt. Accedunt his mirificæ artes, quibus supplantãtur etiam prudentiores. Accedunt opes uel diuitiæ, authoritas, arma, minæ, promissiones & supplicia, quibus etiam firmi aliquot fatigantur, & in partes abripiuntur pontificis. Sunt multi ignari rerum, qui rem istam non ita estimant, ut æstimari debuerat. Tales susq; deq; ferunt, qualis religio prædicetur, Euangelica an Papistica, quid ue de utraq; credatur, uel non credatur. Hæc enim omnia nihil ad se pertinere existimant. Interim pereunt & periclitantur multi, deficiunt non pauci, nonnulli ancipites hærent, cõtrahiturq; regnum Christi. Nihil enim omittũt pontificij, quod modò faciat ad reparandũ regnum suum, & ad demoliendũ regnũ Christi. Ergo cum isti nihil hic parcãt laboribus & sumptibus, quin omnia conuertant ad opprimendã fidem euangelicã, & ad impellendũ in defectionem simpliciores quosuis: non debemus nos cõmittere, ut Ecclesia, & in hac afflicti tentatiq; simpliciores, ea careant consolatione & admonitione, doctrinaq;, quam olim per Ioãnem ipse Dominus IESVS difficilib. hisce rebus tẽporibusq; præparauit, Apocalypsi hac reuelata. Singularẽ aũt gratiã atq; uirtutẽ habent hic ea, quæ diuinitùs reuelata sunt nobis. Nec deficietur aduersarius æmulusq; Christi ullis armis corporalib. nisi gladio uerbi Dei. In animis enim hominũ hũc uilescere & interire necesse est, ut reuiuiscat Christus solus, & glorificet in secula.

Apocalyp. nostro seculo non modò utilem, sed necessariã esse.

Conciones. Expositionem uerò hanc meam per Conciones diuisi, cùm quòd hunc librum publicè annis hisce 1555 & 1556 enarraui fideli Ecclesiæ Christi, cui seruio, Concionibus hisce propemodum habitis ad populum: tum quòd rogatus, qualecunq; exemplũ submínistrare uolui ijs qui eundẽ librum ecclesijs suæ etiam fidei creditis explicare aut enarrare uoluerint. Vbi tamen lectores moneo, ne ex his meis expectent omnia: aut uerbotim hęc suis recitanda existiment. Quædam enim quæ populo proposui pro ratione loci & temporis, in hisce meis concionibus non consignaui, breuitati ferè studens. Quædam uerò, ea maximè quę linguarum collationem & genus uel rationem dicendi atq; his similia attinent, Ecclesiæ non recitaui: in conciones autem has retuli, ad utilitatem eorum qui hæc diligentius inter se conferre desiderant. Ecclesiastæ est, unicè ea spectare quæ faciunt & ad orationis perspicuitatẽ, quo intelligatur uel à crassissimis: & ad ædificationẽ Ecclesiæ, ne quid afferat quod parum prosit. Quisq; ergo suæ Ecclesiæ hæc accõmodet in ædificationẽ, ratione habita loci, temporis & personarũ: semper tamen seruato libri aut uerborum Dei genuino sensu. Etenim nullam merentur in cõcionibus laudem detorsiones uiolentæ, excursiones nimis alienæ: aut cum nimium à simplici scripturæ sensu deflectendo, mysteria nescio quæ excutimus.

DE DICATIO. Vniuersum autem opus hoc, sudoribus meis nõ modicis, imò gratia Dei paratũ, ad gloriam IESV Christi, & ad salutẽ assertionemq; afflictæ eius Ecclesiæ conscriptum, uobis dedico uiri exules, quotquot ex Gallia, Anglia, Italia, alijsq; regnis & nationib. profecti, uel eiecti IESV Christi & Euangelij eius ergò, per Heluetiam, Germaniamq;, ac per alia loca uobis à Deo concessa habitatis: atq; adeò opus hoc meum uniuersis uobis dedico, qui dispersi per regna & nationes uarias, soli estis Christo Domino nostro cõsecrati, expectantes ipsius in iudicium aduentũ, quo haud dubiè liberabimur tandem à malis omnibus, fietq; illa demum omnibus seculis expectata & felicissima omnium restitutio, cùm à prophetis tum ab Apostolis significantissimè constantissimeq; promissa. Vestra autem pietas, uiri exules, quæ maluit patriam *Act.3.* quàm Euangelium deserere, commodisq; carere temporarijs quàm permisceri sacris à Christo alienis, egregiam sanè meretur laudem. At constantia insigniq; patientia interim uobis opus est, ut postquam probati fueritis, co- *Iacob.1.* ronam accipiatis uitæ, quam promisit Dominus ijs qui perseuerauerint usq; *Matth.24.* in finẽ. Regeneratio cœlestis non ita nos immutat, ut non aliquæ remaneãt ueteris Adami reliquiæ anxiæ & turbatrices. Semper ergo tẽtationes uarię, semper pugnæ difficiles sentiuntur à regeneratis: tum maximè, cum ea usuuenium, quæ minimè expectaueramus. Semper ergo opus est consolatione pijs. At hanc mira copia hic liber Apocalypseos suppeditat: quem si diligenter euolueritis, deprehendetis omnia quæ uobis eueniunt, & quæ nunc uos exercent cum molestia, dudum ita esse prædicta in hoc libro, sicut eueniunt. Adiunguntur subinde consolationes ualidiss. & suauissimæ. Præterea non ignoratis domini colendiss. & fratres chariss. quid euenerit patribus nostris omniũ sanctissimis. Quomodo incertis oberrarint sedibus, & quomodo se gesserint in molestissimis illis suis migrationibus. Intelligitis me loqui de Abrahã, Isaac & Iacobo, & Iosepho: quorũ peregrinationes ex Chaldæa in Palęstinam, inde in Aegyptum, & rursus in Palęstinam, indeq; iterum in Syriã, rursus uerò in Palęstinam & Aegyptum, uniuerso mundo sunt notissimæ. Iam uerò quæ exilia & pericula sustinuerit insignis Dei seruus & propheta

omnium

omnium excellentiſſ. Moſes, non latet uel rudes alioqui rerum antiquarum. Huius fidem celebrãs uas electionis Paulus: Per fidẽ, inquit, Moſes iam grandis, renuit uocari filius filiæ Pharaonis: potius eligens, ſimul malis affici cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui: maiores arbitratus diuitias probrum Chriſti, quàm Aegyptiorum theſauros. Reſpectum enim habebat remunerationis. Quid quòd ipſe Dominus noſter IESVS Chriſtus infans in Aegyptum profugere coactus, à cunis exilia ſuos ferre docens: qui & in Euangelio dixiſſe legitur, Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet ubi reclinet caput ſuum? De Antichriſto certe legimus uaticinatũ eſſe Danielem: Quem qui agnouerit, eum honoribus cumulabit, & Dominum multorum faciet, & terram precio diſtribuet. Contrà audiemus in libri huius 12 cap. & Chriſtũ & ſponſam eius Eccleſiã, grauem ſuſtinere à dracone perſecutionem: Chriſtũ ſuſtolli in cœlos, Eccleſiam eijci in deſertũ. Aſcendẽs autem in cœlos Chriſtus, & cœlum fidelibus aperuit: & locum manentem, patriam inquam beatam, nullum propè locum in terra habentibus oſtendit. Inde uẽturus eſt iudicare uiuos & mortuos, & fideles aſſumpturus ad ſeſe in gaudia ſempiterna, exhibiturus his quæcunq; ipſe in Euangelio & prophetæ & apoſtoli promiſerunt. De qua ſpe certè amplisſima hic liber Apocalypſeos copioſiſſimè & elegãtiſſimè diſſerit, omnes quotquot certa & conſolatione pleniſſima audire deſiderauerint erudiens. Vobis ergo exulib. pariter & pijs per orbem omnibus, deſiderantibus Chriſti Domini noſtri & iudicis uniuerſorum aduentum, offero & commendo & dedico hunc noſtrum laborem. Accipite animis benignis: quod in nullum alium finem propono, quàm ut fugientes Antichriſtum, adhęreatis ſoli Chriſto, defixa in hunc ſolum omni ueſtra fiducia, cum è cœlis iam expectemus illum ipſum Dominum noſtrum, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat corpori ſuo gloriſoſo, ſecundum efficaciam, qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia. Hic benedicat nobis omnibus, & perducat nos, in illa die, in conſpectum patris ſui: ut uideamus gloriam eius, quam habuit priuſquam hic mundus eſſet. Ipſi ſoli gloria. Ex Tiguro, menſe Ianuario, Anno Domini

M. D. LVII.

Hebr. 11.

Matth. 8.

Dan. 11.

Philipp. 3.

ERRATA, ET OMISSA QVAEDAM, SIC EMENdabis, ex postrema autoris recognitione.

Pag. 5. uers. 1. pro ducimus, lege dicimus Ead.
28 extremi Ead. 32 pro turbemur.
17.17 laudent
29.26 feliciß.
30.3 quibus, deleto in
61.41 cupientem
69.13 gubernandos
80 in margine, concentus
88 in margine, interfectorum
100.18 post hæc uerba, millia centena quadragintaquatuor, subiunge: Quòd tribus Ephraim & Dan non exprimuntur nomine, id quidem ueteres uarias ob causas factum esse putant. Ego simpliciter sub tribu Ioseph, Ephraim tribum existimo cõprehensam. Leui autem hic ponitur, quæ in alijs ferè censibus præteritur. Dan sanè omittitur hic, sed interim ex populo Dei excluditur minimè. Quẽadmodũ & Leuitæ, licet non recensérentur in censu, tamen erant in numero populi Dei.
120 Redundãt aliquot uerba in fine paginæ, & in principio pag. 121 In eadem lege pro Michon, Michou, uers. 41
123 ante uers. penult. ubi legis, Colligimus ex his, præmitte hæc, Vel legamus, Et cæteri homines qui non sunt occisi his plagis, non resipuerunt. ut sit sensus omnino simplicißimus: Reliquos homines ex cladibus superstites Turcicis, non commotos aut cõmouendos ullis calamitatibus, ut corruptos emendent mores. Nam seculum illud laboraturum in dolẽtia quadam & stupiditate pudenda ac desperata. Id quod hodie nimis liquidò in multis nostri seculi hominibus, proh dolor, relucet.
176.13 nominibus.
184.2 & 3 post hæc uerba, Vtcunq; uerò ea res habeat, certum est: subiunge, Inter heptarchas, maximè uerò seculares, ut uocant, non fuisse paucos, cùm studio erga religionẽ ueram singulari feruentißimos, tum etiam uirtutibus omnigenis illustrißimos, quibus uehementer Pontificum Romanorũ tyrannis & impietas displicuit, atq; adeò ut non semel se illis opposuerint fortiter. Debet certè huic ordini ætas nostra, bona ex parte, repurgatam sacrosancti Euangelij prædicationem, quam & cum alijs laudatißimis Germaniæ principib. Deo ipsos inspirante, propagant, et contra Antichristi furias strenuè tuentur. Dominus illis, & reliquis per orbem principib. pijs, dona sua liberaliter adaugeat, & clementer ipsos conseruet. Cæterùm ut redeamus ad historiæ seriem, certum est,
234 in margine, decem.
265.28 decurrerunt.
270.9 Decadibus
287.5 Perstringemus autem sigillatim octo huius catalogi, &c.

Reliqua errata diligens & prudens Lector nullo negotio ipse emendabit. Nam nec multa sunt, nec magna.

IN APOCALYPSIM IESV CHRISTI FACTAM IOANNI APOST. ET EVANGELISTAE, CONCIONES HENRICI BVLLINGERI.

De authore libri Apocalypsis, de argumento & partibus eius: deinq; de eiusdem usu uario, utilitate ue saluberrima.

CONCIO I.

PROPHETAE Dei ueteris Testamenti, fuerunt legati Dei ad populum, interpretes Mosis uel Legis diuinæ, adeoq; prædicatores ecclesiastici, qui doctrinam sibi à Deo reuelatam, & ex lege diuina depromptam, populo temporibusq; suis, in quibus uixerunt, accommodarunt, ad ædificationem ecclesiarum. Vniuersi uerò concorditer duo potissimùm in concionib. suis tractauerunt. Principiò enim reprehenderunt mores omnium ordinum sui seculi corruptos, adhibita regula diuinę Legis, adhortãtes omnes ad pœnitentiam Deo gratissimam. Minati sunt autem multis omnigenas pœnas incurabilibus: quas etiam omni genere dicendi exornantes, tantum non exposuerunt oculis uisendas, si fortè ita perterrefieri curariq; possent. Deinde promiserunt & exornarunt ex ore Dei Christum Dominum, uerum Messiam: quem & graphicè descripserunt, cum sancta eius Ecclesia, docẽtes fidem in Christũ, & quæ bona fidelibus in Christo parata sint, & quæ sint uera pietatis officia. Nec tacuerunt quæ scire refert de Antichristo: diligentissimè admonentes, ut ab illo lupo, imò omnium abominationum abysso profundiss. nobis caueamus, atque in sincera Christi fide permaneamus.

Qui fuerint Prophetæ uteres, & qualis doctrina ipsorum.

Hæc autem est nõ tantùm summa prophetarum ueteris Testamenti omnium, sed & compẽdium pietatis, & sinceræ doctrinæ absolutissima ratio, non aliter & ab ipso Christo Domino & Apostolis tradita. De Prophetis non est dubium, utpote cum per octennium iam explicarim Danielem, Isaiam & duodecim Prophetas, in quibus illa palàm uidistis. Et ut in illa ueritate animi uestri confirmentur, & intelligatis huc quoq; inclinare doctrinam Christi & Apostolorum: sumpsi mihi, Deo, & uestris ad Deum precib. iuuantibus, uobis explicandam Apocalypsim, quæ est doctrina de reb. ecclesiæ Christi reuelata cœlitùs à Christo in gloria, & compẽdium totius pietatis, & Prophetarum explicatio & summarium, adeoq; noui Testam. prophetia ac historia ferè ecclesiastica.

Summa Prophetarum, pietatisq; cõpendium.

Apocalypsis.

Quoniam uerò hic liber à multis etiam bonis & doctis uiris contemnitur, & ferè omnibus persuasum est librum esse inutilem, dicam ea de re paucula.

Principiò abhorrent multi ab hoc libro, hoc duntaxat nomine, quòd refertus sit uisionibus, typis & figuris. Hoc enim putant parum decere doctrinam noui Testamẽti euangelicam & apostolicam. Cæterùm ea ratione bona pars Danielis abijcienda foret: qui tamẽ à Christo nobis commendatur Matth. 24. S. Petro res omnium maxima, uocatio Gentium, per uisionem commonstratur, ut claret Act. 10. Sed & Ioel dixit futurum, ut populus noui Testamenti uideat uisiones. Nec aliter exponit eum Ioelis locum beatus Petrus apostolus in Actis apostolorum, loquens de populo noui Testamenti. Quid, quòd Dominus pleraq; in Euangelio mysteria per parabolas, & propemodum narrationes, quas uocant, fictas, populo proposuit ac declarauit? Quantulum uerò ab his distare putas typos, uisiones ac suffigurationes Ioannis? Non obscurat hoc dicendi

Liber hic figuris refertus.

genus res, sed illustrat: facitq; plurimum ad enargiam & perspicuitatem, memoriamq; roborandam. Nam eo modo res non tantùm uerbis exponuntur, auribusq; percipiuntur: sed quasi oculis contemplandę coràm proponuntur, memoriæq; quodãmodo infiguntur. Plurimum hoc nomine picturę multi tribuunt: ego uerò multo rectius plurimum me tribuere arbitror debere huiusmodi dicẽdi docẽdiq; generi, quo res nõ colorata, muta & mortua pictura, sed ueluti loquẽte & uiua, & dicitur, & quodãmodo spectanda proponitur. quæ ideo proponitur, ut rectè & exactè ab hominibus intelligatur. Licet itaq; totus propemodum hic liber cõstet uisionib. figuris uel typis: reipsa tamen, Dei aspirante gratia, demonstrabimus nostra expositione, totum illud facere ad perspicuitatem, non ad obscuritatem rerum maximarum, diuinissimarumq;. Expositionem afferam ex ipsis scripturis, per collationem, adhibita fidei & charitatis regula. excutiam circunstantias, præcedentia item & consequentia: adferam similia & dissimilia: adhibebo rerum quoq; experientiam, & historiarum fidem. Quam sanè omnes scripturarũ interpretes semper confessi sunt sanam & genuinam esse exponendi scripturas rationem. Si alijs meliora fuerint reuelata, libenter, iuxta Apostoli præceptum, meliorib. cessero. Nam hæc mea pijs expendenda offero, hac conditione, ut omnia probent: & quod bonum inuenerint, teneant.

Scripturæ claritas.

Qualis expositio huius libri.

1. Cor. 14.

1. Thess. 5.

Deinde obijciunt, cùm neotericos tum priscos, non cõtemnendę authoritatis uiros, & dubitasse de hoc libro, libriq; authore: & contempsisse, ueluti fabulosum, & canone indignum. Permittant autem qui ita sentiũt hoc ipsum & mihi, obsecro, quod sibi ipsis usurpant, licereq; putant. Si enim liber Apoc. ideo uidetur contemnẽdus, quòd de eius autoritate dubitauerint nostri & prisci illius seculi illustres uiri: cur nõ recuperet suam authoritatem, si ostendero optimos quosq;, cùm nouos tum ueteres ecclesiæ doctores, optimè de hoc libro sensisse? Ac, ut nihil prorsus hic dissimulem, non ignoro, clariss. uirum D. Martinum Lutherum in prima editione noui Testamenti Germanici, præfatione acri præmissa, librum hunc ueluti obelo iugulauisse. At inuiderunt ipsi hanc censuram uiri boni & docti, qui in ipsa desiderarunt & prudentiam & modestiam. Idem ergo rectius diligentiusq; perpensis reb. omnibus, dum recognosceret sua Biblia Germanica, & anno Domini 1535. eadem recudenda traderet, Apocalypsi aliam præfixit præfationem paulo circumspectiorem: in qua relinquit quidẽ adhuc libri huius authoritatem in dubio, maximè quòd Euseb. lib. Ecclesiast. hist. 3. cap. 25. author sit, ueteres de ipso dubitasse: sed subiungit tamen, nolle se cum quoquã concertare, qui asserat librum hunc Ioannis esse apostoli, liberum lectori iudicium permittens. Quid autem de testimonio Eusebij, cui ille potissimum innititur, iudicandum sit, dicam paulopòst. Certè Lutherus, præfatione ea cuius modò meminimus, uiam aperit & rationem ostendit, qua ad utilem huius libri expositionem usumq; perueniri possit. Proinde iudiciũ Lutheri nihil libro huic nostro, quem in utilitatem ecclesiæ sumpsimus interpretandum, derogat. D. Huld. Zuinglius, beatæ memoriæ, præceptor noster honorandus, uidetur & ipse non adeò multum huic tribuisse libro, & retulisse non ad authorem apostolum, sed ad Ioannem quem appellarunt Theologum. Cæterùm ea in re dubium non est, secutum esse simpliciter Eras. Roterod. qui in suis ad nouum Testam. Annot. In Græcis, inquit, quos ego uiderim exemplaribus, non erat titulus Ioan. Euangelistæ, sed Ioannis Theologi. Adiungit his Eras. apud Græcos & quosdam scriptores ueteres dubitatum esse de hoc authore: id quod ex testimonijs Eusebij & Hieronymi declarat, de quorum sententia mox dicetur. Cæterùm codex Complutẽsis, uel Hispanus, editus ad fidem uetustiss. & probatissimorum exemplarium Græcorum, talem nobis huius libri titulum exhibet: Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ ἰωάννου τοῦ θεολόγου: id est, Apocalypsis sancti apostoli & euangelistæ Ioannis Theologi. Tradunt enim ueteres, Ioannem apostolum & euangelistam ob eximia de filio Dei scripta nuncupatũ uulgò Theologum: unde consequens est, titulum hunc tribuere, non adimere Ioanni hunc librum. Certè Aretas, author & ipse Græcus, & Cæsarien. episcopus: Ex ueteribus, inquit, quidam hanc Apocalypsim à dilecti illius Ioannis lingua abstrahunt, alteri ipsam adscribentes: uerùm non ita est. Gregorius enim ille, qui æquè ac iste, Theologus appellatur, hanc inter eas scriptu-

D. Lutherus.

D. Zuinglius.

D. Eras. Rot.

Codex Cõplutensis.

Aretas.

Gregor. Theologus.

ras

pturas adiudicauit,quæ omni prorsus adulterationis nota careant: Sicut me docet, inquiens,Ioannis Apocalypsis.Et idem paulo antè: Cæterùm quòd hic liber Spiritu sancto dictante conscriptus sit,S. Basilius, Cyrillus, Papias & Hippolytus,ecclesiastici patres,idonei sunt qui fidem faciant.Hæc ille. Quid,quòd consensum orbis & ecclesiæ authoritatem Eras.tantum apud se fateatur ualere,ut librum hunc non repudiare audeat? *Basilius.* *Cyrillus.* *Papias.* *Hippolytus.*

Audiamus hic præstantiss.& optimi uiri D.Ioan. Oecolampadij, Basilienses ecclesiæ pastoris fidelis.& excellenter in scripturis propheticis,denique in omnibus scripturis canonicis uersati,de hoc libro iudicium,quod scriptum nobis reliquit Commentariorum lib.2.in 12. cap. Danielis:Sed paraphrastes prophetarũ Ioannes (inquit,uide quantum tribuat huic authori nostro) quem miror quare quidã tam temerario iudicio abijciant,ut somniatorem & maniacum,& inutilem ecclesiæ scriptorem:cum tamen,sicuti & author epistolę ad Hebræos,plurima ueteris Testamenti,& eorum quæ in prophetis abstrusissima,proponat. Sed magni illi uiri, quantum de se sentiant, produnt: quorum equidem censuras profanas facilius contempserim, quàm tantum thesaurum abiecerim. Possem hic & aliorum neotericorum eximia proferre testimonia, nisi festinarem ad ueterum patrum iudicia. *Oecolampadius.*

Omnium uetustissimi post Apostolos,quorum quidem scripta extant, Iustinus & Irenęus,martyres Christi illustres,Ioanni apostolo hunc librum ascribunt. Etenim Eusebius hist. Ecclesiast. lib.4.cap.18. Iustinus,inquit, recordatur Apocal. Ioannis, manifestè illam apostoli esse dicens.Hieronymus quoq; in uita beati Ioannis author est,Iustinum exposuisse Apocalyp.Ioannis,sed non extat (quod ego quidem sciam) eius expositio.Irenæus scribitur ab eodem authore,Apoc. Ioãnis commentario illustrasse,qui & ipse non extat.Ille ipse,qui uixisse legitur circa annum Domini 160,palàm testatur 5. contra Valentinianos lib. hanc reuelationem paulò ante sua tempora Ioanni apostolo fuisse exhibitã.Verba aliquot eius adducimus in cap. huius libri 13. Tertullianus,qui uixit circa annum Domini 220, contra Marcionem libro 4. Etsi Apocalypsim Ioannis, inquit , Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit authorem. In rebus serijs & contra hæreticos disputans,libenter utitur huius libri testimonijs. Ita citantur eadem & à beato martyre Cypriano, sub titulo Ioannis apostoli in Epistolis, tractatibus eius atq; sermonibus.Eusebius quoque lib. hist.5.cap. 18. indicat,Apollonium scriptorem antiquissimum uti testimonijs ex Apocalypsi Ioannis;sic & Theophilum Antiochenæ ecclesiæ episcopum . id quod asserit lib. Ecclesiast. historiæ 4.cap. 24. Iam & Origenes,uir magnus in Ecclesia Dei, apud eundẽ lib. 6.cap. 25. Scripsit,inquit,& Apocalypsim,qui supra pectus Domini recubuit,&c. *Iudicia ueterũ ecclesiæ doctorũ de Apocal.* *Iustinus.* *Irenæus.* *Tertull.* *Cyprianus.* *Apollonius.* *Theophilus.* *Origenes.*

Recensui hactenus uetustissimorum Christianæ ecclesię martyrum & doctorum sententias de Apocalypsi,Iustini inquam,Irenæi,Tertulliani,Cypriani,Apollonij, Theophili Antiocheni,& Origenis Adamantij: adducam paulo pòst Græcorũ & Latinorum primæ authoritatis in ecclesia uirorum iudicia adhuc plura, & cum illorũ quidem sententijs quæ adduximus hactenus cõsentientia:prius tamen attingam paucis,quæ de eodem libro Dionysius Alexandrinus scriptum reliquit apud Euseb. lib.7. cap. 25. quem arbitror sequutos,quotquot ferè post ipsum huic libro contradixerunt. Ait,nonnullos eorum qui ipsum præcesserunt,hunc librum prorsus reprobasse ac reiecisse. Nec dissimulat,cur reiecerint. Asseri enim in ipso regnum Christi terrenum. Quò haud dubiè gemmeam illam retulerunt urbem,& reliqua quæ sub speciebus terrenis spiritualia nobis adumbrant.Quod cum in ipsa tractatione dissoluerimus,demonstrantes librũ hunc non ædificare regnum Christo terrenũ,sed spirituale & cœleste, nemo, opinor, librum reiecerit bonum & orthodoxum, quòd eius testimonijs quidam abutentes,adulterinũ ipsi sensum affingant.Detorserunt hæretici plurima scripturæ loca ad sui erroris patrocinium, ideòne scripturæ authoritas ipsa in dubium uerti debet? Nihil fauet Chiliastis aut Millenarijs in hoc libro Ioannes: nulla ipsis arma suppeditat. Rectè Eusebius in fine lib.3.de Papia loquens, primo Chiliastarum authore:Putauit, inquit, post resurrectionem mille annis Christum cum suis corporaliter in terra regnaturũ.Quæ ipsum ex eo suspicatum puto, quòd apostolicas disputationes non rectè acceperit, nec quæ ab *Dionysius Alexand.* *Chiliastæ.*

illis per hypodigmata dicta sunt, ritè considerauerit, eo quòd modico fuerit præditus iu dicio. Sed interim ipse Dionysius: Ego, inquit, librum hunc reprobare non ausim. Addit mox, sibi tamen non uideri Ioannis esse apostoli, sed alterius cuiusdam. quis tamen is fuerit, incertum uideri. Colligit item coniecturis quibusdam, ex uerborum specie ac tractatu libri, dissimilitudineq; ingenij, alterius esse librum hunc, quàm eius qui Euangelium scripsit, & epistolam. Cæterùm cum diuersa sint argumẽta historiæ & epistolæ, ut ne hæc quidem sibi sint similia, diuersissimum uerò argumẽtum libri Reuelationis: quid mirum uideatur, si cum illis non per omnia congruat? Hoc negare nemo potest, in dogmatum consensu, in tribus istis libris summam esse cõuenientiam. Visa est nonnullis epistola ad Hebræos fauere in 6. & 10. cap. Nouatianis siue Catharis. Notata est in eadem & stili dissonantia à reliquis Paulinis epistolis. Verùm si ita iudicandum fuerit de diuinis literis, nescio quid satis firmum atque tutum porrò sit futurum. Suspensa ergo hac disputatione, pergo nunc alia quoq; ueterum de hoc libro proferre iudicia.

Dissimilitudo stili & argumenti.

Eusebius. Eusebius Pamphili episcopus Cæsarienſis, synchronos Constantini Imp. magni, & ueterum scriptorum lector diligentissimus, quem nonnulli in eleuanda huius libri authoritate sibi fauere arbitrantur, diserte lib. Hist. 3. cap. 18. tyrannidem perstringens Domitiani, asserit Ioannem relegatum in Patmos, ibi conscripsisse Apocalypsim. Et cum hoc faciũt etiã historici cæteri. Interim idem ille lib. 3. cap. 24. De Apocalypsi etiamnum, inquit, apud multos dispar est opinio, probantib. illam alijs, alijs uerò reprobantibus. Rursus uerò cum suam de canone Testamenti noui sententiam in cap. 25. proferre debet, Apocalypsim coniungit cum libris indubitatis: etsi non dissimulat se suo loco expositurum quid alij de ea sentiant. Dum autem id præstat, multo plures & præstantiores enumerat, qui senserint Apocal. Ioannis esse apostoli, ac pro diuinissimo libro amplexi sint, quàm qui hoc negauerint ac reprobauerint. Epiphanius Salamine Cypri episcopus, & ipse scriptor Græcus, Ioanni manifestè ascribit apostolo hunc librũ. Legatur quid scriptũ reliquerit cõtra Alogos hæresi 51. Permultũ autẽ tribuit Hieronymus huic Epiphanio. Ac Hieronymus ipse Ioanni apostolo hunc librum tribuit. Ad Paulinũ: Apocal. Ioã. inquit, tot habet sacramẽta, quot uerba. Porrò Philastrius Brixianus episcopus, quẽ Augustinus se dicit Mediolani cum S. Ambrosio uidisse, numerat inter hæreticos, qui reijciunt Apocalypsim Ioan. ac dicere audent non esse Ioannis apostoli, sed Cerinthi hæretici. Certè ipse Ambrosius in libris suis adducit testimonia ex Apocal. sub nomine Ioan. apostoli. S. Augustinus hunc librum amplexus est ut apostolicum: eundemq; suę exposuit ecclesiæ, relictis in ipsam aliquot tractatibus. Primasius quoq; Apher, episcopus Vticæ, eundem ut apostolicum exposuit. De Beda & reliquis eius generis nihil refero, cum eius sententia sit omnibus notissima. Sed & Andreas, episcopus Cæsarienſis, scripto hunc librum illustrauit: sicuti refert Aretas in suis commentarijs, cuius sententiam superius exposui. Satis mihi uideor authoritatem asseruisse libri huius, contra illos qui ipsam eleuãt. Omnium uerò firmissimum illud esse uidetur, quod ipsa res & tractatio rei conuincit, profectam esse ab apostolo. quod ipsa probabimus tractatione. Si uerò patres illi beati suo seculo suis ecclesijs Apocalypsim exposuerunt, cur non liceat & nobis nostro seculo, nostrisq; hominib. in quos fines seculorum deuenerunt, omniaq; nunc plenius quàm tunc completa sunt, enarrare? Quinimò nobis maximè, nostrisque seculis hæc deseruiunt, utpote cũ nos sub Antichristo desudemus & exerceamur? Frustra ergo ganniunt multi, librum hunc esse obscurum, & ideo exponi aut intelligi non posse: eaq; de causa nulla cum utilitate, nullo cum profectu prælegi in ecclesia. Vt enim nihil dicam de eo quod nihil traditum est sacris literis, quod non eximium habeat fructum: nec protinus desperãdum esse de intellectu sano, licet primo intuitu obscuro sacrarum literarũ, qui ab ipso Deo aperitur, & ut aperiatur, precib. & pietate obtinetur: certè non ignoramus, malle nonnullos nihil dici de Antichristo, quo securius hic regnet, & ipsi minus inuoluantur periculis. Verùm Christus hunc nos turbare iubet. Pergamus ergo in opere Domini.

Epiphanius.

Hieronymus.

Philastrius.

Ambrosius.

Augustinus.

Primasius.

Andreas Cæs. & Aretas.

Apocalypsis exponenda est ecclesijs.

Ioan. nõ nullã facit Christi mentionem. Quod uerò illos offendit, quòd exiguam uel nullam Christi mentionem Ioannes faciat, cum tamen apostolorum sit, ubiq; Christum, gratiamq; redemptionis inculcare:

ducimus

ducimus ipsum librum propius inspectum, contrarium planè euincere. Cuius iam argumentum commemorabo.

Christi plena descriptio.

Zacharias propheta totum Christi mysterium in 3. cap. obijcit omnium oculis in typo euidentissimo spectandum. Videt enim Iesum summum sacerdotem indutum uestibus sordidis, & titioni ex igne eruto similem, multam à sathana pati contradictionem: mox eundem exui sordidis, candida indui, glorificari, & regem sacerdotemq; declarari, saluatorem uniuersorum. Hunc typum exponit Ioan. apostolus & euangelista: ac principiò quidem edito euangelio Christum in sordidis uestib. describit, quantam ab impijs captus cõtradictionem, cruci tandem sit suffixus. Attingit ibidem & gloriam: quam tamen subiuncta Apocalypsi copiosius exponit, eundem in candida ueste & gloria nobis exhibens, quomodo uidelicet post humiliationem exaltatus, nomẽ sortitus sit supra omne nomen: & nunc existens in gloria, nihilominus agat in ecclesia, saluator omnium fidelium in ecclesia. In epistola sua totum hoc mysterium pietatis omnibus commendat & inculcat.

Argumentum & partitio Apocalypsis.

Liber enim totus sex absoluitur partibus. 1. Principiò enim titulus ponitur, cum exordio summaq; operis, & breui narratione: idq; in prima parte primi capitis. 2. Deinde à medio primi capitis ad 4. usq; cap. describitur Christus in gloria regnãs ad dexteram patris, declaraturq; quomodo uersetur in ecclesia per spiritum suum & ministerium uerbi. Quid cœlitùs doceat, & quæ sit sincera ecclesię doctrina, quę reparatio item collapsarum ecclesiarum, & earundem conseruatio. 3. Inde à cap. 4. ad 12. usq; diligenter admonet Christus ecclesiam per 7. sigilla & 7. tubas, quæ euentura sint ecclesiæ, quę omnia iustissimè ab ipso Deo per agnum Christum gubernentur. 4. Porrò à cap. 12. ad 15. usq;, plenius describitur certamen ecclesiæ cum dracone ueteri, atq; adeò cum uetere bestia & noua. Vbi & Romana tyrannis uetus & noua, adeoq; ipse Antichristus diligenter nobis depingitur suis coloribus. Quanquam & sequentibus hæc rursus dilucidius illustrentur. 5. Hinc à 15. cap. usq; in 22. commemorantur pœnæ & supplicia Antichristi & antichristianorũ, ipsorumq; interitus, omniumq; impiorum condemnatio. Iudex quoq; Christus demonstratur, & iudicij processus externi adumbratur. Triumphus item, gaudium & præmium sanctorum commemoratur. Vbi etiam oculis nostris contemplandum ipsum aperitur cœlum, ut nunc fide inspiciamus in illud. Aperitur abyssus inferni, ut inspiciamus etiam in ipsam: & caueamus sedulò, ne illuc præcipites perturbemur. 6. Postremò sub finem cap. 22. sequitur cõclusio, & commendatio cum obsignatione operis.

Liber diuisus per uisiones.

Non dissimulabo hic & aliam operis huius partitionem, quam interpretes ferè sequutos esse uideo, non aspernandam. Principiò enim recensent titulum & exordium. Deinde uerò subiungunt ipsum opus uniuersum, per septem uisiones distinctum. Et quidem frequentissimus & quasi peculiaris est huic libro numerus septenarius. Postremò adiungunt operis conclusionem, ultimo fermè capite comprehensam. Sunt autem hæ uisiones suis circumscriptæ limitibus. In primis capitib. tribus exponitur uisio prima, exhibens nobis Christum regnantem in gloria, & gubernantem disponentemq; & corrigentem conseruantemq; suam ecclesiam. Secunda uisio incipit 4. cap. & extenditur ad 8. usq; caput. Ea ipsum Deum & Christum eius spectandum proponit, cuius iustissimam prædicat gubernationem rerum in orbe omnium, & aperit sigilla septem. Tertia uisio habet septem angelos, septem tubis clangentes, quæ tractatio ad cap. usq; 12. pertingit. Quarta uisio exponit pugnam mulieris cum serpente, ac exhibet nobis ueterem sepcticipem & nouam bicornem bestiam spectandam, Antichristi descriptionem, idq; per cap. 12. 13 & 14. Visione quinta angeli septem, phialas iræ diuinæ septem effundũt, ad 17 usq; cap. Inde incipit uisio sexta, & progreditur usq; ad cap. 21. differitq;, de iustissimo Dei iudicio in Babylonem in scortũ Babylonicũ, in Antichristianos, denique in impios omnes & impœnitentes homines. Septima & ultima uisio omniũ fidelium oculis proponit gloriam & perpetuam sanctorum beatitudinẽ. Et hæc quidem diuisio operis, magnam habet gratiam & affinitatem cum reliquis quæ in hoc libro ferè omnia tractantur per numerum septenarium. Sequatur lector, quam uoluerit.

Quæ utilitas ex Apocalypsi.

Ex his iam quilibet intelligere poteſt, librum hunc prorſus eſſe apoſtolicum, & eximiè utilem omnibus nobis, præcipuè in quos termini ſeculorum inciderunt. Facilior item erit hic nobis liber, quòd iam ſint omnia ferè completa. Viſus eſt Daniel mera ſomnia narrare, cum ante monarchias prophetaret de monarchijs: ubi autem ea completa ſunt, quæ prophetauit, uiſus eſt multis hiſtoriam contexuiſſe. Hoc ipſum, ſat ſcio, iudicabis & de hoc ipſo Ioannis libro. Vtilitates duntaxat pauculas ex multis enumerabimus. Principiò habemus in hoc libro pleniſsimam Chriſti deſcriptionem, regnantis in gloria, regis inquam, & pontificis noſtri: & quomodo gubernet ſuam eccleſiam, & ſaluator ſit omnium fidelium. Habemus item eccleſiæ Chriſti elegantiſsimam deſcriptionem, & quomodo eadem extruatur, reparetur & conſeruetur. Deinde habemus pleniſsimam deſcriptionem Antichriſti, membrorum eius, & ſynagogæ, conſiliorumque, regni, artium, truculentię & interituum eiuſdem: à quo nos cauere iubet. Præterea habemus compendium hiſtoriarum à temporibus Chriſti, ad finem uſq; ſeculi. Deniq; abſolutam & certam prophetiam de rebus futuris, ut nihil opus ſit prophetijs Methodij, Cyrilli, Merlini, Brigittæ, Nollhardi, & quorundã nugonũ. Habemus itẽ maximam eccleſiæ conſolationem in aduerſis, dum & Agnum uidemus aperire ſigilla, & prouidentia Dei omnia fieri, & finem eſſe malorum: & ſemper futuram, etiam inuitis diabolis, Eccleſiam. Poſtremò habemus doctrinam copioſiſsimam & firmiſsimam de iudice & iudicio extremo, de pœnis & præmijs. Hæc inquã omnia ipſa tractatio paſſim exhibebit, ad ædificationem noſtri, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

De titulo totius Operis, & explicatio eius.

CONCIO II.

Membra tria primæ partis.

DIxi, totum librum abſolui partibus ſex. Inſpicienda iam prima pars. Ea habet tria potiſsimum: titulum, exordium, & narrationem breuiculam. In præſenti de titulo duntaxat dicemus, qui ita habet:

CAP. I.

REVELATIO Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus, ut oſtenderet ſeruis ſuis, quæ oporteat fieri citò: & ſignificauit, emiſſo mandato per angelum ſuum, ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtificatus eſt ſermonem Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, & quæcunq; uidit. Beatus qui legit: & qui audiunt uerba prophetiæ, & ſeruant ea quæ in ea ſcripta ſunt. Tempus enim propè.

Titulus operis.

Titulus hic copioſus eſt, & explicat omnes utiles circunſtantias, quæ explicandæ ueniunt circa librorum initia. Septem enim conſideranda nobis proponuntur.

Reuelatio Ieſu Chriſti.

Principiò, ponitur titulus uel inſcriptio totius operis. ea eſt, Apocalypſis: id eſt, reuelatio Ieſu Chriſti, quæ ſcilicet aperta uel reuelata eſt authore Ieſu Chriſto. Titulus hic ab initio conuincit, opus hoc nõ eſſe commentum humanum, ſed diuinam doctrinam: utpotè quam aperuit Dominus, rex & ſacerdos noſter Ieſus Chriſtus, è cœlis, à dextera patris, fungens ibi ſacerdotis munere, & docens nos adhuc utilia. Quanquã uerò illa & Ioãnis dicatur Reuelatio, nõ alio tamen nomine huic uendicatur, quàm quòd ſcriba illã excepit & edidit. Deinde clarius adhuc explicatur, unde ſit illa reuelatio: ex ipſo Deo.

Vnde illa reuelatio.

Dicit enim: Quam dedit illi, Chriſto inquã, Deus, utiq; pater. Eſt enim diſtinctio perſonarũ in adoranda trinitate. Et quanquã omnia patris, etiã filij ſint: & omnia filij, patris quoq;: cõmemorat tamẽ ſcriptura patrẽ filio dare, & filiũ à patre accipere. Id quod omnes ueteres, pietate dictante expoſuerũt, per diſpẽſationis myſteriũ. Accepit enim aliquid filius à patre, tanquã homo: qui alioqui ut uerus Dei filius dicit, Glorifica tu me pater gloria quã habui apud te, antequã hic mundus eſſet. Ioannis 17. Præterea filius eſt ſapientia, uerbum & os patris, per quẽ Deus olim & nunc loquutus eſt & loquitur patrib. prophetis, apoſtolis, & Eccleſiæ uniuerſæ. Dedit pater filio hoc officij per diſpenſationẽ, ut ſit pontifex. Deũ enim nemo uidit unquam: unigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe reuelauit nobis. Sciamus ergo, hanc diuinam eſſe reuelationem, quam Deus pater, amans

amans genus hominum, reuelauit per unicum põtificem Christum ſuę eccleſiæ. Ita uerò coniungit patrem & filium, ut ſalua nihilominus ſit perſonarum ſancta diſtinctio.

In quẽ finem, & quib. reuelata.

Iam etiã adijcitur, in quem finem Deus pater reuelarit, aut dederit reuelandi munus, officiũ inquam ſacerdotale, filio ſuo, Domino noſtro Ieſu Chriſto: nimirum ut reuelata illa Ἀείξαι, ζεύγτε, demonſtraret, & ueluti oculis ſubijceret ſeruis ſuis, cultorib. ſcilicet & Chriſtianis, qui ſerui Dei appellantur propter ſpontaneam obedientiam. Et ut ſeruus Domini ſeruus eſt, & domino omnia quæ eſt & habet, debet: ita nos Deo debemus nos totos, & omnia noſtra. Alioqui liberi, non ſerui ſumus. Ioan. 8. Simul explicatur, quibus aperta ſit hæc reuelatio: omnibus Dei ſeruis. Si ergo gaudes appellari ſeruus Dei, audi hunc librum, & retine: & agnoſce, tibi hunc librum à Deo eſſe paratum.

Quæ reuelata.

Poſt hæc paucis comprehendit, quid uel quæ reuelarit Ioanni Chriſtus, quæ oportet fieri citò. Fata ergo eccleſię commemorantur, quæ bona & mala obuentura ſint pijs, quæ item infligenda ſupplicia impijs. Nemo autem colligat ex uerbo Oportet, neceſſitatem, quaſi non liberè agat Deus: aut non noſtra culpa, ſed Dei impulſione impij faciant mala. Bona oportet fieri, quia Deus promiſsione ſua ſe nobis uoluntariè obſtringẽs, nõ poteſt nõ facere quod facit & promiſit: nihilominus liberè agit. Bona in pijs oportet fieri, quia ea eſt gratiæ & fidei natura, ut impietatis propriũ eſt contemnere & præuaricari. Vnde etiam oportet eos puniri. Et quia mũdus talis eſt, qualis eſt, oportet omnino eſſe hæreſes & calamitates innumeras. Citò autem dicit ea futura quæ reuelata ſunt, quia quædam ipſa ætate Ioannis cœperunt. Et quamuis multa poſt mille annos facta deprehendantur, dicit tamen apoſtolus Petrus 2. Pet. 3. Mille anni coram Domino ſunt quaſi heſterna dies. Itaq; pertinet hæc reuelatio ad tempora primitiuæ & poſtremæ eccleſię: & exponit quæcunq; euenerint ei uſque ad iudicium. Quinimò quomodo in æternum ſit regnatura.

Quomodo oporteat res fieri bonas et malas.

Reuelationis modus.

Præterea attingitur & reuelationis modus. Reuelauit enim illa Chriſtus, mittẽs per angelum ſuum, ſiue emiſſo angelo ſuo, cui quod diceret & ageret mandatum dedit. unde hic angelus poſtea etiam appellatur Chriſtus, quia ſuſtinuit perſonam Chriſti. Ergo non angelus in hoc libro, ſed Chriſtus ſemper eſt ſpectandus, uerus omnium horum author. Et quidem diuinitas Chriſti hic nobis commendatur, cum audiamus Chriſtum eſſe angelorum dominum. De quo copioſius diſputauit Paulus ad Heb. 1. Moſes Numeri 12. tres potiſsimum prophetandi uel reuelationis modos poſuit, Principiò uiſionem, quales Danieli aſcribuntur plures, celebris Petro Actorum 10. & Paulo Actorum 16. obuenit. Et in hanc claſſem referimus etiam Apocalypſim. Deinde ſomnium: qualia fuere Pharaonis & Nabuchod. regum, quorum interpretes fuerũt Ioſeph & Daniel. Viſiones & ſomnia commemorat & Ioel in 2. cap. Nam & in nouo Teſtam. ſomnia ſacra & prophetica ſunt plurima. Poſtremò commemorat Moſes diſertam expoſitionem, quales plurimæ erant factæ Moſi & Apoſtolis. In cuius cõſortium & Apocalypſis utcunq; uenit, cum uiſiones palàm explicantur. Apparet hic ineffabilis Dei bonitas, qui tanta uarietate ſalutem noſtram condit & aperit, ſuauiterq; conditam offert nobis fruendam. Infelix eſt, qui hæc non agnoſcit.

Tres modi prophetãdi.

Accedit his, quòd multis commemorat, cui Chriſtus diuinam excellentiſsimamq; hanc reuelationem aperuerit, Ioanni. Hunc, id eſt ſemetipſum ornat (ita enim conueniebat, ad retundendos aduerſarios, cũ & Paulus ſæpe ſuã aſſerat autoritatẽ contra pſeudoapoſtolos) quatuor epithetis. Principiò enim appellat ſe ſeruum Chriſti. is titulus uetuſtiſsimus & nobiliſsimus eſt, quem uſurparunt patres, prophetæ & apoſtoli. Sunt enim dediti, & peculiũ Dei, &c. Deinde Ioannes teſtificatus eſt ſermonem Dei inter apoſtolos, ſignificatiſsimè explicans diuinitatem Chriſti, maximè cum teſtificaretur & diceret: In principio erat ſermo, Ioan. 1. Præterea teſtificatus eſt teſtimonium Ieſu Chriſti: quo nomine ipſe Dominus in Euangelio, & Ioan. in cap. Euangelij 21. totam doctrinam euangelicam complexus eſt. Et horum quidem omnium fuit oculatus teſtis. Nam 1. cap. Et uidimus, ait, gloriã eius. & 19. cap. Vidit aquã & ſanguinem manare ex latere Domini. In epiſtola ſua: Quod uidimus, inquit, & audiuimus, &c. Aretas annotat, in quibuſdam Græcis exemplaribus addi, quod & in Complutẽſi Græco habetur,

Cui reuelata & quo authore ſit ſcripta.

Et quæcunque audiuit, & quæcunque sunt, & quæcunque oportet fieri post hæc.

Ioannis encomium. Ioannes ergo ille huius libri author est, qui ut Dominum in carne uidit in terris, ita eundem uidit per spiritum hæc reuelantem, in cœlis: & proponit ecclesiæ uisa comperta & certissima. Hic Ioannes fuit Domino dilectus discipulus, qui in ultima cœna in pectore eius recubuit, cui ultimo testamento matrem in cruce commendauit, uirgini uirginem. Solus hic adstabat ad aram crucis morienti Christo: testis mortis ueræ, & purificationis nostræ. Vixit usq; ad tẽpora Traiani, quod ex Irenæo citat Eusebius in Chronicis, in consignatione anni 103. à natiuitate Christi. Dorotheus scriptor uetustiss. tradit, Ioannem uixisse annis 120.

Vtilitas huius reuelationis. Prophetia hic liber. Postremò perstringitur etiam huius diuini operis seu reuelationis utilitas, ut ea lectores & auditores excitentur ad diligentiam. ubi liber iste etiam appellatur Prophetia. Est enim hic liber propter prædictiones rerum, futurarum noui Testamenti prophetia: præterea etiam prophetia, id est, explicatio, quæ ueteres prophetas recludit & illustrat. Beatitudinem uerò promittit legentibus, audientibus, & seruantibus ea quæ in libro hoc scripta sunt. Beatitudo comprehendit nimirum bona præsentis uitæ, quatenus ea conceduntur pijs à Domino: maximè autem futuræ uitæ. De utilitate huius libri etiam antea dictum est nonnihil, in Concione prima. Et obserua, quòd non sufficit lectio aut auscultatio huius libri. Oportet hanc opere perfici, & diligẽter custodiri. Nam & in Euangelio dixit Dominus: Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Qui ergo uitam suam composuerint ad hunc librum, felices sunt. Nam & seductionem Antichristi effugiunt, in fide Christi manent, & in æternum uiuunt, &c.

Claudit autem titulum epiphonemate, quo omnes auditores uehementer percellit: Tempus enim propè. Quasi dicat: Nemo putet hic aliena, & nihil ad se pertinentia narrari, quę futura sint demum post multa secula. Ad quemlibet nostrûm hæc pertinent. Nam de rebus nos maximè attinentibus, adeoq; de reb. nostris conscripta sunt. Sic indicat, librum hunc utilem esse omnibus seculis, hominibus & ætatibus. Deus pater per filium docentem utilia, & admonentem satis maturè & in tempore, sit laudatus in secula seculorum: Amen.

De exordio huius Libri, salutationeq; Apostolica, in qua explicantur in primis Christi, deinde totius fidei & redemptionis nostræ mysteria.

CONCIO III.

IOannes septẽ ecclesijs quæ sunt in Asia: Gratia uobis & pax, abeo qui est, qui erat, & qui uẽturus est: & à septẽ spiritibus, qui in cõspectu throni eius sunt: & à Iesu Christo, q est testis fidelis, primogenitus ex mortuis, & princeps regũ terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, per sanguinẽ ipsius: & fecit nos regnũ, & sacerdotes Deo & Patri suo. Ipsi gloria & imperium in secula seculorũ, Amen. Ecce uenit cũ nubibus: & uidebit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Etiam amen. Ego sum A & Ω, principium & finis: dicit Dominus qui est, & qui erat, & qui uenturus est Omnipotens.

Exordium & præfatio operis. Alterum caput primæ partis huius libri, continet exordium uel præfaciunculam, in qua est salutatio apostolica, qua quidem in primis totũ Christi, deinde fidei orthodoxæ & redemptionis nostræ mysterium describit. Sic enim solebãt apostoli in principijs librorum salutis cõplecti summam breuem: id quod in Paulinis epistolis ubiq; obuium est. Ea descriptione reddit omnes beneuolos simul & attentos.

Salutatio apostolica qualis. Salutatio apostolica nihil aliud est, quàm benedictio. Vetus quidem institutum est benedictio, qua Patriarchæ filijs suis imprecabantur à Deo bona omnigena, animæ & corpo-

corporis. Quod quidem in Geneſi multis deſcribitur. Sed & pontifici dabatur mandatum benedicẽdi populo: ut legimus Numeri 6. Singulariter iubet ponere nomen ſuum ſuper populũ. Superſtitioſum ergo eſt dicere, *Nun bhût dich das heilig crütz, vnd vnſere frouw.* Deus quidem, à quo omne donũ eſt cœlitùs deſcendens, benedicit, id eſt bona confert: miniſtri uerò, uel homines imprecantur duntaxat. Et Dominus quidem in lege promiſit, ſe illa collaturum populo fideli, quæ pontifices imprecati fuiſſent. Verba ergo non conferunt, nec characteres: ſed ueritas & uirtus Dei confert dona. Dubitare ergo non debemus, quin & nobis Deus conceſſurus ſit benedictionem Apoſtolicam, ut Deo accepti & reconciliati pacem habeamus.

Ioannes interpres Chriſti erga eccleſias.

Principiò autem repetit nomẽ ſuum Ioannes, ne quid dubitemus de authore & ſcriptore, quo uidemus Chriſtũ eſſe uſum tanquam interprete & ſcriba ad omnes eccleſias. Non autem repetit ſe eſſe ſeruum Dei, & teſtem uel apoſtolum Ieſu Chriſti. Sat fuit illud ab initio audiuiſſe. Modeſtiam ergo & humilitatem docet eos quoque, qui magna dona conſequuti ſunt. Deinde quibus ſcribat, & ad quos pertineat hic liber, ſignificat, ad ſeptem eccleſias Aſiæ, quarum nomina paulopòſt edet. Aretas autem epiſcopus Cæſarienſis, Per ſeptem, inquit, eccleſias & ſeptenarium numerum, multitudinem eccleſiarum ubique locorum conſiſtentium deſignauit. Sic exponit ſeptenarium numerum & Primaſius Vticẽſis, Aphricanus epiſcopus. Pertinet ergo hæc ſalutatio, hic liber, & tota doctrina Ieſu Chriſti, conſcripta per Ioannẽ, ad uniuerſalem Chriſti in toto orbe terrarum & per omnia ſecula exiſtentem eccleſiam. Vnde etiam ad nos omnes pertinet, quotquot ſumus in Chriſti eccleſia. Nã etſi Romanis & Galatis ſint inſcriptæ epiſtolæ, tamen non ideo ſequitur, noſtras non eſſe. Significanter autẽ ſcribit ad Aſiaticas, non ad Hieroſolymitanam, uel Iudaicas eccleſias: ut uel ſic oſtenderet, regnum Chriſti iam etiam perueniſſe ad gentes. & ſicut Deus ab initio Iſraelem elegit, in quo proponeret exemplum perfectum eccleſię & reipub. ita ab initio noui Teſtam. elegit iam ſeptem illas eccleſias ex gentibus, quas proponeret toti orbi Chriſtiano. Porrò ſi in his eccleſijs primum locum obtineret Roma, ſicut Epheſus, Deus bone, quantopere exornarẽt hoc Romanenſes, pro ſuo primatu aſſerendo?

Septem eccleſiæ uniuerſalẽ repræſentant.

Ad quos pertineat hic liber.

Formula autem ſalutationis Apoſtolicæ imprecatur gratiam & pacem. Gratia, eſt fauor numinis, & reconciliatio, qua Deus pater propter Chriſtum nobiſcum redijt in gratiam, condonatis peccatis, & adoptatis in filios. Inde enaſcitur pax animorum, & tranquillitas, ſtudium item concordiæ cum omnibus.

Formula apoſtolicæ benedictionis.

Oſtendit autem hic copioſè, quis conferat eccleſiæ benedictionem ſuam, id eſt, gratiam, recõciliationem & pacem: Deus, & Deus quidem trinus in perſonis, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Deus eſſentia unus. Cæterùm pulchrè hic diſtinguit perſonas. Ab eo qui eſt, patre nimirum: & à ſeptem ſpiritibus, id eſt, à ſpiritu ſancto: & à Ieſu Chriſto, hoc eſt perſonarum diſcrimẽ. Vnitatis autem ſignificatio eſt, cum poſt explicatas perſonarum proprietates, ſubiungit: Ego ſum A & Ω, &c. Et quòd hic medius collocatur ſpiritus, nihil turbat trinitatis myſterium: ſed argumẽtum eſſe uidetur, quòd utriuſq; tam patris quàm filij ſit ſpiritus, ac procedat ab utroq;. Sicuti aliàs quoq; euincitur ex uerbis Domini, Ioan. 14. 15. 16. Simul autem deſcribitur totum ſalutare myſterium, Chriſti in primis, deinde fidei catholicæ & redemptionis noſtræ, ut in his potiſsimos inuenias Symboli apoſtolici articulos, habeasq; hic elegantiſsimam Chriſti Domini deſcriptionem. Inde iudicabunt ſinguli, quàm uerè quidam dicant, hunc librum, præter apoſtolicam conſuetudinem, raram Chriſti fideiq; mentionem facere.

Deus trinus & unus.

Medius collocatur ſpiritus.

Pater fons & origo, ex quo generatur filius, primò deſcribitur: quòd is, inquam, ſit qui eſt, qui erat, & qui uenturus eſt. Sũpſit ea uerba Ioan. ex Moſis Exod. cap. 3. & 34. & ex multis Iſaiæ teſtimonijs. Nihil autem dicit, quàm Deum patrem eſſe æternã eſſentiam, quæ per ſeipſam ſubſiſtat, & eſſe uitamq; conferat omnib. atq; eandem conſeruet in omnibus. Eam uerò eſſentiã talem eſſe, ut fuerit ſemper ſine principio. Id enim eſt, quod eſſe uel exiſtentię iungit, Erat. Subiungit, Et qui uenturus eſt (ἐρχόμενος) qui futurus adeoq; & permanſurus eſt in finem uſq;, & in ſempiternitatẽ abſq; fine. Græci θεὸν deriuant ἀπὸ τοῦ θέειν, ab accurrẽdo, quòd ueniens & accurrens, ſe miſceat rebus omnibus: ubiq;

Pater qui eſt, qui erat, &c.

ubiq; præsens sit, auxilium suum pijs adferens, uel impios cohercens. *Gott ist, der da ist, der da was, vnd künfftig oder ewirig, ewig ist.*

Septem spiritus. Spiritus uerò sanctus cum unus modò sit, propter septemplicem, id est omnimodam gratiam & dona multifaria, septenarius, ut sic dicam, appellatur: Et à septem spiritibus, ait Ioannes, id est, ab eo spiritu qui septemplici instructus est gratia. Dona illa uaria aliquatenus exponuntur ab Isaia in 11. cap. & aliàs in scripturis. Hic dicitur esse in conspectu throni, id est ante thronum Dei, cõiunctus utiq; in gubernatione patri & filio. Thronus enim pro regno non rarò usurpatur. Spiritus ergo eiusdem est cum Deo gloriæ, potestatis, maiestatis, &c.

Descriptio Christi. Iam peruenit ad Christum, quem per suas proprietates copiosissimè describit. Scitis, Iesus nomen esse Christi proprium: quod Matthæus exponit, Saluator. Christus cognomen esse officij & dignitatis: quasi tu dicas Vnctus, id est, pontifex & rex.

Christus testis fidelis. Matth. 18. 2. Pet. 3. Ioan. 3. Matth. 7. & 1. Thess. 4. 1. Principiò appellat Christum Dominum nostrum testem fidelem, idq; ex Isaiæ cap. 49. & 50. Missus est enim orbi à patre cœlitùs, apostolus, qui testificetur uoluntatem Dei, quid uelit fieri cum hominibus: nempe quòd uelit saluare mundum per filium, & fidem in ipsum, quæ fit obediẽs legi Dei. Oportet enim facere uoluntatem patris. Hic Christus testis est fidelis, id est, certus, cõstans, uerax: de cuius doctrina nemo debet dubitare. Deum nemo uidit unquam: unigenitus qui est in sinu patris, ille enarrauit. Hic igitur est Pontifex & doctor ecclesiæ catholicus. Quicunque ab hoc dissident, fugiendi sunt. Hunc audite, dicit pater, Matth. 17. 2. Pet. 1.

Christus primitiæ resurgentium. 2. Primogenitus est ex mortuis. Nam mortuus est propter peccata nostra uerè: resurrexit autem ex mortuis, & factus primogenitus mortuorũ, dominus mortis, & uictor, in quo uidemus quòd & nos simus resurrecturi, & quo modo. De quo 1. Corinth. 15. Sicut autem in prima proprietate adumbrat Christi humanitatem, in qua docuit, & diuinitatẽ, qua fidelis & uerax & catholicus pontifex fuit, & est adhuc hodie: ita in secunda, articuli Symboli de morte Christi & resurrectione eius confirmantur. Adde his & articulum de Resurrectione mortuorum.

Christus princeps regum terræ. 3. Christus princeps est regum terræ, monarchà utiquè & dominus dominantiũ: qui accepit nomẽ supra omne nomen, Dominus angelorum, & omnium creaturarum, cui subiecta sunt omnia: sicut exponit apostolus Colos. 1. & Philip. 2. Non autem abolet reges & magistratus, qui uult esse rex regum, dominus dominãtium. Si enim nulli reges essent, quomodo esset Christus rex regum? Sacerrimi imperatores Cõstantius, Constantinus, Theodosius & Iustinianus, agnouerũt se uasallos esse Christi: regnũ esse Christi, se esse subiectos. Hos agnoscit pro suis Christus, per quos gubernet sanguine suo assertos. Qui se superbè populo præferunt, se dominos esse rerũ iactitant, & non agnoscunt Christum rerum monarcham, insaniunt. In hisuerò comprehenduntur quæ in articulis fidei confitemur, ascendisse Christum in cœlos, & sedere ad dexteram patris: id est, summam accepisse potestatem omnium in cœlo & in terra. Ephes. 1. Act. 2.

Christus dilexit nos. 4. Christus dilexit nos dilectione incomparabili. Nam ipse dixit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animã suam ponat pro amicis suis. Eandem dilectionem amplificat apostolus, Rom. 5. cap. Insignis autem dilectio commouit Christum, ut cœlitùs descenderet, & incarnaretur, atq; nos morte sua redimeret. Gratuita dilectione nos dilexit, nullo nostro prouocatus merito. Nam, ut de patre idem hic Ioannes in Canonica dicit, in hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris: ita de filio intelligendum, quòd ipse propensa in nos fuerit & sit uoluntate, non nostra adactus dilectione, qua ipsum fuerimus complexi. Ex illa autem dilectione gratuita erga genus humanum, tradidit se in mortem, & abluit nos à peccatis nostris. nam additur mox: Per sanguinem ipsius. Vbi tria nobis obseruãda uidẽtur. Primum, abluere, purgare, abstergere uel mundare Christum fideles: & quidem plenissimè, non ex parte. Alluit ad ablutiones legis, quas & exposuit. Dauid enim canit: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Eandem loquutionem repetit Isaias in cap. 1. Micheas quoq; dicit: Reuertetur, & nostri miserebitur Dominus, calcabit iniquitates nostras:

Christus ablauit.

&

& deijcies in abyſſum maris omnia peccata eorum. Mich. 7. In Ezechiele ait Dominus, cap. 36. Spargam ſuper uos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris. Illa complens Chriſtus Dominus, abluit nos, purgat, & plenè mundat tam à culpa quàm à pœna. Poſterius, Mundat à peccatis noſtris, non ab uno peccato, ſed ab omnibus. Id quod & ſuperioribus teſtimonijs cõprobatum eſt, & comprobatur iterum 1. Ioan. 1. & 2. cap. Poſtremum: Traditur etiam modus purificandi, per ſanguinem. Nam ſine ſanguinis effuſione nulla fiebat remiſsio: Heb. 9. Morte ergo interueniente, & ſanguine effuſo, plenaria fidelibus omnium peccatorum remiſsio eſt comparata. Qui alium remiſsionis peccatorum modum proferunt, iniurij ſunt in mortem & ſanguinem filij Dei. Atq; in his perſpicuè uidemus tradi articulum Symboli apoſtolici, Credo remiſsionem peccatorum.

Chriſtus abluit omnia peccata.

Per ſanguinẽ abluit.

Quinto loco oſtenditur effectus redemptionis noſtræ, purgationisque. Effecit enim Chriſtus, ut quotquot credimus in patrem per filiũ Dei, ſimus reges & ſacerdotes Deo & patri ſuo. Aretas & Complutenſe exemplum legunt non reges, ſed βασιλείαν, id eſt regnum: quod & ipſum non malè legitur. Regnum enim Dei ſumus, quia Deus per ſpiritum ſuum, non caro, non mundus, regnare in nobis debet: & cum ſpiritui permittimus imperium, Dei regnum ſumus: id quod Paulus fuſiſsimè tractat ad Rom. cap. 6. Porrò reges, id eſt liberi ſumus facti, per Chriſtum, ne ſeruiamus diabolo, carni & mũdo. Iuxta illud Zachariæ: Vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus ipſi, in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus dieb. uitæ noſtræ. Sacerdotes uerò nos cõſecrauit ſpiritu & ſanguine ſuo Chriſtus, ut Deo offeramus ſpiritualia ſacrificia, noſmetipſos puros, preces & laudes, & eleemoſynas. Has enim eſſe hoſtias ſpirituales, teſtantur Petrus & Paulus, 1. Petri 2. Rom. 12. 15. Philipp. 4. Hebr. 13. Sumpſit autem hæc beatus Ioannes ex 19. cap. Exodi: Nos enim qui ex gentibus credimus, in locum populi Iſraelitici, Chriſtum per incredulitatem reijcientis, ſucceſsimus. Et hæc quidem illuſtrant articulum Symboli, Credo ſanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem. Sumus enim, quotquot credimus, cœtus populi Dei, ſanctificatus per Chriſtum, ad cultum Dei. De quo hæc hactenus.

Effectus redẽptionis Chriſti in fidelibus.

Reges ſumus.

Sacerdotes ſumus.

Sexto loco, in deſcriptione Chriſti oſtendit, Deo ſoli per Chriſtum in eccleſia deberi gloriam & imperium in ſecula ſeculorũ. Gloriam Deo damus, cũ ipſius bonitati trãſcribimus ſalutem noſtram, & omne bonum, non noſtris uirib. & meritis. Imperium ei damus, cum agnoſcimus illum eſſe Dominum & caput in eccleſia, operantem per ſe, non per ſanctos cœlites, quib. poteſtatem conceſſerit: non per Papam, quem in terris conſtituerit uicarium. Chriſti eſt omnis gloria, & imperium totum.

Dei eſt gloria & regnum.

Septimo, in deſcriptione Chriſti ſequitur aduentus ipſius in iudicium, & modus aduentus. Sicut enim nubes ſuſcepit eum ab oculis Apoſtolorum, ita in nubibus ueniet iudicaturus uiuos & mortuos: ſcriptura id teſtante, Matth. 24. Act. 1. & 1. ad Theſs. 4. Addit autem, omnium oculos uiſuros iudicem, etiam eorum qui ipſum compunxerũt. Vnde duo colligimus. Primum, uniuerſale fore iudicium, in quo reſurgentes proprijs Chriſtum oculis uidebunt: Iob 19. Alterum, in ea carne Chriſtum rediturũ in iudicium, in qua uulneratus & confoſſus, pependit in cruce, ſepultus eſt, & reſurrexit. Locus hic ſumptus eſt ex 13. cap. Zachariæ, & citatur etiam à Ioan. in Euangelio cap. 19. Oportet autem ſtigmatis inſignitum corpus toti mundo exhiberi, ut inde iudicentur & pij & impij: illi, quòd ſe huiuſmodi redemptori crediderunt: hi, quòd talem repulerunt & contempſerunt. De his intelligimus quod adiungitur: Et plangent (κόψονται) *werdend ſich ryſſen, hülen vnd ſchlahen*, quòd ſcilicet neglexerunt ſuam ſalutem: id quod copioſius exequitur ſapiens, Sapien. 3. & 5. Porrò ne quis dubitaret de ijs quæ dicta ſunt de iudicio & planctu impiorum (ſicut Petrus futuros dixit contemptores & irriſores iudicij, 2. Petri 3.) confirmationis formulam addit, Etiam, Amen, *das iſt gwißlich war*. Explicatur illis quoq; fidei articulus de Chriſto iudicaturo uiuos & mortuos. Concludit hunc locum hiſce uerbis: Ego ſum Α & Ω. Quod ſequitur (Principium & finis) omittitur in quibuſdam exemplaribus: quaſi interpretatio illius, Ego ſum Α & Ω, irrepſerit ex margine. Pro uerbium eſt apoſtoli Ioan. Ego ſum Α & Ω. Hæretici, ut Baſilides & Valentinus, mirifi-

Chriſtus uenict in iudiciũ.

Certa quæ dicuntur de iudicio.

cè

cè philoſophabantur in literis. At contra literarios illos hæteticos Ioan. ſimpliciter dicit ex ore Chriſti: Ego ſum A & Ω, ſi quid literis tribuendum, ego hoc totum ſum, ipſa æterna uirtus, eſſentia, æternitas. Nam ſenſus eſt: Deum eſſe principium & finem, id eſt, æternum, ineffabilem, opt. maximum. Repetuntur illa: Qui eſt, & qui erat, &c. quæ prius ſunt expoſita. Additur: Omnipotens. His enim declaratur Dei unitas & maieſtas, cuius trinitas ſuprà quoq; patuit. Simul etiam confirmatur libri huius authoritas, cuius author oſtenditur Deus ille æternus & omnipotens. Cui gloria.

De narratione huius Libri, ubi & de loco & tempore, authoreq; reuelationis huius diſſeritur.

CONCIO IIII.

EGO Ioannes, qui & frater ueſter ſum, & particeps in afflictione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula quæ appellatur Patmos, propter ſermonem Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti. Fui in ſpiritu, in Dominico die: & audiui poſt me uocem magnam, tanquam tubæ dicentis: Ego ſum A & Ω, primus & nouiſsimus. quod uides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem eccleſijs quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ.

Narratio. Vltimus locus primæ partis exhibet nobis narratiunculam breuem, qua Ioannes apoſtolus nobis exponit locum & tempus reuelationis, & quo iubente ſcripſerit & miſerit illam ſeptem Aſiaticis eccleſijs.

Rurſus autem & tertiùm modò Ioannis nomen inculcatur. Vidit haud dubiè, non defore qui, ut uſum & fructum libri huius tollerent, de authore dubitarent: contra quos ſuum nomen toties repetit & inculcat, ne de authore dubitaremus, careremusq; tanta utilitate libri inſignis.

Ioannes eſt frater fidelium. Adijcit quædam ſuo nomini, quæ nos de apoſtoli ſtatu rebusq; utilibus erudiunt. Principiò appellat ſe fratrem, nimirum & ſeptem eccleſiarũ, & noſtrûm omnium: quippe cum monuerim, in ſeptenario numero omnes omnium temporum totius orbis eccleſias comprehendi. Sumus omnes, quotquot credimus, unius patris cœleſtis filij: & ideo fratres in Chriſto ſpirituales, cohæredes Chriſti, hæredes autem Dei. Quod & Paulus docuit Rom. 8. poſt Chriſtum Matth. 23. Et cum tanta ſit dignitas noſtra, pudeat tandem ſcelerum, ne memoria noſtra deleatur ex nobiliſsima & cœleſti hac familia. Turpe eſt, fratrem Chriſti, Ioannis & omnium apoſtolorum, degenerare, &c. Quare autẽ hanc fraternitatem non tantopere urſerunt, quantopere inculcarunt monachi confictas ab ipſis fraternitates, Roſarij beatæ Mariæ & ſanctorum? quia gratis illa conſtabat: ſuas magno uendunt. Impoſtores ergo ſunt, & ſeductores.

Perſequutio Ioannis & totius eccleſiæ. Deinde appellat ſe participem in afflictione uel preſſura & perſequutione, ut qui nunc à Domitiano relegatus ageret in exilio. Coniungit autem, non diſiungit ſe in malo: quod eſt fidelium fratrum. Et quidem una atq; eadem eſt perſequutio quæ apoſtolos inuoluit, & quæ hodie nos fatigat. Gaudeamus ergo, nos ſocios ſupplicij & afflictionum habere apoſtolos, & Chriſti martyres omnes, ne frangamur mali mole. Simus longanimes & patiẽtes. Etenim non ſatis eſt affligi, & omnigenis malis diuexari (multi enim abſq; fructu & laude labores exantlant grauiſsimos) ſed & patiẽtes nos eſſe in malis decet. Coniungit ergò patientiam in præſenti Ioannes. Nam in Euangelio dixit Dominus, In patientia ueſtra poſsidebitis animas ueſtras.

Regnum paratum patientibus. Hinc addit tribulationi & patientiæ regnum, cœleſte utiq;, non terrenum. Miſcet autem regnum ad conſolationem patientium. Nam apoſtolus quoq; Paulus dixit: Certus ſermo. nam ſi Chriſto commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus,

gnabimus,&c. His nos ſemper in malis conſolemur. Deprimimur enim, ut erigamur aliquando, 2. Cor. 4. Hæc autem omnia concluduntur in Chriſto Ieſu, per quem & Dei filij & fratres ſumus,& ſufferimus mala patienter,& cõſortes regni efficimur. Hæc enim illi,eiusq; meritis,non noſtris meritis feramus accepta oportet.

Status apoſtoli et humilitas.

Obſeruemus hic quoq;,qualis & quanta fuerit maximi,& Deo digni apoſtoli humilitas,quis fuerit eius ſtatus:non uoluptuarius,ſed difficilis, in patientia tamen Chriſti iucundus. Vbi uerò nunc apparent,qui apoſtolico gloriantur nomine:ſuperbia interim turgidi, & qui uoluptatibus fœdis diffluunt? Id quod moneo,ut fugiamus ab illis ceu apoſtaticis.

Locus, in quo reuelata Apocalypſis.

Iam uerò locum indicat,in quo ei facta eſt hæc diuina reuelatio, ubi & illam ſcribere iuſſus eſt diuinitùs. Locus fuit inſula Patmos. Cenſetur ea inter Sporades à Plinio lib.4. cap.12. Obiecta fuit Aſiæ,atq; adeò Epheſo. Spectabat & Europam & Aphricam, ut uideatur quaſi media fuiſſe ſedes uel cathedra ſacra, unde Chriſtus per Ioannem concionatus eſt cœlitùs toti terrarum orbi. Ac mira quidem ſunt Dei conſilia, & ineffabilis eſt eius bonitas,qui tanta myſteria ueluti in carcere Romano,uel captiuitate Babylonica ſuis reuelat fidelibus.

Ioannes propter Euangelium afflictus.

Nec tacet cauſam aduentus ſui in illam inſulam. Fui ibi,inquit,propter ſermonem Dei,& teſtimonium Ieſu Chriſti. Sermo Dei,ipſe Dei filius eſt, uerbum & ſermo Dei à Ioanne ſingulari idiotiſmo appellatus,ut apparet Ioan.1. Teſtimonium autẽ Ieſu Chriſti eſt ipſum Euangeliũ,quod teſtificatus eſt Ieſus, & quod teſtificati ſunt de Ieſu diſcipuli eius. Ergo propter confeſsionem & prædicationem Ieſu Chriſti, & ſalutaris euangelij eius (ſic etiam exponit,quomodo ſit particeps afflictionis) captus eſt Ioannes in Aſia. & per milites ductus Romam, ut cauſam diceret coram Domitiano Cæſ. Hic pro ſæuo ſuo ingenio condemnauit innoxium. Miſſus eſt autem in cacabum feruentis olei. Vnde cum illęſus exiuiſſet,deportatus eſt in Patmon. Coram Imperatore non aliam ſuſtinuit cauſam, quam ante annos 27 Paulus corã Nerone ſuſtinuerat. Facta ſunt hæc 14 anno Domitiani, aut circiter 15. ab exciſa Hieroſolymorum urbe anno 24, à natali Chriſti 96. Domitianus,qui & Dominus & Deus uideri,ſalutariq; uoluit,à ſuis cõfoſſus,poſt multa probra & parricidia inglorius occubuit, imperij ſui anno 15. Authores huius,Suetonius in Domitiano,Tertullianus in Præſcript.hęret. Euſeb. in Chronicis, & in Eccleſiaſt.hiſtor.lib.3.cap.17. & 18. Quibus accedit communis omnium ſcriptorum conſenſus.

Tempus reuelationis, & de Dominica die.

Porrò tempus etiã annotat, quo hęc illi myſteria cœperint reuelari, ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, in illa (celebri inquam) Dominica die. Ita uerò appellarunt unam ſabbatorum, id eſt, primam in hebdomada diem ueteres, qua reſurrexit Chriſtus à mortuis, Matth. 28. & Marci 16. Hanc uerò diem, ut ſacram, loco ſabbati in memoriam reſurgentis Domini, delegerunt ſibi eccleſiæ,in qua ſacros & celebres cœtus agerent. Etenim & in Corinthiorum eccleſia celebrem fuiſſe,& cœtib.conſecratam,manifeſtè claret ex 1. ad Corin. 16. cap.ubi apoſtolus iubet ſeponere collectam in una ſabbatorum: eadem die etiam ſacra ſua fideles cum Paulo celebrarunt,in Actis cap.20. Quod ergo Sozomenus hiſt. Eccleſiaſt.lib.1.cap.8. refert, Conſtãtinum magnum inſtituiſſe ferias,& quidem diem Dominicam,quæ à Gentib.appelletur dies Solis, renouaſſe uerius apoſtolicam & catholicæ eccleſiæ conſuetudinem, quàm de nouo inſtituiſſe,intelligendum eſt. Spontè uerò eccleſiæ receperunt illam diem:non legimus eam ullibi præceptam. Ac eccleſiæ uiderunt omnino neceſſarium eſſe certum tempus,in quo cõueniant ſancti. Delegerunt ergo diem reſurrectionis:neq; de his odioſius contenderunt inter ſe, ut poſtea factum in eccleſia teſtantur hiſtoriæ. Et hodie quidem ſublatis ferijs ſuperſtitioſis, præſtat certas & moderatas ſeruare,& pacem retinere in eccleſia. Cæterùm cum ſciret apoſtolus,die Dominica in omnibus cœtibus ſacris,res ſacras operari fideles, quibus intereſſe non potuit corpore,ſpiritu & contemplatione eis adfuit: cumq; ita eſſet in ſpiritu & contemplatione rerum diuinarum,ac in precib.ſacris,audiuit uocem, de qua mox dicetur. In præſenti uerò docemur,quæ ſit religio Dominicæ diei, & quomodo conueniat illum obſeruare. Deniq; reprehenduntur homines prophani, qui diem Dominicum prophanis

Obſeruanda dies dominica.

nis polluunt & uiolant operibus. Dauid dum persequutionẽ sustineret à Saule, in primis deplorat, quòd non licebat ipsi accedere tabernaculum Domini. Nostris inter fœlicitates numeratur, nunquam ingredi in cœtum sanctorum: & die Dominico abuti ad lusus, ad compotationes, ad choreas & res profanas.

Quo iubente scripserit & miserit Apocalyp. Ioan.

His ad hunc modum expositis, descendit tandem ad reuelationem: præmittens disertum Dei mandatum, quo iussus est & scribere reuelata, & mittere ad ecclesias septem Asiaticas. Ad modum & maiestatem reuelationis illud pertinet, quòd uocem audiuit, & quidem magnificam, sicuti uocem tubæ. Ita enim factum legimus & in legislatione ad montem Sinai. Iam cuius fuerit uox, & cuius authoris sit hæc reuelatio, explicatur: Dei utiq; æterni, qui se appellitat A & Ω, id est principium & finem: siue, ut in Isaia dicitur, primum & nouissimum. De quo aliàs.

Sequitur iam mandatum, quod duo habet membra. Principiò enim mandat Dominus Ioanni, ut scribat: scribat autem ea quæ uidit, id est Apocalypsim: & scribat quidem nõ in arenam, aut in parietem, sed in librum: utique ad eruditionem & utilitatem præsentis ecclesiæ, & totius posteritatis. Deinde etenim iubetur scripta illa mittere ad ecclesias septem, adeoq; ad omnes totius orbis, & omnium seculorum ecclesias. Pertinent ergo hæc omnia ad utilitatem ecclesiarum, & omnium qui dem quæ sunt, fuerunt, & futuræ sunt.

Scripturæ authoritas.

Discimus ex his, quãta sit authoritas scripturarum. Nõ scripta est illa, & in libros relata, nisi iubente Deo. De Mosis libris extant testimonia illustria, Exodi 34. & Deut. 31. Et ut de prophetis cæteris nihil dicam, an nõ iubetur Ieremias suos sermones iterũ scribere, quos conscíderat & cõbusserat rex Ioachim? Certè Petrus manifestè testatur, Prophetas mysteria regni Dei non in alium finem accepisse, quàm ut nobis reuelarent: quod certè per scripturas duntaxat fieri potuit. Apertissimè iam iubetur scribere Ioannes. Quid, quòd & mittere scripta Ecclesijs etiã iubetur? Vnde rursus colligimus, Deum optimè uelle ecclesijs, adeoq; singulis nobis. Caueamus nos, ne indignè repellamus à nobis tanta Dei beneficia. ipsi sit laus & gloria.

Nostra est scriptura.

Initium fit Operis, & exhibetur nobis elegantissima descriptio Christi, regis & pontificis in gloria, & nihilominus agentis in ecclesia.

CONCIO V.

ET conuersus sum, ut uiderem uocem quæ loquebatur mecum. Et conuersus uidi septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum similem filio hominis, uestitũ podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: caput autem eius & capilli cãdidi, uelut lana alba, & tanquam nix. Et oculi eius tanquam flamma ignis: & pedes eius similes chalcolibano, uelut in camino ardentes: & uox illius tanquam uox aquarum multarum. & habebat in dextra sua stellas septem. Et de ore eius gladius anceps acutus exibat. Et facies eius sicut sol lucet in uirtute sua.

Summa horũ ad caput usque quartũ.

Quæ hucusq; in hoc libro tractata sunt, prolegomena, ut uocant, sunt: tandem ipsa res proponetur nobis. Sequitur ergo huius libri uel operis pars secunda, quæ extenditur ad cap. usq; quartum. Describitur in hac nobis Christus cum sua catholica ecclesia. Nam principiò quidem sacro sancta nobis obijcitur imago Christi Domini, docens qualis is sit ad dexteram patris in gloria, & quomodo sedens ad dexteram patris nihilominus operetur in sua ecclesia perpetuò, nunquam absens, præsens semper. Qualis item ecclesia sit in terris, in septem illis ecclesijs adumbratur. Ostenduntur ergo ecclesiarum magnifica dona, & errores uicissim pudendi: quomodo Christus Dominus lapsantes confirmet, lapsos erigat, stantes stabiliat, meticulosos animet, præcoces cohibeat, corrupta

rupta ſeruet: deniq; quomodo agendum ſit fidis in eccleſia paſtoribus, cum ſuę fidei creditis hominibus. Eleganter enim docetur, quæ ſit eccleſiarum reparatio & cõſeruatio. Vbi & breuis ſumma totius eccleſiaſticæ & ſalutaris doctrinæ in compendium redacta, nobis proponetur. Repetitur enim cœlitùs à Chriſto in gloria, pietatis ueræ doctrina, quam in terris adhuc uerſans copioſius tradiderat: hic autem aptiſsimè applicat eccleſijs, pro ipſarum ratione.

Pulcherrimè autem cõnectitur ſermo (ſicut & totus liber ſcriptus eſt oratione perſpicua, & ſibi probè cohęrente. errant, qui putant ſcopas eſſe diſſolutas) Audiuit uocem Ioannes poſt ſe clamantem: unde cõuerſus eſt, ut uideret uocem loquentem, id eſt, eum qui loquebatur. Admonet enim & Aretas, in uerbis eſſe tropum. Nam nemo uidet, ſed audit uocem. Conuerſus autem, *als er ſich gewendt hat*, uidit typum Chriſti ſeruatoris. Loquente ergo Domino, conuertamur & nos corde toto, ut etiam nos myſteria regni Dei uidere mereamur. Libenter enim ſe reuelat conuerſis, & cœleſtia deſiderantibus: negligentibus myſteria regni Dei, abſconduntur ſalutis omnia. *Conuertamur ad loquentem Dominum.*

Porrò exhibet nobis Ioan. imaginem Chriſti, regis catholici & pontificis maximi, ſedentis in gloria: in qua deſcriptione potiſsima Chriſti comprehenduntur. Talis autem guſtus Chriſti hic nobis conceditur, qualis in hoc ſeculo percipi poteſt ab infirma noſtra carne. Alioqui enim uidebimus eum in futuro demum ſeculo qualis eſt, in pleni tudine maieſtatis, in quo erit gaudium & uita perpetua: id uerò in corrupto hoc ſeculo nemini conceſſum eſt, hactenus. Tantum ergo nobis in hoc adhuc ſeculo uiuentibus conceditur contemplandum, quantum utile eſt, & capere poteſt noſtra ægritudo. At hoc nõ nihil, aut exiguũ eſt: ſed ingens, amplum, & uoluptate ſpirituali refertiſsimum, ſi inquam contemplemur hæc Dei myſteria oculo fideli, & anima diuinarum rerum cupida. Et quidem uera & certa ſunt, quæ hic nobis reuelantur. nam ab ipſo Dei filio reuelantur. Ne uelimus autem plus uidere, aut ampliora his requirere: oblectemus nos in his à Chriſto conceſsis. Sciamus autem, ingens nobis à Deo beneficium præſtari in hac uiſione. Quis enim non deſideret uidere Chriſtum in gloria ad dexteram patris ſedentem? Quis non cupiat ſcire, quid agat in cœlis Saluator noſter? & quomodo agens in cœlis, nihilominus præſens ſit in terris eccleſiæ ſuæ? Hæc autem imago ſacroſancta, de his omnibus erudit omnes Chriſti fideles pleniſsimè. Exprimenda eſt autem hæc Chriſti imago non coloribus, cum colores ipſius rei maieſtatẽ minimè aſſequantur: ſed doctrina eccleſiaſtica, quæ promiſsionem ſpiritus Chriſti habet: & ideo ad expreſsionem ueram euidentior, adeoq; ſola idonea eſt. Imprimamus item imaginem illam, non in tabulam aliquam inanimem coloribus perituris, ſed cordibus noſtris per uiuificantem Dei ſpiritum, qui & indelebilem in animis retineat. Quæ autem per cap. 2 & 3. dicuntur in hoc libro, deducuntur ex hac Chriſti deſcriptione, ut maieſtas rei nos inuitet ad ſingularem diligentiam. res alioqui perſpicua eſt. *Imago Chriſti nobis proponitur.* *1. Ioan. 2.*

Principiò docemur quis ſit, cuius nobis icon exhibetur: non ipſe quidem filius hominis, in propria ſubſtantia, ſed ſimilis filio hominis. Filius hominis, phraſi Euangelica appellatur ipſe Chriſtus, uerus Deus & homo. Hic ſe Ioanni in propria ſubſtantia uiſendum non exhibuit, ſed in ſpecie angeli, qui Chriſtum repręſentauit: id quod non ſemel in libro hoc repetitur. Omnia ergo hæc referemus ad Chriſtum, non ad angelum, qui miniſter eſt Chriſti in hoc myſterio. Viſuri autem ſumus Chriſtũ in propria ſubſtantia, ubi hinc migrauerit corpus noſtrum humile, & reſuſcitatũ ex mortuis clarificatũ fuerit. Anima interea à morte, donec reſurgat corpus, & ipſa planè fruetur conſpectu Chriſti: in quo erit ſumma, ut modò diximus, iucunditas & beatitudo. Nunc ergo in ænigmate uiſuri ſumus Chriſtum, & tantum, quantum hic nobis ſatis fuerit. Dominus aperiat nobis oculos mentis noſtræ. *Angelus repræſentat Chriſtum.*

Dicit præterea, ubi uiderit Chriſtum, In medio ſeptem candelabrorum. Mox intelligemus, per candelabra intelligi oportere eccleſias. Verſatur ergo Chriſtus in medio eccleſiæ. Sedet quidem ad dexteram patris: & iuxta proprietatem corporis humani, non eſt niſi in uno loco, non in pluribus. quod copioſè exponit S. Auguſt. in epiſtola ad Dardanum 57. Quia tamẽ etiam uerus Deus eſt, in medio quoq; eccleſiæ eſt, ſicuti in Euan *Vbi ſit ac uerſetur Chriſtus.*

Matt.18.& 28. gelio promisit: Vbi duo uel tres congregati sunt in nominemeo, ibi sum in medio illorum. Et iterum: Ecce ego uobiscum sum omnib. diebus usq; ad consummationem seculi. Virtute ergo diuina manet in ecclesia, & operatur Christus præsens, non absens. (Desine ergo interrogare, quid faciat Christus ad dexteram patris, an semper sedeat?) Et in medio quidem est ecclesiarum, nulli loco affixus, sed omnibus ex æquo æqualem & salutarem se exhibens. Non enim recipit personas, neq; dormit: non pictus est, non ociatur, nihil curans res ecclesiæ: sed maximè & unicè intentus est in salutem eius. Talem se fore erga ecclesiam multis promisit apud Ioan. in cap. 14. 15. 16. Cum autem Chri-

Nullus Christi uicarius. 2. Thess. 2. stus sit in medio ecclesiæ, quem porrò habebit uicarium? num æmulum illum *ἀντικείμενον*? Etenim uicarius, absentis est uicarius: Christus autē est in medio ecclesiæ, præsens, non absens.

Consequentibus describitur Christus copiosissimè, attributis permultis: & declara-

Vestis Christi regalis & sacerdotalis. tur, quomodo sit in medio ecclesiæ. Et principiò quidem ostenditur, quali fuerit tectus veste: sacerdotali utiq;, & regia. Qua re nobis adūbratur, qualis sit in cœlis & in ecclesia Christus: utiq; pontifex & rex, intercessor, mediator, hostia, perfectissima sanctificatio & iustificatio, assertor & liberator fideliū apud patrē, semper agens salutē fideliū suorū.

Poderis. quod & Paulus docet Rom. 8. & Hebr. 7. *ποδήρης* inuenitur inter uestes Aaronis, & est uestis sacerdotalis. De qua Hieron. Fabiolæ, de ueste sacerdot. Secunda ex lino aut tunica est *ποδήρης*, id est talaris, duplici sindone: quam & ipsam Iosephus byssinam uocat, appellaturq; כְּתֹנֶת *ketheneth*, id est *χιτών*. Hæc adhæret corpori, & tam arcta est & strictis manicis, ut nulla omnino in ueste sit ruga, & usq; ad crura descendat. Candida hæc nimirum & munda erat. Quia Dominus Christus est sacerdos impollutus. Heb. 7. Neq;

Baltheus. uerò sordidam rursus gerit, ut Zachariæ 3. neq; purpuream, ut Ioan. 19. sed splendidam, utpote nomen consequutus quod est supra omne nomen. Cæterùm baltheus, est militum & triumphantium: & significat regiam in Christo dignitatem. Est enim rex Christus, liberator & assertor fidelium. Victoria eius nostra est. Superauit sathanam, inferos, peccatum & mortem. At baltheus uel zona Christi non consueto ponitur in loco, in lumbis. Nam, quod Aretas quoq; monuit, nullæ sunt in Christo concupiscentiæ refrenandæ. Ergo non cingitur more peccatorum, sed circum mamillas: ut intelligamus, ex cinctura ipsum esse regem regum, alienum ab omnibus affectibus: iustissimum, sanctissimumq; in iudicijs & administratione: interim uerò instructum ad ecclesiæ suæ defensionem, sicuti legimus scriptū Psal. 93. Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se, &c. Videri poterat Christus se cinxisse nō eo modo quo sacerdotes & reges, quòd ipse præstantius & sacerdotiū & regnum sit consequutus, permanens in secula. Ad hæc perficienda oportuit illum uti tēplo, & regia non caduca, sed ipso cœlo, Heb. 8. & 9. Interim effectus in ipsam penetrat ecclesiam, ut sic ecclesiæ quoq; præsens sit.

Caput & capilli Christi. Caput uerò Christi apparet canum, & capilli eius candentes, instar purissimæ lanæ, & niuis cādidissimæ. Tale tribuitur caput & patri Domini Iesu Christi, apud Danielem in cap. 7. nam sunt eiusdem essentię. Significatur autem his sapientia & senium, adeoq; æternitas & diuinitas Christi. Quia uerò Christus Deus est, ideo caput ecclesiæ est, uitam corpori sufficiens, spiritum, sapientiam, & omnia dona cœlestia. Ephes. 5. Hoc scilicet potest Papa Romanus, homo peccati, & conscleratis. Quale ergo caput est? Exanime, sine cerebro, & stultissimum. Sicut à Zacharia describitur cap. 11. Ac pudendum omnino est, quod hæc uidere nolumus, cæci perpetuò. Christus ab æterno est, omnipotens est, & omniscius: hic autem potest esse salus & caput corporis sui. Ioan. In principio, inquit, erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, &c. Christus ipse: Antequam Abraham fieret, ait, ego sum. Mentiuntur ergo hęretici, negantes Christum esse Deum uerum, eiusdem cum patre substantię. Ipse est sapientia Dei, ipsi subdita sunt omnia, Eph. 1. & ipse complet omnia, eo modo ecclesiæ suæ præsens.

Oculi Christi. Iam & oculi non sunt obscuri & cæcutientes, sed ignei & coruscantes. Nam Christus est omniscius. Christi oculus peruigil est. nihil illum latet. Videt quæ fiunt omnia, bona pariter & mala. Videt autem, ut iudicet & requirat. Lux est in tenebris, & iucundus bonis Christi aspectus in periculis. Iusta deniq; sunt iudicia Christi. Propheta Dauid,

uid: Oculi Domini, inquit, super iustos, & aures eius ad deprecationem eorum. Rursus: Aspectus Domini supereos qui faciunt mala. Sicut autem caput à corpore nõ auellitur, ita Christus nõ potest abesse à sua ecclesia. Cumq; oculi eius perspicaces sint, & omnia nostra præuideat Dominus, & nostri curam gerat, quomodo abest à sua ecclesia? quid opus uicario?

Pedes electrini.

Pedes autem Domini electrini sunt, seu similes chalcolibano ardenti in fornace. Chalcolibanum, uox est composita ex ære & thure. Annotat Eras. hoc, & illud etiam Suidã indicare, genus esse electri precio sius auro: id cõflari dicit ex nitro & lapide. Plin. lib. 34. cap. 2. uocat genus æris, quod è terræ uenis effoditur, olim habitum in precio. Mihi uidetur id ipsum esse, quod Ezechielis 1. & 10. appellatur Hasmal, præsens remedium contra uenena. Nam si infundatur uinum intoxicatum poculo electrino, stridet. sic detegitur mors atq; uenenũ. Pedes purgatissimi electrini & igniti, significant conuersationem, & uias Domini inculpatas, iudicia æqua & iusta: quodque ita inambulet in ecclesia, & moderetur omnia, ut interim detegatur & consumatur omnis impuritas, ipse semper maneat purus & sanctissimus. Ignis enim purgat. Deus est ignis cõsumens.

Vox Christi.

Porrò uox Christi, est ueluti strepitus aquarum multarũ, non tam quòd omnes gentes & populi ipsum prædicent & laudentur: sed quòd euangelium & uerbum Dei peruenit in totum orbem terrarum. quam uocem etiam reges potentissimi minus cohibere & compescere possunt, quàm aquarum fragorem & uentos concludere saccis. Itaque potentia prædicationis adest semper suæ ecclesiæ Dominus. *Rom. 10.*

Dextera Christi.

Manus est organum organorum, præsertim dextra. in hac tenet Christus stellas septem, septem utiq; ecclesiarum antistites uel pastores in Asia: adeoq; omnes per totum orbem episcopos Christus sua potentia dat nobis pastores, & instruit, & confortat, & confirmat atq; tuetur, in hoc ut annuncient uerbum eius, per quod se coniungat ecclesiæ. Operatur per hos Christus in ecclesia, & conseruat eos.

Gladius anceps ex ore Christi.

Id significantius exprimitur consequentibus. Exit enim anceps & acutus gladius ex ore Domini. Gladius hic, uerbum Dei est. quod disertè dicitur Ephes. 6. & Heb. 4. Verbum autem, uel gladius hic non pendet in pariete, nõ hæret in uagina, aut in latere, sed procedit ex ore. Non dicit, Exiuit, aut exibit: sed, Exit. ut quod est in operatione continua, uel prædicatione iugi per orbẽ. Anceps uerò est acutus & penetrans, tam in cordibus piorum ad salutem, quàm in cordibus impiorum ad tormentum & condemnationem. Et hodie quidem egreditur adhuc gladius ille ex ore Christi per ora ministrorum. Contemnitur quidem à mũdo uerbũ Christi, & appellatur à multis fabula, *pfaffendantt*: sed gladius est, & gladius quidem ex ore Christi. Experiuntur & experientur hoc omnes increduli, utcunq; reluctentur. Hoc gladio conficit impium Christus. & effectus huius gladij, est maior quàm sit ullius Alexandri, Pompeij, Iulij, aut Marij, Attilæ uel Tamerlanis gladius. Nec refert, quòd mundus iam non agnoscit. Agnoscet aliquando malo suo maximo. Spiritu certè hoc oris sui pergit Dominus perpetuò animare & regere ecclesiam, ita ut nunquam sit ab ea absens.

Vultus Christi lux.

Postremò relucet Christi uultus, ueluti sol in uirtute sua, *wenn sy ist in irer grõssten krafft*, circa meridiem, cum est maximè illustris, serenus & iucundus. Ex uultu nouimus notissimum homines. ex uultu ergo nouimus Christum. Vultus Christi, lux est. Christus ergo lux est: & lux quidem diuina & æterna, illuminans omnes homines, ut fiant & ipsi filij lucis, & irradiet in die illa facies sanctorum sicut sol, & ut Christi facies luxit Matth. 13. 17. Cum autem sic communicet nobis lucem suam (Ioan. 1. & 1. Ioan. 1.) quomodo abesse putandus est à sua ecclesia Christus? Vides quomodo præsens sit.

Ita uerò exhibuit se nobis ipse Christus Dominus uisendum ad salutem, ac se totum aperuit nobis, qualis sit, quid nobis conferat, & quomodo sit in ecclesia sua. Comprehenditur in his omnia euangelij mysteria. Quid enim de Christo dicas, quod in his nõ habeas comprehensum? Teneamus ergo hæc, & inscribamus animis nostris, ut amplexemur Christum regem & pontificem, neq; dimittamus illum unquam ex nostris complexibus. Ipsi gloria.

Quomodo affectus sit Ioannes erga uisionem sibi exhibitam. Consolatio Ioannis, & explicatio uisionis, applicata ad consolationem.

CONCIO VI.

ET cum uidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus: & posuit dexteram suam super me, dicens mihi: Noli timere, ego sum primus & nouissimus, & uiuens ille: & fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorum, Amen: & habeo claues inferni & mortis. Scribe quæ uidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas uidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea (huiusmodi est) Septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum; & candelabra septem quæ uidisti, septem ecclesiæ sunt.

Sequitur, quomodo beatus Ioannes adfectus sit ad illam cœlestem mirificamq; uisionem: & quomodo acceperit consolationem, præterea expositionem uisionis applicatam ad consolationem, cum mandato diligenter hæc omnia consignandi.

Concidit Ioannes, & iacet mortuo similis.

Cum uidisset uisum plenè diuinum & cœleste Christi Domini, agentis ad dexteram Dei in gloria, delinquentib. ipsum uiribus, cõcidit in terrã: & iacens ad pedes Domini, mortuo est similis. Idipsum & Danieli usuueniſſe legimus in cap. 10. Terrentur & alij uiri Dei ex angelorũ uisionibus. Contremiscunt & in nouo Testamento mulieres ad sepulchrum, uidentes angelos. Obstupuit Petrus ex miraculi magnitudine, Lucæ 5. & accidens ad genua Domini, proclamat: Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Diuinæ enim uisiones redarguunt nostram infirmitatem: nec idonei & purgati satis sumus, ut supercœlestia illa ægris & nondum purgatis oculis & animis contemplemur. Oportet ergo electos clarificari in alia uita, ut sint capaces cœlestis glorię. Interim hic humiliantur omnes pij ex sublimib. uisionibus & reuelationibus. Non enim efferunt se superbè gloria reuelationis: sed sentientes corruptionem natiuam, deprecãtur culpam & supercœlestis gratiæ & luminis augmentum. Nisi uerò spiritu Dei fuerimus illuminati, mortuis iacebimus similes, utcũq; corporeis sensib. cœlestes hauriamus uisiones.

Imbecillitas humani intellectus.

2. Cor. 12.

Humiliatis obuenit consolatio.

Qui uerò humiliantur coram Domino, consolationem præsentissimam consequuntur à Domino. Vnde & Ioanni protinus & factis & uerbis instructa obuenit consolatio. Angelus enim gerens Christi personam, ponit dexteram suam super Ioannem: id quod symbolum est amicitiæ, protectionis, præsentisq; auxilij. Nam & Germanismo fere hoc genus loquutionis exprimentes, dicimus, *die hand ob einem halten*. Significatur ergo per manus impositionem, Christum Ioanni esse propitium, & accinctum in auxilium eiusdem. Hoc ipsum mox & subiectis illustrat uerbis, dicens, Noli timere. Quę quidem uox ubiq; obuia est in historia Euangelica: & ideo est euangelicissima, id est faustissima. Iubet enim Deus humiliatos bene sperare, & securos agere sub protectione altissimi. Quod quidem non Ioanni duntaxat, sed nobis quoque omnib. dictum esse intelligimus, ut & nos, licet infirmitatem carnis sentiamus, bene tamen speremus de Dei gratia, misericordiaq;. Sequitur plenius exposita causa, cur Ioan. nõ metuat. quia uisio exhibita, non ad terrendum est exhibita: sed ut sentiat Ioannes, quantus sit qui in propugnationem ipsius omniumq; fidelium sit paratus. Quasi dixerit: Cum uideris quantus sit qui tui susceptit patrocinium, qui deniq; totam protegit & gubernat ecclesiam, non est quod metuas. Quinimo quod hic tibi mandat, exequere intrepidè. Scribe, quæ ille iubet scribere. Noli timere homines. Time Deum magis. Si enim boni ad adspectũ eius tantopere expauescunt, ubi comparebunt hostes & contemptores Dei?

Noli timere.

Consequenter ergo explicat uisionem, docens, quis is sit, qui similis filio hominis uisus est obambulare inter candelabra aurea. & applicat hanc expositionẽ consolationi: ut intelligat Ioannes, & fidelis quilibet, quantus sit Christus, & quid per ipsum consequuti

ſequuti ſint fideles. Sic enim attemperat ſermonem ſuum angelus, ut uideamur audire omnia nobis non ore angeli, ſed ipſius Chriſti proferri. Et quidem partes ſuas habet hęc expoſitio. Principiò enim enarrat (quod & modò dixi) cuius fuerit illa exhibita imago. Deinde adiungitur mandatum de ſcribendo hoc libro. Hinc myſterium ſtellarũ aperitur. Poſtremò candelabrorum arcanum reuelatur: & hæc quidem omnia perſpicuè & breuiter. *Partitio.*

Principiò uidiſti, inquit Dominus, uiſionẽ ad quã obſtupuiſti: ſed noli timere. Non enim uidiſti ſpectrum malum uel terrificum, infortunium aliquod portendens: ſed ſpeciem meã, qui ſum liberator & Dominus tuus. Ego ſum primus & nouiſsimus. Eam uerò loquutionem (quod & paulo antè monui) ſumpſit ex uaticinijs Iſaiæ, ut uidere eſt cap. 41. 44. 45. 48. & ſignificat ſe eſſe coæqualem & conſubſtantialem patri per omnia, Deum uerum, æternum & incomprehenſibilem. Nam quæ pater ſibi tribuit, eadem uſurpat & filius. Porrò nullus ordo aut tempus certum intelligendum eſt in primo & nouiſsimo, ſed ſimpliciter æternitas. Significat ergo Chriſtus, ſe uerũ eſſe Deũ, ęqualẽ & coeſſentialẽ patri ab æterno. Sicut idipſum quoq; multis afferitur Ioan. cap. 1. 5. 10. 14. 17. Pugnat hoc contra hæreticos, qui illo quoq; tempore, ut hodie Seruetani, negant diuinitatem æternam Chriſti Domini. Ita uerò, cum uerus à nobis Deus agnoſcitur & creditur, ſalutaris eſſe poteſt. ſi Deus uerus non eſt Chriſtus, ſalus noſtra nõ eſt. Ego enim (ait ueritas) ſum Deus: & extra me non eſt Deus, nulla ſalus. *Chriſtus illa uiſione repræſentatur, quis ille, & quantus ſit.* *Chriſtus uerus Deus patri coæqualis.*

Deinde καὶ ὁ ζῶν, ille inquam uiuens ſum, & fui mortuus. Significat autem, ueram naturam humanam ſe aſſumpſiſſe. Id quod multi quoque illo ſeculo negabant: ſicut & hodie inueniuntur, qui humanitati Chriſti uerè derogant. Sed contra omnes huiuſmodi hæreſes ipſe Dominus fatetur ſe mortuum fuiſſe. unde iam conſtat, uerum hominem eſſe, ſicut & Deum uerum, patri in diuinitate coeſſentialem, ut & nobis in humanitate conſubſtantialem, ſimilẽ nobis per omnia, abſq; peccato. Neq; enim angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ. Et oportuit quidem Dei filium incarnari, ut & mori poſsit, & ſanguinem fundere. Nam teſtamentum in mortuis demum ratum eſt. Nec fit ulla remiſsio ſine ſanguinis effuſione. Moritur ergo Dominus, & fundit ſanguinem, ut remiſsionem plenam peccatorum conferret, & teſtamentũ nouum confirmaret. Idem tamen ille qui mortuus creditur, iam uiuit, & eſt ille uiuens, qui uidelicet calcata morte, à mortuis tertia die reſurrexit, & uitam reparauit omnib. credẽtibus, ijsq; uitam ſuam ueram inſpirat. *Chriſtus uerus homo.* *Hebr. 9.* *Chriſtus, qui fuerat mortuus, uiuit.*

Ideo uerò mox ſubiungit: Ecce ſum uiuens in ſecula ſeculorum. Chriſtus enim iam non amplius moritur, mors illi non dominabitur. Quinimò ipſe eſt fideliũ ſuorum omnium uita, qui reſurgendo uitam reduxit: & quidem uitam æternam, durantem inquam in ſecula ſeculorum. Sicuti fuſius ipſe exponit Ioan. cap. 5. 6. 10. & apoſtolus Roman. 4. 1. Cor. 15. & 2. Timoth. 1.

Porrò cum multi de uita hac per Chriſtum parta & reparata dubitare ſoleãt, ipſe Dominus, quod dixit, iureiurando confirmat, & ait, Amen. Quaſi dicat, Verũ & indubitatum prorſus eſt quod dico.

Poſtremò addit, Et habeo claues inferni & mortis. Quibus uerbis rurſus ualde conſolatur, & potẽtiam ſuam exprimit: & quantus ſit, & quid ex ipſo habeamus, exponit. Dicendũ eſt hic obiter de clauibus. Gloſſa ordinaria nõ ineleganter: Qui clauẽ alicuius domus habet, inquit, quem uult intromittit, & quem uult ab ingreſſu domus repellit. Claues igitur mortis & inferni poſsidet Chriſtus, quia quos uult, à damnatione perpetua mortis liberat: quos uult autem, eodem damnationis periculo iuſtè remanere ſinit. Et certè Iſa. in cap. 22. de Eliachim loquens, quẽ dicit in aula Ezechię prętorio præficiendum, Clauem domus Dauid, inquit, ponam ſuper humerum eius: qui aperiet, & nemo claudet: claudet, & nemo aperiet. Claues ergo ponũtur in ſcripturis, pro domus adminiſtratione & cura. Eliachim in aula Ezechiæ omnia gubernabit æquiſsimo iure. Quod ille decreuerit, nemo infringet: quod ipſe abrogauerit, nemo reſtituet. Ergo Chriſtus, cuius typum geſsit Eliachim, gerit & ipſe ſummam in domo uel regno Dei adminiſtrationem, ita ut quos uelit, uiuificet, & retrahat ex inferis uel damnatione: quos au- *Chriſtus habet claues mortis & inferni.* *Claues.*

tem damnare uelit, iusto perdat iudicio. nam ipsi est plenissima potestas in mortem, & in inferos. Vtrumq; ipse uicit & eneruauit. Ose. 13. 1. Corin. 15. Hæc autem ualidissimè consolantur fideles, & retinent in omni pietatis officio. Obseruandum autem illud uidetur in primis, quòd non dicit, Habuit clauem, aut habebit: sed, Habeo, inquit, habeo inquam. Non dedit suam potestatem episcopo Romano, sed habet ipse eam, & retinet eam in æternum. Apostolis uerò non dedit hanc plenariam potestatem necis & uitæ, salutis & damnationis, ac ita se ipsum exarmauit: sed claues dedit reserandi & claudendi cœlum, utiq; uelut ministris & apparitoribus, per annunciationem Euangelij: qua cuicunq; credenti promiserint uitam, ipse Christus uitam præstet, propter ueritatem promissionis: cuicunq; damnationem minitentur, ipse Christus damnet, propter ueritatem uerbi sui. Itaq; uidemus Dominum ipsam quidem potestatem retinere & exercere, ministros uerò ministerium (per annunciationem, nõ per absolutã potẽtiam.) Antichristus est itaq; Papa, qui hanc sibi, & plenariam quidẽ potestatẽ uendicat in cœlo & in terra, deniq; in medio etiã terræ, aut ultra omnes terras, in insulis illis infœlicibus. purgatoriũ puto. Quo sanè figmẽto egregiè stolidis hominibus, & ab articulis symboli apostolici deficientibus, Credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam æternam, purgauit marsupia, arcas uel granaria, & cellas uinarias. Audet illa bestia sibi usurpare duo cornua agni, regiam & pontificiam potestatem, & ideo duas claues suspendere sub tiaram suam tricornem: ut uel ex his insignijs totus mundus intelligat, hunc esse illum ipsum, qui humiliatis trib. regib. uel cornib. emergat, & omnem sibi uendicet in cœlo & terra potestatem, significatam per duas claues. Atq; mira & deploranda est nostri seculi cæcitas, quòd oculos habẽs, nihil tamen cernit. Qui sapiunt, teneant, Christum adhuc habere claues mortis & inferni, ministros annunciationem uitæ & mortis.

Claues regni cœlorum datæ apostolis.

Claues pont. Romani.

Apocal. 13.

Danielis 7.

Iubetur Ioannes scribere.

Iam uerò, postquam magnifica & saluberrima hæc exposuit, & mentẽ Ioannis cõfirmauit, mandatum subiungit: Scribe uisionem exhibitam, [illegible] deniq; ea quoq; quæ oportet fieri post hęc. In medio collocat, καὶ ἃ εἰσιν, & quę sunt: id est, quæ reuera existũt, & uera, non falsa sunt. Faciunt hæc ad authoritatem huic libro conciliandam, denique toti scripturæ, quæ ab uno atq; eodem authore pari cum ueritate reuelata est. Vt autem Ioannes iubetur scribere intrepidè, ita iubemur nos eadem fortiter prædicare & inuulgare, utcunq; insaniat mundus.

Sacramentum.

Scriptura explicata.

Loquutio scripturæ.

Subiungit porrò, quod reliquum est expositionis, & ait: Sacramentum septem stellarum, &c. Inabsoluta propemodum uidetur esse oratio. Subintelligendum itaq;, Hoc est sacramentum stellarum & candelabrorum: ut sit ueluti propositio, mox autem sequatur explicatio: Septem stellæ, sunt septẽ angeli, &c. Intellige uerò per sacramẽtum, mysterium uel arcanum, adeoq; mysterij explicationẽ. ueluti si dicas, *das ist die geheymnus oder der verstand der sternen vnd lüchtern.* Obseruãda est hic Dei bonitas, qui ipse nobis enarrat scripturæ difficiliora. Vbi ergo sunt qui accusant obscuritatem scripturæ, & contendunt, illam non posse intelligi? Obseruemus hic quoq; uulgarem totius scripturæ loquendi morem: Septem stellæ, sunt septem angeli: septem luminaria, sunt septem ecclesiæ. Nam signa accipiunt rerum nomina, etsi sint & maneant in sua substantia, nec in aliam transeant. Id ubiq; agnoscunt etiam contentiosi, qui in uerbis cœnæ, Hoc est corpus meum, nullum tropum agnoscunt.

Stellæ prædicatores.

2. Petri 2.

Iudæ 1.

Stellæ dicuntur angeli. Angeli sunt legati Dei, pastores ecclesiarum, ita appellati Malachiæ 2. & 3. cap. Mittit enim prędicatores populo Deus legatos, & uult eos audiri perinde ut seipsum, Lucæ 10. Ioan. 13. Nemo ergo expectet, donec ipse Dominus rursus de cœlo descendat, & concionetur nobis. Iamiam concionatur nobis per legatos suos, qui suum, id est Christi uerbum prædicant. Si hos contempseris, cõtempsisti Christũ. Stellæ appellantur prædicatores, propter doctrinam lucidam cœlestem q;, & propter puritatem uitæ. Cauete ergo pastores, ne sitis planetæ errantes: ne nihil lucis habeatis, uel in doctrina, uel in conuersatione uitæ. Alioqui stellis decidentibus cœlo æquabimini, ut fiet mox in hoc libro pseudodoctoribus.

Cæterùm stellæ illæ non sunt in capite, aut in pedibus, aut in dorso, & lateribus: sed in

in dextera Christi. Id demum magnam consolationem habet. Pastores enim sunt in dextera Dei, in patrocinio Dei, nec eripiet illos quisquam ex manu Dei. ipse quoque Deus dat pastores, & instruit facultatib. ecclesiæ necessarijs. Ipsius est ergo tota administratio & gloria. Vnde & Apostolus dixit: Nihil est qui rigat & plantat, sed qui incrementum dat Deus. *Stellæ in dextera Christi.*

Iam quòd candelabra attinet, unum quidem fuit in tabernaculo Mosis, septem insigne lucernis. in templo Solomonis erant decem candelabra. Vnicum quidem, typum gessit Christi: septem uerò insuper, & decem, uniuersitatem ecclesiarum designant, quæ ab unica luce Christo omnes illuminantur: & ab hoc uno habent, quicquid lucis habent. Sunt autem candelabra illa aurea. Cuius rei mysterium explicans Aretas: Vniuersa aurea, inquit, ob puritatem preciositatemq; latentis in eis fidei. Et quidem candelabra per se non lucent, sed sunt lucis acceptabula. Ita ex nobis tenebræ, non lux exoritur. Sed si lux illa æterna lumen collocet in candelabrum, lucet lux: si illuminet ecclesiam Christus fide & puritate, exerit se fides in confessione, & puritas uitę in conuersatione. Hoc autem ab ecclesia sua requirit Dominus, Matth. cap. 5. Sic luceat lux uestra, &c. Et Apostolus Philip. 2. In medio nationis prauæ & tortuosæ lucete tanquam luminaria in mundo. *Candelabra.*

Et hactenus tractauimus consolationem Christi, & expositionem uisionis magnæ illius & cœlestis, ex qua mysteria fidei de Christo & ecclesia eius didicimus: ut sciamus, Christum esse Dominum regnantem in ecclesia, & omnia ad salutem suorum fidelium referentem. dare illum pastores, per hos docere, & hos illum seruare & tueri. Ipsi sit gloria, &c.

De epistolis è throno Dei à Christo per angelum reuelatis, & à Ioanne exceptis & missis. Vbi & pars epistolæ ad Ephesios exponitur.

CONCIO VII.

ANGELO Ephesinæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui tenet septē stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Noui opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quòd non potes sustinere malos: & tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, & non sunt, & inueneristi eos mendaces: & tulisti, & patientiam habes: & laborasti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti. CAP. II.

Vidit charitas uestra imaginē quandā Christi Domini, in gloria agentis ad dexteram patris: ita tamen, ut ecclesiā suam nullo modo uel deserat, uel negligat. Sequitur porrò plenius & planius, quomodo Dominus noster Christus in cœlis officiū pontificis opt. max. obeat, omnēq; ecclesiā per ministros suos doceat, increpet, cōsoletur, atq; in officio contineat: denique semper auertat noxia, prouehatq; ad maiora. Sequuntur enim epistolæ septem, ad ecclesias septem: id est, ad omnes in toto terrarum orbe ecclesias. Non enim hæc amplissima salutaris q; doctrina ad paucos est restringenda, cum Christus sit pontifex catholicus. *Christus pontifex ecclesiæ.* *Septem epistolæ.*

Cæterùm maxima est harum epistolarum authoritas. Etenim reuelantur è throno Dei, per filium Dei, loquentem per angelum, qui epistolas dictat: excipit ac scribit, iubente Christo, Ioannes, mittitq; ad septem ecclesias: atq; adeò non minus ad nos illę pertinent, quàm si modò templum ingressus tabellio, hasce nobis exhiberet literas. *Authoritas harum epistolarum.*

Porrò in his septē ecclesijs adumbratur nobis omnium ecclesiarum per omnia tempora ingenium, mores, uitia, medicina, uirtutes, uituperatio, laudes, & quęcunq; circa ipsas euenire solent. Sunt exempla præstantissimarū ecclesiarum mediocrium, mixtarum, *Epistolæ catholicæ.*

rum, hypocritarum & conſceleratarum Has uerò Dominus noſter euidenter inſtruit, arguit, increpat, uituperatq́; laudat, corrigit, impellit, hortatur, conſolatur, ijſdem minatur, atq; eis læta quoq; promittit, &c. Exemplum hoc non leue aut uulgare eſt, ſed filij Dei, ſummi & beatiſsimi pontificis: docens nos, quomodo agatur cum omnib. eccleſijs pro cuiuſq; modulo atque ingenio.

Septem urbes Aſiæ. Et quidem deligit ſibi non temerè nobiliſsimas Aſiæ urbes ſeptem. Certum eſt, Aſiam primùm inhabitatam eſſe ab hominibus, indeq́; in alias orbis partes eſſe diſperſos. Certum eſt, diabolum in Aſia ſibi collocauiſſe thronum, ac regnaſſe per idololatriã, per cædes, per ambitionem, per auaritiam, per immunditiem, fœdasq́; uoluptates in hominibus. Notum enim prouerbium, Riſus Ionicus. Notum quid Apoſtolus ſcripſerit ad Epheſios cap. 4 & 5. Proinde uoluit Chriſtus Dominus thronum illum diaboli ſubuertere, & ſuum illum iuſtitiæ & ſanctitatis thronum erigere. Aſianos ergo petit inprimis, ut horum exemplo totus corrigeretur orbis.

Epheſius. Inter urbes Aſiæ Ioniæq́; maximè nobilis fuit Epheſius, olim Aſiæ lumen appellata, interq́; Ioniæ urbes duodecim præcipua habita. Nec aliud opulentius templum per Aſiam, aut ornatius creditũ aut ſpectatũ eſt, quàm Dianæ Epheſinæ templum. Id urbe media ſurgebat, Græcæ magnificentiæ uera admiratio, ut ait Plinius. Ducentis hoc & uiginti annis factum traditur à tota Aſia: poſitumq́; in paluſtri ſolo, ne terræmotus ſentiret, aut hiatus. Longitudo 425 pedum, latitudo 220 erat. Columnæ centum uiginti ſeptem, à ſingulis regibus dicatæ. Reliqua pete ab illuſtri uiro D. Ioach. Vadiano, ex Epit. Hanc primus iubare Euangelico illuſtrauit Paulus apoſtolus, cuius extat ad hanc epiſtola, & hiſtoria copioſa in Actis apoſt. cap. 19. Sublato Paulo, Ioannes conceſsit Epheſum, & inde toti prædicauit Aſiæ: inde quoq; Romam ad Domitianum perductus eſt: illuc ab exilio redijt. ibi tandem, quod hiſt. Eccleſ. teſtantur, obdormiuit in Domino.

Templum Epheſinum.

Scriptura eſt authentica. Singulis uerò epiſtolis, nedum Epheſiorum, præfigitur mandatũ, Scribe. Mandatum hoc addit authoritatem ſcripto, ut nõ liceat interrogare, an credendum ſit huic ſcripto, & quare credendum? Nam extat mandatum Dei, atq; adeò diuina authoritas, in quam curioſius inquirere nefas meritò creditur. Ex mandato Dei ſcripſit Moſes: ſcripſerunt ex eodem Dei mandato prophetæ & apoſtoli. cur ergo non creduntur ipſorum ſcripta eſſe authentica? Certè Ioannes uerè & prudenter dixit: Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. 1. Ioan. 5. Ceſſant hic curioſæ quæſtiones, quando animus pij, uel ouiculæ cuiuſq;, agnoſcit uocem ſui paſtoris & domini.

Angelo inſcribitur. Nemo autem exiſtimet, hanc epiſtolam uni inſcriptam angelo, id eſt epiſcopo uel paſtori, nihil ad eccleſiam pertinere. Nam ſub finem epiſtolę epiphonema adijcitur: Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs. Nominatur ergo paſtor, ſed non excluduntur ouiculæ. Norunt omnes in eccleſia gradus & ordines, quid ſibi dicatur. Inſcitia dicit: Quod Romanis ſcriptum eſt, nihil ad me pertinet. Interim uerò angelo inſcribitur, ut admoneantur paſtores, in ipſis eſſe permultum ſitum, qualis ſit eccleſia.

Argumentum epiſtolæ ad Epheſ. Argumentum epiſtolæ primæ tale eſt: Exponit Chriſtus ſe præſidere ſuæ eccleſiæ, hanc ipſum curare & gubernare. Laudat in ipſa quædam, quædam uituperat: interim hortatur ad pœnitentiam, minitando grauia, & pollicendo fœliciſsima. Sed & hanc epiſtolam applicat, atq; adeò communicat omnibus in orbe uniuerſo eccleſijs. Cęterùm protreptica eſt epiſtola. Nam inſtruit eccleſias, exhortatur & dirigit.

Et principiò quidem exponit quis ſit, à quo procedat epiſtola, ut ei authoritatem addat: ſimul & explicet, ſe eſſe ſuæ eccleſiæ caput, pontificem, ducem & gubernatorem. Ea pars petita eſt ex icone uel imagine, primo capite propoſita. Ac imitatur propheticum loquendi genus, dicens: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas. Nam & prophetæ dicunt: Hæc dicit Dominus Iſraelis, Hæc dicit, Dominus exercituũ, Hæc dicit Dominus qui eduxit te ex Aegypto, &c. Duo autem ſingularia ex ſuperiore deſcriptione repetit, ex quibus uult innoteſcere, & nos intelligere, quomodo Dominus & pontifex præſideat eccleſiæ, ac uerſetur in eccleſia. Primùm aſſeuerat ſe tenere in manu ſua ſeptem ſtellas. Manus, eſt ſymbolum operationis & protectionis, ſiue aſſertionis. Stellas audiuimus eſſe miniſtros, adeoq́; miniſteriũ uerbi, uel eccleſiæ. Chriſtus ergo in eccleſia tenet

Septem ſtellæ in dextera Chriſti.

mini-

miniſterium,& operatur per miniſtros ſalutem fidelium. Deinde aſſerit, ſe obambulare,non dormite,aut nihil agere, in medio ſeptem candelabrorum aureorum. In medio dixit,ut intelligeremus,ipſum ſe ex æquo impartiri omnibus,& cura gubernationeq́ue pari præſidere omnibus.Rectè D.Franc. Lamberti: Quid, inquit, eſt ambulare, ſeu eſſe in medio eccleſiarum,niſi eis adeſſe,eas ſeruare, erudire, iuuare, ac modis omnib. ſuper eis aduigilare?Qua ratione etiam dicit Matth. ult. Ecce ego uobiſcum ſum omnib. diebus, uſq; ad ſeculi conſummationem . Huius rei figuram aptiſsimam habes in lege: in qua inter alia,quę ad ſummi ſacerdotis miniſterium pertinebant,erat cura olei & lucernarum ſeptem.Eas ſiquidem purgare & emungere debuit,oleumq́; poſteaquam defecerat,infundere.Sic Chriſtus ſummus uerusq́; pontifex, curam habet lucernarum ſeptem,id eſt eccleſiarum omnium : ſolicitusq́; eſt ne deſit eis illud oleum, cuius mentio fit Pſal.44.Aduigilat item,ne deſit eis ueritatis ignis & lux. Deniq; emungit ac purgat fide,quicquid in eis purgatione opus habet.Hæc ille. Quæ cum audiunt,qui pont. Romanum conſtituunt caput eccleſiæ,mirum ſi non protinus intelligant ſuam ſtultitiam & inſaniam. Addit hic quoque Dominus, ſe nouiſſe opera,nimirum bona & mala omnia,& epiſcopi & eius eccleſiæ.Omniſcius enim eſt Dominus,& pontifex ſummus eccleſiæ catholicæ. Qui etiam cogitationes omnium in orbe hominũ uno tenet momento:qui uidet quid fiat & quid non fiat,quib. rebus opus ſit.Nihil fugit illum. Et talem quidem eſſe oportet,qui eſt caput uniuerſale ſuæ eccleſiæ.Repetitur autem hæc ſententia,Noui opera tua,in capite ſingularum epiſtolarum. Et conſolatione quidem refertum eſt,cũm audimus Chriſtum omnia noſtra nouiſſe.Simul enim credimus, illum omnia noſtra fideliter curare.

Obambulat inter cãdelabra.

Rom.pont.caput eccleſiæ.

Iam pontifex tantus, quædam laudat in iſta Epheſiorum eccleſia.Probantur enim Chriſto uerè bona opera noſtra,& prædicat illa, ut currentibus in uia ipſius, addat calcar. Principiò autem probat laborem & patientiam, & epiſcopi & eccleſiæ. Labor comprehendit ſolicitudinem curamq́; in uia Dei,mortificationem carnis, ſtudium bonorum operum, in primis autem crucem & perſequutionem,quam ſæuiſſe Domitiani temporibus,teſtatur hiſtoria.Niſi uerò patientia adſit certantib. laborem minimè ſuſtinemus. Patientia ſancta conſeruat nos in opere & labore ſancto.

Labor & patientia.

Porrò ne extenderetur patientia ad ea in quib. impatientem eſſe laudi ducitur, ſubiungit ſecundum quod in eis prædicat,quòd nõ potes βαστάσαι κακούς, ſuſtinere prauos. Prauos autem uel malos dicit,non infirmos,aut nulla malicia errantes. Sed & prophetа dixit Pſal.119.Iniquos odio habui,legem tuam dilexi. Quid agamus cum infirmis in fide,aut cum errantibus ex inſcitia,potius quàm malitia & obſtinacia,docuit nos Apoſtolus Rom.14.cap. Docuit & exemplum Seruatoris,errabũdam ouem humeris in cau lam reportantis. Loquitur ergo de obſtinatis hîc Dominus, de impoſtoribus, quibus ſuaue eſt errare,& alios ſecum in errores abſtrahere. Hos nulla iubet ſufferre patientia Chriſtiana.

Non ſuſtinere prauos.

Et quidem conſequentibus exponit, quales fuerint illi mali. Et tentaſti eos, qui ſe dicũt apoſtolos eſſe,& nõ ſunt,& inueniſti eos mendaces.En loquitur de pſeudoapoſtolis,quorum ſeculo Ioannis multo uberrimus erat prouentus.Erant enim Nazaræi, miſcentes legem cum grãtia,& tribuentes legi & iuſtitiæ noſtræ iuſtificationem.Hos damnauerat ſancta & magna ſynodus Hieroſolymitana, ſicut extat in Actis apoſt.cap. 15. Talis pſeudoapoſtolus erat Hebion, cuius mentionem facit Euſeb.Eccleſ.hiſt.lib. 3.cap.27. Accedebat huic Cerinthus hæreticus,nõ apoſtolus. Accedebant alij,quorum hi humanitatem Chriſti, illi diuinitatem eius negabant. Contra quos ſcripſit Ioan.in Euãgelio ſuo,& in epiſtola ſua:& Irenæus lib.cõtra hær.1.Negat Dominus hos eſſe apoſtolos,uel apoſtolicos:quod & apoſtoli negarũt,Act.15.Sed & Ioã.apoſtolus in Canonica ſua: Quis eſt mẽdax,inquit,niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtũ?&c.Porrò ſi uiuẽtib.ad huc apoſtolis tanta fuit cõturbatio eccleſiarũ,ſi tot fuerũt impoſtores,quid mirũ ſi in fece ſeculi,noſtro ſcilicet tẽpore extremo,nõ pauci reperiãtur?ubi ergo ſunt qui diſſenſiones & turbationes abripiunt in patrociniũ erroris?Ipſi,inquiũt, euangelici diſſentiunt. Deus,conſenſionis Deus eſt,quomodo ergo credam eſſe Deum apud diſſentientes?Sic licuiſ-

De pſeudoapoſtolis tempore Ioannis.

Conturbatio eccleſiarum.

licuisset & apostolorum ætate argumentari sophistæ.

Quomodo agendum cum hæreticis.

Habemus autem hic exactam rationem, quomodo agant ecclesiæ, dum turbatores ecclesiam instar pseudoapostolorum discindere tentãt. Huiusmodi enim duces tentandi, id est probandi sunt: probandi autem ad symbolum Christianum, ad doctrinam apostolicam, & inquirendum apostoli ne sint & ueraces, an pseudoapostoli & mendaces. Vbi deprehenderimus pseudoapostolos esse & mendaces, & ipsos pertinacitur pergere in nequitia sua, ferendi non sunt: sicuti ne Ephesij quidẽ huiusmodi nebulones sustinere dignabantur. Sciendũ est aũt, alia ratione pastores, alia ratione magistratũ sanctũ, alia ratione plebẽ non ferre hæreticos proclamatos. Pastor enim nõ tantũ nõ fert, dissimulando & cauendo sibi priuatim à lupis illis, sed doctrina sana illos oppugnat, repellit ab ouilib. Christi: magistratus uerò, quia Christianus magistratus est, & officio quoq; suo, nõ tantum ut priuatus, sed ut magistratus, seruire debet Christo, gladio quoq; iusti tię arcere debet ab ecclesia uenenũ, & punire manifestas blasphemias. Sed populus, neq; audire, neq; recipere, neq; quicquã cõmercij cum hæreticis habere, atq; ita illos non sustinere iubetur. Pudeat ergo suæ malitiæ & peruersæ patientiæ prætextus, quib. turpe non uidetur patrocinari hæreticis, ac adulari manifestis Christi & ecclesiæ hostibus.

Odiũ piorum, quo impios prosequũtur.

Psal. 15. ille laudatur, qui non magnifacit impium: id est, in cuius conspectu uilis est impius. uituperatur ergo meritò, quicunq; impijs adulatur. Et odium quidem tale magis est contra maliciam, quàm contra mali personam, quæ per se iubetur diligi. Hodie diabolus ueteres hæreses Hebionis, Cerinthi, & aliorum, in Serueto Hispano, & in Anabaptistis, Libertinis & alijs monstris excitat, ut ipsa res & rei periculum uigilare iubeat, arcereq́ue à sancta Christi ecclesia lupos crudelissimos, qui interim nihil magis quàm patientiam & charitatem prædicant, nimirum ut ipsis parcatur, impuneq́; liceat quidlibet in Christum docere & agere in ecclesia, imò hanc impijs lacerare dentibus.

Patientia & constantia in pugna.

Cum uerò non tolerantur, sed oppugnantur homines mali, seducti & seducentes, grauis oboritur pugna: unde rursus sunt labores, solicitudo, cura, uigiliæ, iniuriæ ferendę, propter nomen Christi & ueritatis patrocinium. Nisi enim hic fuerimus seduli & patientes, superant impostores. At hic egregiè sese gerebat Ephesiorum ecclesia, adeò ut Dominus iam pastoris & ecclesiæ eius fortitudinẽ & patientiam, atq; adeò constantiam maximopere laudet. Neq; enim hæc ita sunt exponenda, ut referamus ad eá patientiam, qua mali tolerantur, eisq́; permittitur progressus in malitia & impostura. Sic enim pugnaret hic locus cum ijs quæ mox præcesserunt. Id uidetur uulgaris interpres uitare uoluisse, qui ordinem uerborum inuertit. Sic enim legit: Et patientiam habes, & sustinuisti, &c. cum Græcè legatur, καὶ ἐβάστασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις: id est, Et sustinuisti, & patientiam habes. Vetus ille inuertit, & noluit Sustinuisti præponere: sed, Et patientiam habes: ne quis intelligeret, illos sustinuisse pseudoapostolos. sed præmisit patientiam, subiecit tolerantiam: ut intelligeremus, illos toleraſſe non malos, sed mala illata à malis. Ita uerò patientes laborarunt propter nomen Christi, nimirum asserendum contra prauitates hæreticas. Et addit, Non defecisti, fessus fractusq́; laboribus. Etenim uincere docemur per patientem constantiam: quę quidem rectè dicitur omnis boni operis complementum.

Hæc scilicet omnia singulaq́; nobis applicare oportet, ac intelligere quib. reb. etiam hodie placeamus Christo redemptori, regi & pontifici nostro, si uidelicet in ijs ambulauerimus uestigijs, in quib. ambulasse uidemus Ephesiorum ecclesiam.

Primam charitatem reliquerant.

Sequitur, quid in illa ecclesia uituperet: quòd reliquerit charitatem primam. Cum ab initio reciperent Euangelium à Paulo, & deinde à Ioanne & alijs uiris apostolicis, feruor apparebat in omnib. dictis & factis fidelium maximus: id quod ex Actis apostolicis, & ex epistola Pauli ad Ephesios colligere licet. Amabant Deum & proximos, ardore quodam feruentiss. flagrabant in reformandis morib. Sed progressu temporis hic feruor deferbuerat, ac frigidiores subinde reddebantur in uera pietate. Hoc ingens scelus opprobrat eis, & quod mox sequetur correctum cupit. Obseruemus autem ecclesiæ imputari non tantum defectionem, idololatriam, & crassa alia flagitia, sed etiam si aliquid decedat feruori sancto: ut hinc discamus, quàm sanctos & inculpatos nos esse coram

ram Deo oporteat. Certè non possumus nos hic excusare coram diuina maiestate, qui ante 30 annos longè fuimus in hac ecclesia feruentiores, quàm simus hodie, &c. Dominus Deus noster accendat mentes nostras, ut ipsi placeamus. Ipsi gloria.

Exponitur altera pars epistolæ ad Ephesios, ubi dicitur de pœnitentia & Nicolaitis.

CONCIO VIII.

MEmor esto itaq; unde excideris, & age pœnitentiã, & prima opera fac. Sin minus, ueniam tibi citò, & mouebo candelabrũ tuum de loco suo, nisi resipueris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarũ, quæ & ego odi. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo edere de ligno uitæ, quod est in medio paradisi Dei mei.

Finis obiurgationum Domini.

Accusationes Christi Domini, quib. aduersus peccatores & cultores suos utitur, sanè huc non pertinent, ut homines contumelijs adoperti pudefiant, desperent & pereant: sed magis ut emendentur, restituantur ac uiuant. Dominus ergo Iesus increpationi suę protinus subiungit adhortationem ad pœnitentiam, ut salui fiant: simul & pœnitentiam describit, ueram & legitimam.

Audiuimus enim, quid culpauerit in Ephesiorum ecclesia: audiamus porrò, quid requirat ab ea Dominus, & quomodo correctum cupiat errorem, nimirum per pœnitentiam, ad quã hortatur. Diximus enim, Dominum percutere & sanare: maximè hic. quæ quidem doctrina quasi iugis uel perpetua est ecclesiæ Christi.

Hortatur ad pœnitentiam.

Trium maximè meminit in hac caussa, suoq; cõsilio uel adhortatione ad emendationem. Principiò suadet, aut hortatur, meminerint, πόθεν ἐκπέπτωκας, unde exciderint: id est, quanta dilectione hucusq; flagrarint, & quàm modo frigeant: quàm in felici & honesto loco hactenus constiterint, & quàm in infelici & turpi nunc iaceãt. Agnitio enim sceleris pœnitentię principium est, si fide illuminati rectè expenderimus, quę bona amisimus, & in quib. malis nũc uersemur. Qui se existimat nihil amisisse, nunquã permouebitur ad ullã inquisitionẽ. Qui putat se nulla excidisse felicitate, non cogitabit quicquã, quomodo possit restitui. Agnitionẽ ergo & confessionẽ peccatorũ in emẽdatione pręcedere oportet, qua corã Deo inopiã & miseriã nostrã deploremus. Et quidẽ nõ excidũt felicitate, qui nõ fuerunt unquã in ulla felicitate. Discimus ergo, sanctos posse excidere, posse item restitui per pœnitentiam. Deinde agnitionem miseriæ sequitur pœnitentia: ea est reditio ad mentem, ne pergamus semper esse amentes & stulti, proficiscentes in uia uanitatis & iniustitiæ. Et enim pœnitentia, est reditio, conuersio & mutatio, qua auertimur à malo, & cõuertimur ad bonum, redeundo ad mẽtem, & faciendo iustitiã.

Agnitio sceleris.

Excidunt sancti.

Pœnitentia.

Postremò enim sequitur, quod hanc pœnitentiam explicet, Fac opera priora: scilicet sis feruens iterum in dilectione, operare opera fidei, quæ sunt digni fructus pœnitentia. En, non est necesse nouis legib. & disputationib. prolixis de emendatione. Breuiter, fac opera priora, nõ quidem carnis, sed quæ cœperas cum primùm reciperes euangelium, & renascereris in Christo. Hęc deniq; uera reformatio est, facere priora Dei opera: non posteriora, quæ instituit error mundi. Hæc demum est & erit uera pœnitentia, peccati agnitio, conuersio ad Deum & ad bonum, & auersio à diabolo & malo, atq; adeò operatio boni primi, uel iustitiæ diuinę ex fide in Christũ. Multæ & uariæ sunt disputationes de pœnitentia & partibus eius, de contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis: sed ut nulla est breuior hac Iesu Christi, ita sanè nulla est melior & certior.

Vera satisfactio.

Minis perpellit.

Quid sit mouere candelabrũ.

His iam pro ratione exhortationis diuiniq; consilij adhibet minas grauissimas, si fortè periculum percellat, quos amor nõ commouit. Et dicit quidem pauca uerba, sed malum ingẽs intelligit ineffabile & inexplicabile, Nisi egeris pœnitentiam, mouebo candelabrum tuum de loco suo. Candelabrum, id quod ipse Dominus ita exposuit, est ec-

clesia. Consistit hæc in loco suo, dum innititur Christo: & conseruatur à Christo, dum ualet in ea ueritatis prædicatio, ac est reuera Christi ecclesia: mouetur de loco suo, cum spoliatur prædicatione ueritatis, nec iam in Christũ amplius incumbit, neq; à Christo defenditur, sed deseritur, atq; adeò ecclesia Christi uera amplius non est. Fit hoc ab ipso Christo, iusto eius iudicio, quando ingratitudo nostra, & uita pœnitere nescia, adigit Deũ recedere à nobis, relinquere nos errorib. & tenebris, hominibusq; seductorib. &c. Hunc sensum agnouit Aretas, qui: Moueri, inquit, ecclesiam est, cũ à diuina gratia destituitur ac denudatur: ob quam denudationem in fluctuatione & tẽpestate, quæ sibi à prauis hominibus ingeruntur, agit. Et quidem uidemus Ephesiorum ecclesiam hodie motam loco suo, non amplius gaudere doctrina Christi salutifera, neq; insistere ipsam salutari petrę Iesu Christo: sed opprimi pestifera Muhamedis insania, iacereq; in dolorib. sub pedib. Turcarum. Videmus hodie in Germania multa, proh dolor, candelabra suo loco mota esse, magno cum triumpho sathanæ, detrimentoq; animarum. Obseruandum quoq; & illud in ista comminatione, quod non sine terrore ait, Veniam tibi citò. Loquutio enim est. Dicimus enim & nos, *Ich wil dir bald gnůg kummen, &c.* id est, adero uindex & ultor, & fortè citius quàm ipse expectes. Certissimè, quandocunq; tandem ueniam, supplicium de te sumam. Nemo ergo promittat sibi impunitatem in uita pœnitere nescia.

Venit nobis Dominus citò.

Resipiscentia sola & uera est restitutio.

Rursus cum repetit Dominus, Nisi resipueris, diserte testatur, paratum patẽre sinum misericordię & clementiæ diuinæ, si egerimus pœnitentiam, utcunque prius ipsum offenderimus. interim discimus palàm & certissimè, nullis uel concilijs uel comitijs, exercitibus aut artibus uel tantillum proficiri in periculis, nisi egerimus pœnitẽtiam. Ergo nisi & nos ecclesias nostras subuerti uelimus, & tradi seducendas & perdendas diabolo, & eius seductoribus, agamus pœnitentiam, recipiamus denuò primã charitatem.

Odisti facta Nicolaitarũ.

Rursus singularem uirtutem in hac ecclesia commendat, maximè quòd oderit facta Nicolaitarum, quæ ipse etiam Deus odit. Obseruemus hic singula uerba. Non dicit Fugisti, auersatus es, aut contempsisti: sed, odisti. Odij magna uis est, impellens usq; ad persequendũ, quod oderis. *da ist gar kein gnad.* Deinde nõ dicit, Odisti Nicolaitas: sed, facta Nicolaitarum. Personam enim hominis nullam per se odisse debemus, sed ipsum in homine uitium: ita ut, cum hoc deposuerit, amemus illum ex animo. Ingens autẽ malum esse oportet, quod ipse Deus fatetur se odisse. Intelligent hic ecclesiæ omnes, quod & ipsę modis omnibus odio prosequi debent Nicolaitarum hæresim & abominationes. Tametsi nomen hodie extinctũ sit, supereſt tamẽ hęresis & abominatio Nicolaitica.

Odit Deus Nicolaitas.

De Nicolaitis.

Nicolaus ille dicitur fuisse Antiochenus ille, unus ex septem diaconis, quorũ fit mẽtio in Actis cap. 6. Defecit hic à puritate fidei, sicuti & Iudas: & cum prius fuerit gẽtilis, (dicitur enim fuisse proselytus) redijt in quibusdam ad Gentilismũ canis ad uomitum. Sunt autem Nicolaitæ etiam Gnostici, & Carpocratis consortes, homines fœdi & cõsceleratissimi. Excusat nonnihil Nicolaum Clemens apud Euseb. Eccles. hist. lib. 3. cap. 29. sed nõ uidetur ea esse iusta excusatio, cum eundẽ accusent omnes uno ore ueteres, atq; adeò ipsum Dei nostri iudiciũ in præsenti & in cõsequentib. epistolis. Irenæus damnat hunc ex hoc loco, lib. contra Valentinianos 1. cap. 27. &c. Ita & Tertullianus in fine Præscript. hęret. Prudenter hic facta Nicolaitarum attingit & execratur: interim non explicat, sed præterit. Nescio quàm prudenter Epiphanius nefanda & abominanda, neque cogitanda aut referenda flagitia & spurcissimas, nunquam auditas obscœnitates ordine explicarit, Hæresi 25. 26. 27. 31. &c. Attigit Nicolaitas & Phylastrius & Augustinus, uterq; in suo hæreseωn Catalogo. Pudor meminisse prohibet. Satis est, si sciamus illud, quod in Pergamensi epistola ipse Dominus exposuit, uocãs doctrinam Nicolaitarum, doctrinam Balaam auguris. Quis autem ignorat, quale consilium dederit hic regi Balac Moabitico & Madianitico, & quomodo hic elegantes puellas obiecerit iuuenib. Israeliticis, quarum assuetudine illecti, & fornicationibus se polluerunt, & de idolothytis manducarunt, participantes Baalpæor? Legat, qui uult, Iosephi antiquitates lib. 4. cap. 6. Et quidem uidentur sacra Nicolaitarum nihil diuersi habuisse à sacris Priapi, uel Berecynthiæ, aut Matris deũm & Bacchi nocturnis. Irenæus palàm innuit, Carpocratitas, qui

qui & ipſi Gnoſtici appellantur, non abhorruiſſe à ſimulachris, imò pinxiſſe & fabricaſſe ſibi Ieſu & Pauli imagines, unà cum quorundam philoſophorum iconibus: & Ieſu quidem, uti fabulabantur, ipſam eſſe expreſſam à Pilato, iubente ad uiuum pingere faciem Ieſu, &c. Vtcunq; uerò id habeat, hoc certum eſt, facta Nicolaitarum fuiſſe ſtupris & fornicationib. infamia: & Nicolaitas ab idolis, & ijs quæ oblata erant idolis, non abhorruiſſe. Contra quem errorem & Paulus multa ſcripſit, 1. Cor. 8. 9. 10.

Diſcamus hinc abhorrere fornicationem, & nunquam in animũ inducere fornicum aut lupanariũ reſtitutionem. Proh pudor. Diſcamus hinc ſanctè colere uirginitatem, cœlibatum, & connubia legitima, fugere canes Nicolaitas. Diſcamus hinc, nobis cauere ab idolis & ab idololatria, à peregrinis ſacris omnibus. Illa omnia odit Deus. *Fornicatio.*

Epiphonemate porrò percellit omnium aures, excitans omnes ad attentionem & obedientiam ſanctam. Simul etiam hanc doctrinam applicat omnibus temporibus, & omnibus per orbem eccleſijs. Vtitur uulgari ſuo ſermone, repetito toties in Euangelio: Qui habet aurem audiendi, audiat. Non quòd in uirib. noſtris ſit audire & obedire Deo. Deus enim præparat aures noſtras, & gratia ſua corda noſtra format & attrahit. quib. autem conceſſa eſt Dei gratia, caueant ne negligentia, uanitate, & leuitate ſua amittant. Adhibeant eam diligentiam, quam Deus in uerbo ſuo & requirit & præſcribit. Hoc qui faciunt, aures audiendi habẽt. Dicit ergo, Videte uos quib. loquitur modò Deus, & quorum corda modò inſtigat & exagitat, ne gratiam hanc negligentia ueſtra perdatis. Eſte diligentes, attenti & ſagaces, excitando in uobis ipſis donum Dei. *Qui habet aures audiendi, audiat.*

Iam etiam ab authoritate diuina excitat ad diligentiam. Spiritus Dei hæc loquitur & reuelat, non ſpiritus hominum aut erroris. Loquitur enim Deus per ſuum ſpiritum, qui & patris & filij ſpiritus eſſe legitur. Sed & omnibus eccleſijs hæc omnia & ſingula accõmodat, cum ait, Quid ſpiritus dicat Eccleſijs, non quid dicat Eccleſiæ. Claret ergo nunc, & eſt extra omnem controuerſiam, ſeptem illas eccleſias typum omnibus præferre in toto orbe eccleſijs, & has omnes erudiri in illis ſeptem. *Spiritus hæc loquitur.* *Pertinent hæc ad omnes eccleſias.*

Porrò ne quid deeſſet iuſtæ huic exhortationi ad pœnitentiam, ad fidem & diligentiam, poſtremo loco ſubiungit promiſsionem ampliſsimam, utiturq; oratione allegorica, quo plus gratię haberet. Vincentibus enim promittit ſe daturum fructum de arbore uitæ, conſitæ in paradiſo Dei. Et alludit ad cap. 2. Geneſeos, transfert autem ſenſum à terrenis ad cœleſtia. Paradiſus Dei (per quam alij intelligunt eccleſiam) ipſa eſt æterna beatitudo, de qua loquutus eſt Dominus, latroni dicẽs: Hodie mecũ eris in paradiſo. In hac eſt arbor uitæ Chriſtus, communicans nobis uitam ſuam æternam: qua fruimur, dum translati in cœlos, per ipſum, & cum ipſo uiuimus. Hęc demum uera eſt ambroſia, qua potat nos pater cœleſtis. Hoc autem ingens bonum non obtingit cuilibet, ſed uincenti duntaxat. Non uicerat Adam, ſed uictus occubuerat. Si nos ergo uicerimus carnem, diabolum & mundum, idque per Chriſtum, uiuemus & nos in futuro ſeculo cum Chriſto. *Ampliſs. promiſsio proponitur.* *Paradiſus.*

Complutenſis codex habet, Quod eſt in medio paradiſi Dei mei. Aretas quoque id exponit, & ait: Nemo his offendatur. Congruunt humilia uniuerſa diſpenſationi incarnationis, quæ noſtri cauſa facta eſt, cum & ipſe in Euangelio dicat: Aſcendo ad patrem meum, & patrem ueſtrum: ad Deum meum, & Deum ueſtrum. Et reliqua. *Dei mei.*

Et hæc quidem hactenus de epiſtola Ieſu Chriſti per Ioannem ad Epheſios, & quid utilitatis ex ipſa noſtræ quoque eccleſiæ, & ſinguli noſtrũm percipiant. Dominus illuminet oculos mentis noſtræ.

Exponitur 2. epiſt. Ieſu Chriſti per Ioan. ad Smyrnenſes. Eſt autem adhortatio ad patientiam, & conſolatio in afflictionibus.

CONCIO IX.

T angelo Smyrnęorum eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus & nouiſsimus, qui fuit mortuus & reuixit: Noui opera tua, & afflictionem, & paupertatẽ, ſed diues es: & blaſphe-

miam eorum, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed synagoga sathanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex uobis in carcerem, ut tentemini: & habebitis afflictionem dierum decem. Esto fidelis usque ad mortem: & dabo tibi coronam uitæ. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs. Qui uicerit, non lędetur à morte secunda.

Argumentum epistolæ secundæ.

Adhortatur Iesus Christus à dextera patris, opera angeli per Ioan. apost. & euang. ecclesiam Smyrnensem, iam omni genere malorum propter uerbum Dei afflictam, ad tolerantiam, & consolatur iam gementem sub cruce, magnifica uincentibus promittens. Et quidem non potest huius generis, & in hac causa melior & breuior inueniri adhortatio & consolatio. Etenim sic est instituta ab æterna patris sapientia, ut omnibus temporibus & omnibus sub cruce gementibus optimè congruat. Sicut enim Christus ad dexteram patris catholicus est pontifex, ita sanè generalis est doctrina eius, quam & omnibus ecclesijs ipse applicat in fine huius epistolæ, & in alijs. Ita autē declarat, se suam amare ecclesiam, & in ipsa esse præsentem uirtute & auxilio.

Generalis consolatio & adhortatio ad patientiam.

Et quidem mirandum est, nihil uituperari in hac ecclesia, cum in alijs propè omnib. aliquid accusetur. Eximia ergo fuit Smyrnensis ecclesia, sed interim non omni nęquo uacua. Ex gratia enim non reputat nobis minutias Dominus (de quibus propheta dicit, Quis dicet, mundum habeo cor? Et, Ab occultis meis munda me) modò ardens sit in nobis pietatis studium, & absint flagitia.

Smyrnensis ecclesia præclara.

Principiò indicatur, cui destinetur epistola cœlestis, Angelo Smyrnensis ecclesiæ: id est, pastori, atq; adeò toti gregi. Dux enim conflixisse aut fugisse, aut pacem recepisse dicitur, quando totus exercitus unà cum duce hoc fecit. Testantur autem historiæ, angelum siue pastorem illum Smyrnensis ecclesię Polycarpum fuisse, ordinatum ab ipsis apostolis, ab ipso inquam Ioanne, episcopum, ac uixisse in ministerio huius ecclesiæ annos 86. Totidem enim ipse numerat coram præfecto Herode, dum posceretur ad supplicium. Nam in persequutione ecclesiæ quarta, imperantibus Aur. Antonino & Aur. Commodo, captus, & ad præsidem adductus est: tandem & ob ingenuam & apertam Christi confessionem igni exustus. Erat illi hoc in ore frequentissimum: *Nihil recipiendum pro uero, nisi traditum constet ab apostolis*. Irenæus hunc se in pueritia ualde grandęuum & uenerandum senem uidisse, testatur lib. contra hæres. 3. cap. 3. ubi multa præterea de eo commemorat, sicut & Euseb. Eccles. hist. lib. 4. cap. 14. & 15. & S Hieronymus in Catal. scriptorum ecclesiæ illustrium. In Chronicis annotat Euseb. uitam hunc martyrio consummasse anno Domini 170. Vnde claret, illum factum esse episcopum Smyrnēsem anno Domini circiter 84. Diximus enim modò, in ministerio ipsum annos exegisse 86. Ideoq; ante editam Apocalypsim, quę 97 anno conscribitur, plures annos Smyrnēsi ministrauerat ecclesiæ. Vtinam omnes pastores hunc sibi præfigant imitandum Polycarpum, cuius insignis extat ad Philipp. epistola.

Scribitur epistola & pastori & gregi.

Polycarpus.

Dein iterum indicatur huius epistolæ author, qui ornatur duobus epithetis, ex superiori uisione Ioan. & descriptione Christi petitis. Hæc dicit primus, inquit, & nouissimus, &c. Significatur æterna Christi diuinitas, quæ principio & fine caret, ac æternū sibi constat. Additur, illum ipsum quidem mortuum fuisse, sed reuixisse, id est resurrexisse à mortuis. pulchrè autem hoc principium quadrat causę subiectæ. Intelligūt enim, quicunq; propter Christum & euangelium eius affliguntur à potentissimis principib. habere se Dominum & patronum longè potentiorem & fideliorem, qui omnino superari nō possit. *Er blypt wol der letst, alle tyrannen müssend hoff schlyssen, niemand überl ůbt Gott.* Hic etiam in morte suos seruare potest: sicut & Christum excitauit ex mortuis, ut apertum haberemus testimonium, nos uicturos in Christo, uel in ipsa etiam morte.

Author epistolæ.

Iam uerò descendit ad rem ipsam, & quod in omnib. alijs repetit epistolis, hic quoq; dicit: Noui opera tua, nimirū bona & mala. Noli cogitare, me te & tua nec nouisse, nec curare. Es sanè in meis descriptus manibus, te & tua omnia teneo, uideo, curo. Hæc autem

Nouit Christus opera suorum.

tem uehementer & excitant ad uirtutem, cum ſciamus nos habere ſpectatorem Deum, curatoremq;: & cõſolantur ualde, qui intelligimus eum qui nos amat, & in nulla negligit re, ueluti in oculis ſuis nos habere ſemper.

Singulariter uerò quid norit, explicat: & initiò quidem afflictiones, quas nimirum patiebantur in afflictione ſeu perſequutione præſenti Imp. Domitiani. Afflictio autem ueluti genus eſt, ad quatuor ſpecies ſubiectas. Cõmemorat enim, in facultatib. direptionem bonorum, ac paupertatem: in exiſtimatione & nomine contumelias, conuicia, ſiue blaſphemiam: in corpore, carceres & uincula, adde & mortem. His enim afflictionibus exercẽtur homines pij, propter ueritatem, ab impijs. ac licet ijs omnes reliquas includere tribulationis ſpecies. Illas uerò pulchro ordine commemorat Ieſu Chriſti epiſtola. Nihil ergo eſt harum rerum, quod ignoret Chriſtus Dominus. *Afflictiones.*

Primum locum habet paupertas. Nec eſt quòd illã ſpiritualiter pro animi modeſtia & humilitate accipiamus: quanq; ea uirtute Smyrnenſes non caruiſſe, certũ ſit: ſed exiſtit paupertas & inopia rerum omnium ex direptione bonorum. Etenim in perſequutionib. regijs edictis ita ſtatuentib. referuntur facultates fidelium Chriſti confeſſorum in ærarium publicum, uel permittuntur militũ aut nobilium aut delatorum libidini: ipſi fideles pulſi ſedibus ſuis, uel in exilium eijciuntur, uel mendicis adiunguntur. Vtinam careremus hodie exemplis. Diſcamus autem hinc, æquaminiter quoque ſimiles perferre caſus, ſcientes nouiſſe Deum noſtram inopiam. Quoniam uerò durum eſt, honeſtum cum ſuis eſurire & egere uirum, conſolationis ergò addit, Sed diues es. *Paupertas fidelium.*

Paradoxon hoc uidetur huic ſeculo: Quid, inquit, diues eſt, qui nihil habet, & ad mendicorum redactus eſt numerum? Sunt ſanè animi bona & diuitiæ longè præſtantiores corporis bonis. Hæc enim adeſſe poſſunt, abſente interim uera felicitate, & miſerrimam uitam uiuentibus huius ſeculi diuitibus. Contrà uideas pauperem, quòd bona quidẽ corporis attinet, ſed inſtructũ animi bonis, hoc duntaxat nomine uerè beatum, imò infeliciſsimum eſſe. Nihil hic cupit, ſua ſorte cõtentus eſt: neque cõmutaret ſuam conditionem cum opulentiſsimis regibus. Videas opulentos quidẽ, ſed malè ſibi conſcios: & ideo curis graues, & nunquam hilares. Videas pauperculos, ſed ſerenis animis perpetuum agere gaudium. Quid ergo mirum uideatur, ſi ſpoliatus propter Chriſtum externis bonis, ditatus autem animi facultatibus, gaudeat & exultet in Deo, ęquanimiterq; ferat quamuis ſortem, eaq; de cauſa uerè diues iudicetur? Certè uiderunt & huius ſeculi ſapientes, ſolum ſapientem uerè eſſe diuitem. Id quod eleganter diſputatur apud Ciceronem. Aretas: In ſpiritualib. inquit, theſaurum habẽs abſconditum in agro cordis tui, qui eſt Chriſtus, propter quem etiam diues es: ut qui hunc habeas protectorem, qui & ipſe diues cum eſſet, propter nos pauper factus eſt, &c. *Diuitiæ ſpirituales.*

Secundo loco commemoratur blaſphemia, per quam intelligimus omnis generis conuicia, quibus nomẽ & exiſtimatio bonorũ læditur. Huius generis ſunt: Hæretici & ſchiſmatici ſunt, quoquot huius nouæ religionis cultores ſunt: homines ſunt impij, Dei & ſanctorum eius contemptores, omnis diuini cultus hoſtes, & ideo peſtes reipub. quibus ſaluis, reſpub. ſubuerti neceſſe eſt. Et hęc quidem bonos uiros ſæpe grauius lædunt & excruciant, quàm bonorum direptio. Quis enim non pluris fecerit bonum nomen, quàm amplas facultates? Ideoq; Dominus in Euangelio apud Matth. in cap. 10. multis huic morbo medetur: ac ſuos hortatur, ne propter ignominiam illam uitandam, quicquam indignum nomine Chriſtiano deſignent. *Blaſphemia cõtra fideles.*

Interim etiam exponit, quid mouerit authores horum malorum, quos & grauiter uituperat, ut pij quoque intelligant quantopere hoſtes illi omnis pietatis improbentur Deo: & inde quoq; minus curent illorum odia & perſequutionem. Dicunt illi quidem, ſe eſſe Iudæos, cum nihil ſint minus. Sic etiam Paulus contra Iudæos egit 2. ad Roman cap. Iudæi appellantur confeſſores & celebrantes, atq; adeò fideles Dei cultores. Cæterùm iſti nomen Dei blaſphemant, ueram fidem oppugnant, & confeſſores cultoresq; Dei opprimunt. Iudæi ergo non ſunt. Quid ergo? Synagoga, congregatio uel cœtus ſatanæ. Sic uerè illis nebulonib. laruam detrahit ipſe Dei filius, ad conſolationem omnium eorum qui perſequutionem patiuntur, ab ijs qui magnificis ſe ornant titulis, *Quales ſint perſecutores.*

ne unquam eis doleat quòd ab huiuſmodi damnãtur nebulonib. diaboli filijs. Chriſtus uerum ipſis titulum tribuit, & uocat non eccleſiam ueterem, ſanctam, catholicam Dei: ſed conciliabulum & ſcholam ſathanæ, utpote in quib. non Dei ſpiritus, ſed cacodæmonis, inſpirat mendacia, impoſturas, dolos, blaſphemias, incendia, neces. Proinde ne pigeat te ſortis tuæ hodie, ſi uideas te condemnari propter euangeliũ, ab illis qui ſe uocant ſanctiſsimos, illuminatiſsimos, reuerendiſsimos, irrefragabiles ueteris eccleſię religionis & catholicę fidei alumnos, cultoresq́;, qui habeant à ſuis partib. Cõcilia, patres, tot epiſcoporum ſucceſsiones, tot temporum præſcriptionem, ac tot regnorum conſenſum. Nihil minus ſunt quàm quod appellari gaudent: ſed magis Antichriſti promachi, & omnis pietatis Chriſtianę profeſsi hoſtes & conculcatores, quib. paratus eſt æternus interitus.

Ne timeas. Poſt hæc inſtituit exhortationem & conſolationem euidentiſs. cui & ſummã præfigens, dicit, Nihil horũ timeas, quæ paſſurus es. Timuit à cruce & morte ipſe Dei filius, & naturalę eſt metuere mala & mortem. proinde non præcipitur nobis, ne ſimus homines, & Stoicorum inſtar dicamus ea nobis non dolere, quæ tamen excruciant: ſed animantur fideles ut perſtent in fide, neque quicquam fide indignum patrent metu pœnę. Iubemur ergo alacres contemnere aut opprimere metum, & robur per Dei ſpiritum petere, exercereq́; in tentationibus.

Prædicit futura mala. Sequuntur rationes, quib. quod ſuaſit obtineat, confirmet, conſoletur, & ad patientiam conſtantiamq́; hortetur. Prædicit ergo pijs, quid ſint paſſuri: ſimul etiam tertiam ſpeciem afflictionis attingit, carcerem & uincula, ſub quib. omnia intelligimus tormenta, quib. corpora excruciantur. At præmonuiſſe malum, ingens bonũ eſt. Facilius ſuperamur à non præuiſis periculis. Ideoq́; Dominus diligenter in Euangelio ſecundum Matth. in 10. cap. & ſecundum Ioan. in 15 & 16. cap. multis futura ſuis mala prędicit, & ſubdit: Hæc loquutus ſum uobis, ut cum uenerit tempus, reminiſcamini eorum, quòd ego dixerim uobis. Ita nunc quoq; fideliter fideles in hac epiſtola præmonet.

Diabolus affligit fideles. Sed & authorem attingit horum malorum, dicens: Diabolus aliquot ueſtrũm in carcerem conijciet. Intelligimus ergo mala illa oriri à communi hoſte generis humani, & ſalutis fidelium: unde conijcere poſſumus, illum conari nobis intercipere ſalutem, & ideo acrius inſiſtendum contra illum. Non ſegnes, ſed alacres redduntur milites, ſi audiant in procinctu ſtare ueterem hoſtem. Porrò diabolus inſpirat homines prauos, corrumpit principes & magiſtratus, qui perſequutionem inſtituunt contra eccleſiam. Sic legimus ſathanam afflixiſſe Iob, id eſt inſtigaſſe Chaldæos & Sabæos, ut ipſi prędas agerent, ſeruis Iob cæſis. Hic ergo uident, quo ſpiritu animentur, qui hodie perſequuntur Chriſti eccleſiam, propter ueritatis confeſsionem. Habent pij quod conſoletur. Audiunt enim ſibi oppoſitã eſſe fœdam illam beſtiam, quæ toties proſtrata à Chriſto principe fidelium, à fidelibus, per Chriſti auxilium, nullo quaſi negotio poterit uinci. Et quidem permittit diabolo & diabolicis hominibus Dominus noſter poteſtatem in ſuos ſeruos. Si miraris cur, audi: Vt tentemini. Non permittit ſuos ſathanæ, ut pereant, ſed ut tententur ac probentur. Ideoq́; in finem bonum tradimur igni, ut purgemur à ſordibus, & reluceat fidei noſtræ uirtus, ac glorificetur Deus, nos reddamur purgatiores. Quis ergo poſthac fuerit impatiens, cum audiamus nos maximo noſtro bono, tradi malo? Sapientiæ 3. legitur: Vt aurum igni probatur, ita explorantur fideles. Explicuit illam parobolam multis ſanctus Petrus in 1. epiſt. cap. 4. unde qui uult, copioſiora petat.

Finis afflictionum.

Tempus afflictionis fideliũ. Præterea aſsignatur etiam tempus tribulationis, & quidem decẽ dierum. Decimus numerus, multitudinis eſt. Dicit enim Iacob ad ſocerũ ſuum: Decies iam mutaſti meam mercedem, Gen. 31, &c. Numeri 14, dicit ſe tentatum decies: id eſt, ſæpius & multoties. Iob quoq; aſſerit ſe cap. 29 decies iniurijs affectum. Dicit ergo in præſenti Dominus: Variè & multum malis exercitabimini. Quia tamen dies, non menſes, non annos, non ſecula ponit, non diuturna fore mala prædicit, quin ſemper futura ſint interualla & reſpirationes, (*wird von tag zů tag beſſer werden*) certè à breuitate perſequutionis primũ quidem Iſaias cap. 26. deinde uerò Petrus 1. Pet. 1. fideles conſolantur. Fidelium eſt, nihil præſcri-

præscribere Deo: sed siue multo, siue pauco tempore subdendi simus pœnis, æquanimiter ferre. Cogitemus potius, in diuturnitate malorum, finem quoque aliquem præuisum à Domino: in respiratione, mala esse reparanda, & redeundum ad pugnam.

Postremò animantur pij amplissima promissione, cui simul includitur quartum & grauissimum genus afflictionis, ipsa etiam mors amara, per ignem, laqueum, gladium, aquas, &c. Si uerò non absterrearis morte, sed calcata hac quoq; temetipsum Deo obtuleris, iam dabo tibi, inquit Dominus, coronam uitæ. His coniungitur status epistolæ, & summa omnium. Esto ergo fidelis, alacer, constans in ipsam usq; mortem. Nam & in Euangelio dixit Dominus: Qui perseuerauerit in finem usq;, hic saluus erit. Et apostolus dixisse legitur: Si commortui fuerimus, & conuiuemus. Et quidem corona uitæ aliud non est, quàm æterna uita, & iuge illud cœleste ineffabileq; gaudium. Allusit autem Dominus ad certamina, post quæ fœliciter confecta, imponuntur uictoribus coronæ. Beatus uir, inquit Iacobus apostolus, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronã uitæ, quam promisit Dominus his, à quib. fuerit dilectus. Similia scripsit & apostolus Paulus in 1. ad Corinth. 9. & in 2. ad Timoth. 4. cap. Nemini ergo posthac difficile sit amittere temporariam hanc uitam: cum amissa ipsa, propter Christum, æternam recipiamus, & aliàs nolimus uelimus moriendum sit. Magis ergo placeat mori fœliciter, quàm infœliciter uiuere, modò ita uideamus placere Deo.

Promißio uitæ.

2. Timoth. 2.

Corona uitæ quid?

Cæterùm sicut in primæ epistolæ fine totam epistolam communicauit & applicauit omnibus temporibus & ecclesijs, ne quis existimaret, hæc ad se nihil pertinere: ita in fine huius quoque epistolæ & authorem spiritum horum omnium prædicat, omnesq; ad diligenter auscultandum & obediendum exhortatur, & omnibus hæc per orbem ecclesijs scripta esse ad eruditionem attestatur. Præterea promissionem uitæ communicat omnibus, dicens: Qui uicerit, non lædetur à morte secunda. Singulis hoc dicitur hominibus, Si uiceris. Vincendus ergo est nobis mundus & diabolus, uincenda caro & omnis tentatio. Vincendum autem per eum qui dicit, per spiritum eius, habitantem in nobis: & ut ea uia ambulemus, qua ambulare is nos iubet. Si uiceris, nõ læderis in morte secunda. Thomas Aquinas dicit, primam mortem esse peccati, secundam pœnæ. Nos simpliciter per primam mortem intelligimus, naturalem illam animæ à corpore separationem, quæ & ipsa nobis incussa est propter peccatum, sicut liquet Gen. 3. Ea communis est bonis & malis. Omnes enim terra sumus, & in terram reuertemur. Sequitur autem protinus secunda mors, & secunda uita: Qui credunt in Christum, & uincũt, nihil sentiunt secundæ mortis, sed uiuunt. sicut ipse nobis Dominus asseuerat Ioan. 3. & 5. cap. In iudicium non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Impij uerò siue incredulj rectà à morte corporea transferuntur in æternam mortem: non quòd animæ ipsorum moriantur, id est desinant, aut corpora ipsorum non resurgant: sed quòd cœlesti ac Christi diuinaq; spoliati uita, æterna sentiant tormenta. quæ quidem cõditio rectè mors uocatur. Nesciunt hæc homines mundani, nullam scientes uitã aut mortẽ, nisi hanc temporalem: at ueritas diuina docet nos, & aliam extare uitam & mortem post hanc, nimirum uitam cœlestem, & mortem infernalem, aut doloribus refertam iugibus. Illud certè consolatione plenum est, quòd audimus fideles post persolutum mortis temporalis debitum, nulla amplius sensuros tormenta. Quid ergo garriunt monachi de purgatorio? Nugas, &c. Laudemus seruatorem nostrum Christum, qui liberauit à morte, & donauit nos spe uitæ æternæ. Cui gloria & laus, &c.

De morte prima & secũda.

Exponitur prima pars tertiæ epistolæ de constantia & confessione Christi in persequutionibus.

CONCIO X.

ET angelo Pergamensis ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet gladium ancipitem & acutum: Noui opera tua, & ubi habitas, ubi sedes sathanæ: & tenes nomen meum, &

non negasti fidem meam: & quidem in diebus, in quibus Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud uos, ubi sathanas habitat.

Argumentum epistolæ.

Tertia epistola inter septem illas cœlestes à dextera Dei profectas, inscribitur Pergamensi pastori, ecclesiæq;: cuius quidem tale est argmentum. Principiò laudat constantiam fidei ipsorum in diris persequutionibus: mox uituperat eos qui adhærebant sectæ Nicolaitarum: inde hortatur istos ad pœnitentiam. Et hanc quidem doctrinam deinceps applicat omnibus ecclesijs per orbem. Postremò ampliſsima promittit præmia fidelibus. Ex his intelligimus, Pergameam ecclesiam ceu typum & speculũ obijci omnibus ecclesijs, quomodo has oporteat uersari corã Domino: primùm, quoties ingruit persequutio: deinde, quando hæreses irrumpunt. Nam suo exemplo docet omnes patienter ferre mala, & apertè confiteri ueram fidem: sed & scripturis redarguere hæreses, atque refugiendo proculcare.

Pergamea ecclesia typus.

Communia in septem his epistolis.

Porrò omnes propemodum epistolæ communia quædam habent: & potisimũ quidem tria. Exprimitur enim disertè, cui inscribatur epistola. ut in præsenti, Pergamensis ecclesię angelo, nimirum pastori, quisquis ille fuit (fortè Antipas) uniuersæq; ecclesię, ut dictum est superius. Indicatur item, quis sit qui hic loquitur, aut quis sit author epistolæ huius: ipse Christus Dominus. ex quo conciliatur scripto authoritas. Neque enim putandũ est, uerbum Dei non hoc esse quod dicitur, quia ab homine scribitur, ab homine excipitur, atramẽto scribitur: & perituris quidẽ lituris in corruptibilẽ materiã scribitur, ut in papyrũ aut pergamenũ. Hæc enim nõ magis efficiunt, quo minus uerbũ Dei sit uerbum Dei, quàm ne aqua sit aqua, si fluat per canalẽ uel ligneũ, uel lapideum, aut æreũ. Aqua enim semper manet aqua. diuersitas canalium non efficit ne sit aqua, ut reuera est sua substantia. Ita S. Paulus dicit, se quidem esse uinctũ, uerbum Dei non esse uinctum. Lapidari, præfocari & comburi potest homo, uerbi Dei præco: uerbum Dei quod positum fuerat in ore præconis, nõ comburitur. Ponit hoc Dominus in ore alterius, ne extinguatur ueritas, sed perpetuò sonet in ecclesia. Postremò non fine causa per initia omnium epistolarum inculcat Christus, se nouisse omnia ecclesiæ. Suprà diximus, hoc esse ueluti fundamentum timoris Dei, ueræq; pietatis. Finge enim hominem sibi persuasisse, Deum nec uidere quid agant homines, nec scire quid cogitent in cordibus suis: an non ruet hic in extremã impietatem? Clamabit, Faciamus quod libet, cum ignoret Deus quid faciamus. Rursus, quis nõ abijciet spem præmij, & studiũ bonorum operum, posteaquam semel induxit in animum, nescire Deum opera nostra? Si autem nescit, quomodo iudicabit orbem?

De authoritate Scripturæ sanctæ.

Deus nouit omnia.

Ex ore Christi gladius anceps.

Cæterùm singularia sunt in singulis epistolis pleraque. Singulare est in Pergamensi epistola, quòd ex attributis primæ uisionis descriptionisq; Christi, in principio epistolę, gladium sibi sumit, & hunc quidem acutum & ancipitem, quem audiuimus prodire ex ore Christi. Significatur hoc iudiciaria potestas ęqua & iusta, atq; adeò assertio bonorum, & malorum afflictio. Gladius enim, potestas utiq; puniendi malos, & defendi bonos, datus est magistratui. Ipse Christus suos asserit, & aduersarios conscindit. Gladius est ipsum Dei uerbum, acutissimus, ipsa corda penetrans, & anceps. Animat enim pios, exanimat impios. Christus ergo præsidet ecclesiæ, iudex & assertor æquissimus & iustissimus, qui non in manibus, sed in ore gladium habet, spirituq; & uerbo suo consolatur & cõseruat credentes: territat autem & conficit incredulos. Rectè ergo principium hoc accommodatur causæ, quæ sequitur de cruce fidelium: & de Nicolaitis pellendis, & fugiendis. Christus est enim, cuius uirtute per uerbum hæc feliciter perficiuntur.

Laudãtur quædam in hac ecclesia, quædam uituperantur.

Singularia porrò huius ecclesiæ opera sequuntur. Laudat in hac ecclesia singularem in maximis periculis & tentationibus persequutionibusq; constantiã in fide, fideiq; confessione. Et uidetur quidem mera esse cõmemoratio aut narratio, quòd Dominus norit quid patiantur, & quantis exerceantur malis: sed laus est admixta. & pertinet hęc quidem laus ad exhortationem, ut quod faciebant, facere pergerent.

Dicit se non ignorare, ubi ecclesia Pergamensis habitet: ibi utiq;, ubi sathanas sedem

uel

uel thronum ſuum firmauit. Id eſt, ſcio quo loco ſis, in quibus periculis, & quibus cum uerſeris. Non dicit, Scio te ſedere in ſede ſathanæ: ſed, ſcio te ibi habitare, ubi ſedē ſuam habet ſathanas. Chriſtus itaque non ignorabat labores, dolores & tentationes fidelium. Noſſe autem Chriſti, peculiare quiddam habet. Sic enim res fidelium nouit Chriſtus, ut ſimul & his afficiatur, & ſuorum habeat rationem uel reſpectum. Videmus autem Chriſtum illuc quoq; ſuum collocare thronum, ubi pone habet diabolus ſedem ſuam. Tandem ſede illa ipſum eijcit. *Habitat eccleſia, ubi eſt ſedes ſatanæ.*

Pergamus autem uidetur duplici ratione appellari ſedes, thronus & regnum diaboli. Principiò enim, quod & Aretas monuit, ſuperabat idolorum cultu & ſuperſtitione uniuerſam Aſiam, alioqui multo corruptiſsimam. Erat Pergamus uetuſtiſsima Aſię uel Myſię Phrygiæq; urbs nobilis, Attali regis & Eumenum memoria. Fuit enim illa Attali regia, quæ & teſtamento Regum Romanis ceſſerat, gentiliſmi tenaciſsima. Multis de hac Strabo agit lib. 13. Deinde fuit hic locus, quod & Plinius innuere uidetur lib. 5. cap. 30. celeberrimus, quem præfectus aut Procos. inhabitabat. Hic, iubēte Domitiano principe, perſequebatur uerā fidē Chriſti, in uincula cōiectis, afflictis & cęſis Chriſti confeſſoribus. Meritò ergo Pergamus appellatur ſedes & thronus diaboli. Nam hic mēdax eſt, & mendacij pater, & homicida ab initio: quod & Dominus teſtatur Ioan. cap. 8. Quoniam itaque Pergami regnabat gentiliſmus, mendacium, idololatria, ſuperſtitio, bonorum oppreſsio & cædes, uerè dicitur ſedes & thronus eſſe diaboli. Videtur quidem hoc eſſe conuicium minimè diſsimulandum, aut ferendum. Nam Roma ſibi uidebatur eſſe æterna planè, fauere ſibi Deos, qui & uictoriam contra immaniſsimas gentes conceſſerint, & regnum totius mundi dederint: in qua coli uideatur iuſtitia & religio. Ideoq; hanc ſedem iuſtitiæ & cultus, appellari ſedem ſathanæ, uideri pot erat blaſphemia & crimen læſæ maieſtatis. Verùm ita contra Romam, contra Pergamum, & contra omnes Romæ conſortes pronunciat ipſe à dexteris patris unigenitus Dei filius. Quis hunc ac cuſabit temeritatis, immodeſtiæ & uirulentæ dicacitatis? Sanè iraſcuntur leues homines, atque adeò ſcorta ipſa, ſi appellentur proprijs nominibus, & uocentur reuera hoc quod ſunt. Ea eſt enim gloria uirtutis, ut hanc ambiant omnes, etiam uirtutum hoſtes profeſsi, nemo uideri uelit uacuus uirtute: ea eſt mētis humanę corruptio & caligo, ut id eſſe uelit quod nō eſt, eſſe nolit quod eſt. Inde iſta in toto orbe impatientia, cū ligo appellatur ligo: & ficus, quod dici ſolet, ficus. Ideóne ſcortū, non eſt ſcortum, quod ſcortū non uult appellari? Eſt ſanè ſcortū, & turpe quidē ſcortū, & ut ad rauim uſq; neget & perneget ſe eſſe ſcortū, ſcortū nihilominus eſt, & ſcortum manet. Ita ſedes uel thronus ſatanæ eſt hodie ipſa Roma, quæ uideri uult eſſe ſedes Chriſti, & ſedes Apoſtolica. Opera enim & inſtinctus diaboli in ipſa redundant. Deniq; omnes urbes, omnia loca, in quib. exulat ueritas, pietas & honeſtas, in quibus nullum locum habet ueritatis prædicatio, & morum corruptiſsimorum correctio, in quib. ſpurcitia, obſcœnitas, carmina uenerea, non Pſalmi ſpirituales, ſed & doli, fraudes, crapula, cædes & oppreſsio bonorum & pietatis exultant, ſatanæ ſedes ſunt, utcunq; dicantur urbes Chriſtianiſsimæ, catholicæ, & fidei Chriſtianæ ac orthodoxæ cultores. Hoc dicit, clamat, aſſerit, repetit, & uerè cum maieſtate pronunciat ipſe Dei filius Ieſus Chriſtus. Mox enim iterum poſt cædem Antipæ, ſubdit: Vbi ſatanas habitat. Hæc autem uera ſunt, quæ dicit & pronunciat in eccleſia Chriſtus: falſiſsima ſunt, quæ uerbis Chriſti opponit mundus hic immundiſsimus. *Pergamus ſedes ſatanæ.* *Roma ſedes ſatanæ.* *Vbi ſit ſedes diaboli.*

Illud autem ſingulariter prædicat Dominus, quòd in loco uſq; adeò lubrico & infelici perſtiterint hactenus, neq; potuerint in ipſa ſede ſatanæ expugnari. Diſcimus hic, licere, ſi ita res poſtulet, habitare in medio nationis prauæ: ita tamen, ne cōformemur illis ulla ratione uel moribus, uel ſuperſtitione. Et quoniam periculoſum eſt inter gentes habitare, & ueluti picem contrectare manibus: nihil peccaueris contra Dominum, ſi ad locum te contuleris tutiorem, in quo minus periculi, plus autem fuerit occaſionis ad omnem pietatem. Quinimò cum commodè potes ad huiuſmodi penetrare loca, periculosè inhæres ſaxis & cautibus, quib. aliquando illidaris. *Habitare in medio nationis prauæ, Epheſ. 5.*

Duo autem ſingulariter probat in hac eccleſia. 1. quòd teneant nomen Chriſti. Eſt autem κρατεῖν non leuiter contingere, ſed fortiter retinere, ut ne cum negotio quidem euelli *Oportet religionem firmiter tenere.*

uelli queat, quod retines. Retinebant autem Christum animis infixum penitissimè. Nomen Christi salutare est redemptionis & sanctificationis negocium, extra quod aliud non est, sicuti Petrus ait, per quod saluari possimus. Inhærebant ergo Christo, sicuti de apostolis legimus apud Ioan. in cap. 6. Ac necesse est, ut singuli radicatum in cordibus nostris teneamus mysterium salutis. 2. Cęterùm satis non est retinere mysterium fidei in corde, nisi etiam rotundo ore confiteamur. Vnde mox subiungit: Et non negasti fidem meam. En nunc fidem uocat, quod modò appellarat nomen Christi. Significanter autem uocat fidem suam, id est, non ab hominibus dictatam & excogitatam, sed ab ipso Christo per uerbum ueritatis traditam. Hanc scilicet fidem ueram, orthodoxã, catholicam, non quamuis, confiteri, & non negare oportet: confiteri autem disertè, dictis & factis.

Oportet religionem confiteri.

Modi negandi Dominum.

Negatur Christus, & Euangelium Christi, non uno modo. Negatur enim silentio, cum tacemus, quando maximè pro gloria Dei loquendum erat. Negatur dissimulatione: ut cũ Petrus ait, Nescio quid dicas. Sciebat enim maximè, quid diceret ancilla: sed metus dissimulare suadebat. Negatur, cum rotundè & apertis uerbis negatur Christus & ueritas. Negatur item figurata confessione, cum aliquid quidem confitemur, sed interim tam obscurè & inuolutè, ut quid hoc sit quod confiteris, ignoretur. Negatur, cum corde quidem simulamus, nos ueram doctrinam seruare, factis autem negamus, inclinando nos ante idola, prodeundo in templa prophana, communicando sacris Antichristianis: & adorando fixis in terram genibus, quod Deum non esse, ipsa reuincit conscientia, ipsa fides ab apostolis tradita. Et hæc quidem negatio tota exoritur ex metu, & prauis nostris affectibus. Si tam certò prȩmium esset confessioni propositum ab hominib. quàm miserè metuis te subdendum pœnæ, si confitearis, nihil uideretur difficile dĩ sertè confiteri. Ergo quod uel negas uel dissimulas, metu facis. At meticulosos tales, & negatores, excludit Dominus à regno suo. Spreto ergo mundo, intrepidè confitendum est nomen Domini, secundum doctrinam Christi, Matth. 10. & Marci 8.

Confitendum etiam tunc cũ seruet persequutio.

Hæc autem confessio Pergamensis ecclesiæ amplificatur & prædicatur adiecto tempore. Magnum est enim, confiteri non tranquillis quidem, sed maximè turbulentis temporibus. At Pergamensem ecclesiam constat confessam esse Christum in media persequutione, in qua cecidit iugulatus sanctus Christi martyr Antipas: unde cõsequens est, eximiam fuisse confessionem. Vulgò dicitur, *wen das aug ſicht das inn das hertz nie kommen iſt, ſo thůt auch das hertz das es nie geſinnet hat.* Sed hi uiderunt cadere Antipam, nec absterreri à uera fide potuerunt. Hæc autem paucis uerbis, sensu uerò amplissimo proponuntur omnibus ecclesijs ad imitandum. Alij hic legunt, In diebus meis: sed melius habet Complutensis codex, In diebus in quib. Antipas, &c. quasi dicat: Et cõfessa quidem es etiam in illis diebus, in quib. Antipa fidelis testis fuit, qui & eo nomine cæsus est.

Laus Antipæ, et martyrium.

Laudatur Antipas, & quasi canonisatur ab ipso Dei filio. Laudatur autem, quòd fuit testis, id est martyr: & testis quidem fidelis, fidem Domino, testificando & docendo, cõfitendoq;, Actorum 13. seruans in finem usq;. Fortè fuit huius ecclesiæ pastor, aut alius ex fidelibus uir singularis constantiæ. Fides certè, non tormentum, facit martyres. Et quia laudatur hic martyr à Christo, intelligimus martyrũ agones uel certamina prædicanda esse in ecclesia Christi, multosq; excitandos ad sequendum uestigia ipsorum. Asserimus ergo, sanctos Dei martyres honorandos, non tamen adorandos uel inuocandos. Damnamus omnes eos qui contradicunt sanctis martyribus, & aggregamus ipsos cum eis qui occiderunt ipsos. Sed de cultu diuorum aliàs dictum est à nobis copiosius.

Matth. 10.

Discimus hinc quoque, non mori æternum, morientes in hoc seculo pro Christi nomine: neque martyres pollui ignominia mundana, cum celebrentur ipsa uoce diuina. Regi martyrum Christo sit honor, laus & gloria in secula seculorum, Amen.

Ex-

Exponitur posterior pars tertiæ epistolæ, in qua dicitur de Nicolaitis, qui damnantur. Fit adhortatio ad pœnitentiam.

CONCIO XI.

SEd habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinã Balaam, qui docebat per Balak mittere offendiculum coram filijs Israel, ut ederent ex his quæ simulachris immolabãtur, & fornicarentur. Ita habes & tu tenẽtes doctrinam Nicolaitarum, quod odi. Resipisces, alioqui ueniam tibi citò, & pugnabo cum illis gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo edere ex manna abscondito: & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

Paucula reprehendit in Pergamensi ecclesia Dominus, quomodo?

Prima parte epistolæ complurima Dominus commendauit in ecclesia Pergamensi, secunda parte reprehendet paucula. Paucula autem dicit, non quòd Nicolaismus leue sit peccatũ, sed quòd peccatũ in alijs magis sit, quàm in ipsa uera ecclesia: in ijs utiq;, qui cum non essent reuera de corpore ecclesiæ, coniungebant se tamen ecclesiæ foris, & pro ecclesiæ membris haberi uolebant. Deinde modestè loquitur, ne nimiũ exasperando peccatũ & errorem in fidelibus, mentes ipsorum turbaret, atq; deijceret prorsus. Est modus in rebus, ut dici solet. Si autem in ecclesia usqueadeò laudata inuenitur à Christo, quod reprehensione dignum uidetur, quid dicemus de minus laudatis? imò cur non uideamus in omnib. semper ecclesijs inueniri, quod uituperari possit: non tã quòd infirmitate carnis nunquam non laborent sancti, quàm quòd semper se coniungant ecclesiæ Dei hypocritę & homines corrupti: quales hic erant Nicolaitæ, in choro autem apostolico Iudas proditor & fur. In Christo caret omni næuo ecclesia, & est sine ruga, quod Dominus ait Ioan. 13. & plenissimè perficietur in futura patria: id quod & Augustinus asserit.

Ecclesia semper habet quod reprehendi queat.

Reprehendit autem in ecclesia Pergamensi Christus Dominus, non quòd teneant doctrinam Nicolaiticam uel Balaamiticam, sed quòd habeant tenẽtes illam doctrinam. Peccarunt itaque, quòd Nicolaitas non tanto persequebantur odio, quanto persequebantur Ephesij: de quib. prima epistola audiuimus, noluisse ipsos sustinere malos. Proinde ne acor fermenti latius serpat per consperſionem totam, expurgandum est uetus fermentum. Probandum est, si hæresib. non faueas, nec adhæreas: sed requirit præterea Dominus, ne foueamus, sed ut odio sancto persequamur. De qua re dictum est Epistola prima.

Peccant habentes eos qui tenent doctrinã prauam.

Porrò describit Nicolaismum, ut uideamus, cur reprehẽdat, & quare damnet, & quare odio sit persequendus. Eleganter uerò per exemplum scripturæ describit, ut nihil lędatur pudor uel uerecundia. Obscœnissima alioqui dixi esse ea, quæ de Nicolaitis traduntur à ueteribus. Sed cõmodissimè & uerecundè omnia exponuntur à Christo Domino. Petuntur illa ex 22. 23. 24. 25. cap. libri Mosis 4. qui Numerorum dicitur. Appellat doctrinam Nicolaitarum, doctrinam Balaam, idq; per similitudinem. In Balaam ariolo hæc concurrunt flagitia nefanda: unde facile liquere potest, qualis fuerit eius doctrina. Principiò accepit precium iniquitatis, ut uocat S. Petrus: & illis uoluit maledicere, quib. benedixit Dominus, omnino agens contra animi sui sententiam. Deinde suggerit regi consilium pestilentissimum: quod Scriptura ea de causa appellat scandalum, seu offensionem. Docuit enim regem modũ & rationem, per quam populum Dei illicere potuit in certam perniciem, in esum immundissimum idolothytorum, & in fornicationem fœdissimam. Doctrina ergo Balaamitica erit omnis, quæ spe lucri cõtra uerbum Dei, & cõscientiam prolata, idololatriam, esum immundum, & fornicationem docet:

Qualis fuerit Nicolaismus.

cet:aut non redarguit,sed suadet potius,cum non nesciat,rem esse fœdam.Sic uerò & Nicolaitæ,maledicendo ueritati & puritati Christianæ,suggerebant pessimũ multis consilium,ut participarent de idolothytis,& commiscerentur scortis. Sicuti fusius exposui in prima epistola.

Quomodo refellendæ hæreses.

Intelligimus hic in Christi Domini exemplo,quomodo refellendæ sint hæreses, nõ conuicijs & maledictis,sed potius Scripturæ locis & exemplis:quemadmodum appositissimè in præsenti damnatur Nicolaitarum hæresis. Semel autem damnata à Domino,in perpetuum manet damnata:nihil opus nouis Concilijs,quib.damnetur impuritas.Rursus si omnia in orbe Concilia diuersum decernant,hoc tamen uerum & firmum manet,quòd hic pronunciat Christus Dominus : Maledictus qui diuersum statuit.

De Nicolaitis nostri seculi.

Considerandum uerò in præsenti uidetur, an doctrina Balaamitica & Nicolaismus in ecclesia prorsus sit extinctus.Nomen certè Balaami & Nicolaitarum horremus omnes,res uerò ipsa tam in spiritualibus quàm in secularibus hominum ordinibus, apertissimè inuenitur.Sunt enim uiri authoritate pręstantes,eruditione multi iuga clari,legum diuinarum & humanarum peritissimi,qui tamen mercede iniquitatis cæcati, maledicunt & reb.& personis,quib.benedixisse Dominum non nesciunt. De his mentionem fecit etiam S.Petrus in 2.epist.cap.2.Illi ipsi praua cõsilia suggerunt Regib.& principibus, in perniciem & prædicationis Euangelicæ & incolumitatis ecclesiæ tẽdentia. Illi ipsi idololatriæ dediti,& uoluptatib.carnalibus immersi, edunt de sacrificijs mortuorum,adeoq; & epulantur idolothyta,fornicationibusq; diffluunt. Considera obsecro, quales sint Sacrifici apud Papistas plurimi, unde uiuant & saginentur, quid de coniugio sancto iudicent, & quantum à stupris & scortationibus abhorreant. Audent isti coniugium damnare,& potiorem iudicare scortationem:dummodo sacrificijs fruantur mortuorum, uarijsq; se expleant uoluptatibus.Si quis scorta fugiens copuletur uxori legitimæ, indignus uidetur qui sacrificet, & altare accedat : admittuntur gregatim fornicatores.Atque illi ipsi ferè omnes sunt turpissima uentris mancipia, de quibus S.Christi apostolum Paulum dixisse credas : Quorum deus uenter,& gloria in dedecore ipsorum,qui terrestria curant.Hos uerò quis non agnoscat, & dicat uerissimos esse Nicolaitas,Balaami auguris doctrinam tenentes? Ex secularibus inuenias omnis generis homines,quibus preciosior sit doctrina Balaami,& Zambrea petulantia, quàm modestia,seueritas & sinceritas Christiana.Amãt hi licentiã & petulantiam carnis,nolunt iuuentutem & populum liberum legib.coherceri honestis.Volunt uel hodie cum Madianiticis puellis epulari,& genio indulgere. Patrocinantur enim crapulæ,ebrietati & fornicationi.Sũt autem & hi uerissimi Nicolaitæ. Et habent fautores nec paucos, nec abiectos.Ac habent rationes pro se coram mundo nec leues,nec paucas.

Num.25.

Odit Deus omnem impuritatem.

Audiamus uerò quid de his ipse Christus,sedẽs ad dexteram patris iudicet.Hos,uel illud ipsum quod isti sentiunt & docent & faciunt,odi,ait Dominus.Quid grauius dici potest, quàm odisse Deum Nicolaismum?Tota enim scriptura testamenti utriusque condemnat Nicolaismum.

Adhortatur ad resipiscẽtiam.

Post hãc descriptionem reprehensionemq; Nicolaismi,pergit,ut & in superioribus epistolis, adhortari ad resipiscentiam,uel pœnitentiam. Nam cum dicit, Resipisce, totam intelligit & comprehendit pœnitentiam.Eam diximus esse cõuersionẽ ad Deum, qua mala bonis emendamus, relinquentes mala, & substituentes in malorum locũ bona:idq; ex fide,in sincero Dei amore & timore.Resipisces ergo,si abstineas ab idolothytis & fornicatione,recipias autem uerum à Christo institutũ cultum,& corpus tuum possideas in honore, non in affectu concupiscentiæ: sicut Paulus ait 1.Thess.4. Resipuit Pergamena ecclesia, si non dissimulauit Nicolaismum, sed oppugnauit fœditatem constanter.Resipuerunt Nicolaitæ,si deposita fœditate,puritatem fidei & uitæ resumpserunt. Omnibus autem & singulis dicitur,Resipisce.

Minæ contra impœnitentes.

Ad pœnitentiam Dominus perpellit iam etiam minis grauibus : Nisi,inquit,emenderis,ueniam tibi citò.De quo genere loquutionis suprà est dictum.Addit,Et pugnabo cum illis gladio oris mei. Cum quibus?Cum impœnitentibus,maximè uerò cum Nicolaitis.Non minatur interitum aut excidium ecclesiæ,de qua magna erat spes,fore ut fer-

mentum

mentum expurgaret: minatur autem impœnitentibus. Sicut autẽ iudex uel magiſtratus & miles utitur gladio, ita Chriſtus uerbo ſuo. Verbum quidem neminẽ uulnerat aut occidit, *du predigſt niemã bülen vff, ich geſchwyg ſtich vnd wundẽ in lyb:* ſed ut interim annunciat uerbum Dei, ita exequutio diuinæ potentiæ ſequitur. pugnat ergo Chriſtus, ſicuti uerbo annunciat. Annunciat ſe idololatras, uentres, porcos, canes, fornicarios iudicaturum, ſeu puniturum: id ſicuti minatur, facit. Sic pugnat gladio oris ſui. Exemplum habemus in Iſraelitis, quorum ceciderunt, quòd doctrinæ Balaam obtemperauiſſent, uirorum 25000. Deinde excindũtur etiã Moabitæ & Madianitæ, nec parſum eſt mulierib. corruptis. Quod ad longũ proſequitur Moſes Num. 31. Videmus etiã hodie gladiũ Domini terrarũ orbẽ peruagari, & nũc demetere hos, modò illos, nõ alias ob cauſas, quàm propter quas Balaamũ cũ ſuis Dominus fudit & protriuit. Timeamus ergo Dominũ, & ambulemus in mãdatis eis. Feriet enim lõgè grauius gladio ſuo, cũ in iudicio pronũciabit, Ite in ignẽ æternũ, &c. Matth. 25. Et ſignificãter nõ dicit, Secabo uos gladio oris mei. Sæpiſsime enim utiliter, & ad diſciplinam ſecamur & inſcindimur uerbo Dei, ſed ad emendationem. In præſenti dicit ſe pugnaturũ gladio: en pugnaturum, nimirum contra hoſtes. excidium ergo minatur. Ac exciſos eſſe impœnitentes & iſtorum & omnium temporum, nihil dubitamus. Neq; enim hodie (quod modò diximus) caremus exemplis. *Gladio ſuo pugnat Chriſtus.*

Rurſus ne doctrina illa inſignis ac ſalutaris uideretur pertinere ad paucos Pergamẽſes, nõ ad omnes in toto orbe homines, applicat utilem hanc doctrinam omnibus eccleſijs. De hac applicatione dictum eſt ſemel & iterum ſuperioribus epiſtolis. *Communis ſeu uniuerſalis eſt illa doctrina.*

Poſtremò pro more ſuo, ut ualidius omnes ad pœnitentiam & obedientiam commoueamur, ampliſsimam proponit promiſsionem: & quidem certantibus, adeoq; uincentibus carnem, diabolum, mundum: non inertibus, ac in cœno flagitiorum iacentibus. Erigimur ergo promiſsione, quæ triplex eſt. Principiò promittit ſtrenuè pugnantibus & uincentib. facientibusq; officium, Manna, & abſcõditum quidem manna. Externũ illud omnibus notum manna, uerum manna non eſt. nam ingrati Iſraelitæ faſtidiunt hoc, ueluti cibum leuiſsimum, maluerunt ollas Aegypti carnib. refertas. cæpe, porrum & allia, ut fœteant ſatis. Non uident externo manhu ſuffigurari cœleſte, & omnem ſuauitatem & uoluptatem ſpiritualem ſuppeditans: fideles uident, abſconditum mãna eſſe Chriſtum, quod ipſe exponit Ioan. 6. Chriſtus ergo ſemetipſum impartit uictorib. ſe dat ipſis in cibum, & exaturantem quidem. Qui ſemel uera fide guſtauit Chriſtum, non optabit ullum ſibi aliũ ſuppeditari cibum. In Chriſto enim habet omnia, in Chriſto eſt completus, & omnibus bonis plenè ſaturatus. O ſi hæc intelligerent acuti noſtri diſputatores, nihil differerent de merito & interceſsione ſanctorum, & de alijs. De quib. dum differunt, ut ſolent, declarant ſe nondum guſtaſſe quàm bonus & ſuauis ſit Dominus. *Manna abſcõditum.*

Deinde promittit ſe daturum uictorib. album calculum, nimirum abſolutionem & remiſsionem peccatorum omnium, & pleniſsimam haud dubiè. Chriſtus enim uerè abſoluit à peccatis, à peccatorum pœnis, condemnationeq;. Alluſit autem ad ueterum ritum in iudicijs, in quib. damnabãtur atris, abſoluebant candidis calculis. Noti ſunt hi uerſus Ouidij ex 15. Metamorph. Mos erat antiquis, niueis atrisq; lapillis, His dãnare reos, illis abſoluere culpa. Atq; hic monemus, remiſsionem peccatorum non concedi uiuentib. propter opus ceu meritum: ſed quòd fides ſit uictoria, quæ uincit mũdum. id quod ipſe Ioan. teſtatur: & quòd fides in cordibus noſtris ſtrenuè quidem pugnat, ſed interim gratiam Dei in omnibus agnoſcit, neque meritum Chriſti euacuat. Vt enim ſegnis non eſt, ita uiciſsim religioſa eſt. *Albus calculus.*

Poſtremò promittit etiam, ſe in lapillum inſcripturum nomen nouum, & quidem quod nemo ſciat, niſi qui illo fruitur. Non tantum remiſsionem peccatorum nobis concedet Chriſtus, ſed inſuper gloriam & communionem gaudij ſui cœleſtis ineffabilem. De nomine hoc nouo mentionem fecit & Iſaias, & prophetæ alij. Victorib. cedebant nomina illuſtria, nobis cedit uincentibus gloria cœleſtis. Eà eſt tam immenſa, ut ſentiendo tantum, non loquendo intelligatur. Quicquid enim dixeris magnum, excellens, inſigne, maius eſt quod dabitur in cœlo uincentib. Nam ex Iſaia citauit apoſtolus Paulus: Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, id præparauit Deus diligentib. ſe. Et in præ- *Nouum nomen.*

senti quoque seculo conceditur nobis conscientia tranquilla & gaudiũ ineffabile: quod quidem sentiunt, qui ipso fruuntur. qui non acceperunt, credere nunquam possunt esse tantum, quantum reuera est. Vnde Paulus dixit, Et pax Dei quæ superat omnem intellectum, &c. Huiusmodi affectas mẽtes concedat nobis saluator noster Christus, Amen.

Exponitur epistola Thyatirena, in qua laudantur uariæ uirtutes, reprehenditur uerò Iezabelismus.

CONCIO XII.

ET angelo Thyatirensis ecclesiæ scribe: Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis: cuius pedes similes chalcolibano. Noui opera tua, & charitatẽ, & ministerium, & fidem, & patientiam tuam, & opera tua, & nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabelem (quæ se dicit prophetam) docere, & seducere seruos meos, scortari & edere ex his quæ simulachris immolantur.

Argumentum quartæ epistolæ.

Quarta epistola inscripta Thyatirenis, reliquis est copiosior, & multiplici fructu refertissima. Etenim commmendat uel prædicat in illa ecclesia excellentes uirtutes, & dona singularia non pauca. Mox reprehendit in eis, quòd Iezabelismũ benignius ferant, quem & quàm fœdus sit depingit. Minatur grauia, nisi pœnitentia iusta, delicta atque scelus emendent. Præterea monet, ne nouas expectent reuelationes: sed in ijs quæ didicerant hactenus, & in quibus erant, perstent. Amplissimis quoq; pollicitationib. huc pellicit, & doctrinam hanc postremò omnib. communicat commendatq; ecclesijs. Mira est autem similitudo & æqualitas in epistolis omnibus: sicuti eadem perspici potest in omnium prophetarum scriptis, in euangelistarum historia, & in Paulinis epistolis. Vnde etiam nullo negotio deprehenditur, absolutissimam & compendiosissimam esse doctrinam ueritatis, simplicem, & per omnia sibi constantem. Si extarent omnium aliorum apostolorum & prophetarum scripta, nihil plus habituri eramus in multis & copiosissimis illis libris, quàm núc habemus in sacris Biblijs. Consuluit nobis & nostræ infirmitati Dominus hoc compendio. Septem hic ponuntur in 2. cap. epistolæ: sed mirum quàm omnes sint similes, idem propemodum inculcantes.

Compendiosa & similis sibi ubiq; et per omnia scriptura.

Vsus huius epistolæ.

Quarta hæc in primis est utilis illis ecclesijs, quæ integræ alioqui in doctrinæ puritate, adde & puræ sunt in uitæ sanctimonia: sed non satis ardenti zelo persequuntur & opprimunt confessas hæreses. Sunt & alij fructus, quos ordine obseruabimus, &c. Cæterùm ut in omnibus alijs præcedentibus epistolis, in initio præfigitur, cui inscripta sit epistola, & à quo author progressa: ita in Thyatirena quoq; epistola Inscriptio, & ut uocant, Subscriptio disertè ponitur. Inscripta est angelo ecclesiæ Thyatirenæ, unde & uniuersæ ecclesiæ, sicuti superius sæpe monui. Est autem Thyatira, urbs illustris & famigerata Lydiæ, in Asia, ad Hermũ flumen: unde legitur purpuraria illa oriũda esse, quæ à Paulo conuertitur ad Christum, in Actis cap. 16. Frequentissima fuit, ut mirum nõ sit, ecclesiæ Dei coniunxisse se uariorum ingeniorum homines impuros, curiosos & hæreticos. De urbe illa celebri Asiæ multa scribunt Geographi.

Inscriptio epistolæ.

Thyatira.

Author epistolæ.

Porrò author epistolæ est ipse Christus Dominus, summus rex & pontifex, qui calamo apostoli uel scriba utitur beato Ioanne, per quem uult illa spargi in totum orbem terrarum. Parat autem epistolæ authoritatem, dum aliquot membris ex superiori imagine & descriptione repetens, sic se tuendum præbet ecclesiæ, contemplandum fide, ut mirificè iuuent causam præsentem. Videt hic hæreses & abstrusa cordium, & calcat pedib. purissimis, quicquid erigitur contra Dei gloriam & ueritatem.

Christus Dei filius, et hominis.

Appellat ergo se Dei filium, quem superius audiuimus esse hominis filium. Vtrunq; ergo est & manet, etiam in gloria, tam Dei quàm hominis filius: natura diuina cum patre

tre, natura humana nobiſcum per omnia, excepto peccato, communicans. Non abſorbetur in gloria altera natura, ſed manant in una indiuiſa perſona duæ diſtinctæ ac impermixtæ naturæ: quæ quidem ſunt unus Chriſtus, Deus uerus, & homo uerus, adorandus in ſecula ſeculorum. Teſtimonia horum habemus Lucæ 1. cap. Ioan. 1. & Rom. cap. 1. Quis uerò hæreticorum aut perſequutorum bella geret cum uiuo Dei filio?

Deinde tribuit ſibi oculos, ignem & flammam euomentes. Nihil enim fugit Chriſti iudicis conſcientiã & iudiciũ. Inſpicit ille renes & corda. Prẹterea illuminat alios, alios igni ſempiterno nunquam comburendos concremat. Iam ſi quis fingat ſibi, ſe in animo hæreſes & malitiam occultaturum, fallitur. Nam in oculis Chriſti, tenebræ quoq; lux ſunt. Idem Dominus purgatiſsimos habet pedes, calcat omnem impietatem: & ubicunque ipſe pedibus ambulat electrinis candentibusque, omnem abſumit protinus hæreticam prauitatem & uitam impuram. Puriſsimus ergo hic antiſtes, & ad purgandum appoſitiſsimus, deniq; ad protrahenda ſecreta cordium inſtructiſsimus, hæc nunciat eccleſijs quæ ſequuntur: ipſe obambulat & uerſatur in medio eccleſiæ, rex & ſacerdos. *Oculi flamma ignis.*

Sicut autem in omnibus epiſtolis teſtatus eſt, ſe nouiſſe opera ipſius eccleſiæ: ita hic quoq; repetit, ne uſpiam admittamus ſecuritatem impiam, quaſi nos & noſtra ignoret omniſcius & omnipotens. De qua re ſuperius ſatis dixi.

Porrò ſingula opera huius eccleſię eleganter deprẹdicat, commendatq; dona illuſtria ſeu ſplendidiſsimas uirtutes quinq;. Principiò charitatem, quæ cõprehendit Dei & proximi dilectionem: qua fit, ne quid in orbe Deo præferamus, neq; proximo noceamus, imò cumulemus in eum omnia officia beneficiaq;. Hoc debemus Deo & fratribus per eccleſiam omnibus. De charitate aliàs copioſiſsimè differitur, ut in Euangelio & epiſtola Ioannis. *Charitas. 1.*

Deinde laudat διακονίαν, id eſt, miniſterium. Id quod dupliciter exponi licet. Vel enim intelligit, quod Aretas putat, miniſteria in egenos & pauperes, id eſt, officia & opera impenſa egentibus: *dienſt damit wir vnſerm nächſten dienend*, mutuũ dando, ſubleuando, cauſas eorũ fideliter agendo, cibando, potãdo, ueſtiendo, uiſitando. Ita uſurpatur diaconię uox in 2. ad Cor. epiſtola, &c. Vel intelligit miniſteriũ uerbi, quo docendo, exhortando, conſolando, reprehendendo plurimum promouemus Dei gloriã, & animarum ſalutem. In utroq; fuerunt ſeduli haud dubiè Thyatireni. Et nos accuſant grauiter, qui rebus noſtris intenti, fratres pauperes negligimus: qui deniq; inuiſum reddimus miniſterium uerbi Dei conuicijs & calumnijs noſtris, apud eos maximè qui rudes adhuc, nihil uerbi Dei audierunt. *Miniſteriũ. 2.*

Commendat etiam fidem in Thyatirenis. Admonet Thomas de Aquino in ſuo in hunc librum commentario, fidem non oriri ex charitate, eo quòd primo hic loco inueniatur poſita: charitatem enim, bonaq; opera oriri ex fide: Ioannem uerò commemoraſſe charitatem ante fidem, quòd ex charitate operibusque æſtimetur fides. Verùm utcunque hoc habeat, uidetur fides in præſenti non tam uſurpari pro fiducia in Deum, quàm pro fidelitate & ueritate, *für trüw, redliche vnd warheit*. Fidelitas enim omnia alia dona ornat, & utilia uel fructuoſa reddit. Finge te habere ſeruos & ancillas ſatis quidem felices in rebus gerendis: ſed finge interim illos ipſos eſſe infideles, lubricos & fallaces: quid proderit oro, quòd inſtructi ſint facultatibus amplis? Finge rurſus non ita inſtructum eſſe concionatorem & ſenatorem ſapientia & rerum experientia, interim uerò fidelem eſſe, & ex animo candidè omnia agere, ac bonæ cauſæ bene uelle: an non fidelitas ſupplebit iſtius defectum? Magna itaq; eſt fides, id eſt, fidelitas & ueritas: ut non fruſtra hanc poſtularit à miniſtris apoſtolus in 1. ad Cor. 14. cap. dicẽdo, Illud requiritur maximè à diſpenſatoribus, ut fidus aliquis reperiatur. Hæc fides hodie etiam à nobis requiritur, hæc ô fratres rara eſt: ideoque mala inundauerunt ubique. *Dann da iſt kein trüw gegen Gott, noch gegen den menſchen, &c.* Oremus ſedulò Dominum, ut hanc nobis largiatur, utq; nos infidelitatem & fallaciam expectorare queamus. *Fides. 3.*

Accedit his patientia, quæ & in ſuperioribus laudata eſt eccleſijs. Neceſſaria uirtus eſt. nam impatientia efficit, ut murmuremus contra Dominum, ut non perſtemus in confeſione fidei, dum patienter ea ſuſtinere detrectamus, quæ minantur hoſtes fidei ſe nobis illaturos. Quare uerò furto te polluis? Cur in militiam proficiſceris mercenariã? *Patientia. 4.*

Cur uſuram & meretriciam artem exerces? Quia cares patiẽtia in paupertate tua, quam ſubleuare uis ſceleribus.

Superare ſe in bonis operibus. 5.

Breuiter commemorat iam Dominus opera omnis generis bona: in quib. illud maximè laudat, quòd ſemetipſos ſubinde ſuperabant, plura & maiora faciendo. Inſignis eſt hæc laus. Nam agricola pater cœleſtis uites purgat & putat, ut fructum copioſiorem adferant. Non decet pietatis ſtudioſos manere, quod prouerbio dicitur, Ioannes in eodem, qui ſcilicet nullos faciant in pietate progreſſus. Turpiſsimum uerò eſt, fieri Ioannem, quod dicitur, plus quàm minus. Digitus, *finger ye lenger ye minder*: quod nihil diſcentibus in ludo obijcitur pueris. Pudeat nos noſtræ inertiæ, &c. Hæc inquam expendamus in animis noſtris diligenter: cogitemus ſedulò, Deum hæc probare, hæc requirere, hæc eſſe uera fidelium in ueritate ambulantium (& non tantum fidem, inane nomen ſine re iactantium) ſigilla. Si ſenſeris te non omnino his donis uacuum, lauda Deum: agnoſce nihil horũ ex te eſſe, ſed ex gratia: ora pro donorũ augmento. Si deſtitueris his uirtutibus, luge coram Domino, ſupplex ueniam petito, & donorum Dei abundantiam poſtulato.

Quæ reprehẽdantur in illa eccleſia.

Secundo loco reprehendit quædam in illa eccleſia quòd ſcilicet permittebant docere Iezabelem, &c. Id appellat minutũ, non quod in ſeipſo Iezabeliſmus ſit minutus, ſed quòd ſi is in alijs potius inueniatur, quàm in eccleſia, hęc ferret benignius, id eſt nõ maiore ſeueritate perſequeretur. Sed de hac loquutione dictum eſt etiá ſuperius. Nos non probamus propudioſa ſcelera, nec conſentimus in illa: ſed cum prohibere poſſemus ſeueriore diſciplina, permittimus exultare & increbreſcere flagitia. utcunq; ergo in nobis ſunt multa dona egregia, habet tamen illud cõtra nos Dominus, quòd illa permittimus, *vnd thůnd liederlich darzů*. Si uerò illam permiſsionem reprehendit Dominus, quanto maiore reprehenſione dignum exiſtimamus ipſum ſcelus, Iezabeliſmum puto? Qui qualis & quàm fœdus ſit, paucis exponemus.

Permiſsio & conſenſio.

Cataphryges, uel Montaniſtæ.

Sicuti antea ſcripturæ exemplo prolato Balaami, confutauit Nicolaiſmum, ita in præſenti profert Iezabelis exemplum, ut eodem confutet Cataphrygas, uel Montaniſtas. Aretas totum locum intelligit de Nicolaitis, cui propter totum epiſtolę contextum accedere non auſim. Fateor Montaniſtas communicaſſe in fœditate cum Nicolaitis, ſed Iezabel peculiare quippiam habuit.

Hiſtoria Iezabelis.

Iezabel, ſicuti teſtatur hiſtoria ſacra in 3 & 4 lib. Reg. cap. 16. 17, &c. fuit filia Ethbahal regis Sidoniorum, quę Achabo nupta, religionem Baaliticam intulit in regnum Iſraelis, extructo templo magnifico in Samaria, & inſtituto ſacerdotum Baaliticorum collegio numeroſo. Nam legitur Helias trucidaſſe Baalitas 450, regios inquam ſacerdotes, ac ueluti canonicos: montanorum autem, aut ſyluarum lucorumq; miniſtros, uel rurales ac ſacellanos 400. Religionem ergo inſtituit mulier eadem, & prophetiam gubernare pro ſuo arbitrio cõtendit. Heliam enim grauiter inſectata, plurimos prophetarũ cecidit: nimirum quòd nollent pro ingenio mulieris docere. Porrò religione Baalitica fornicationem, omnemq; impuritatem auxit. Scortationes matris filio regi Ioram obijcit Iehu. Ita & idolothytorum eſum, totamq; idololatriam per totum regnum ampliauit Iezabel: tunc quoq;, cum Dominus ſolenni ſacrificio per miraculum in monte Carmelo opera Heliæ toti regno declaraſſet, Baaliticam religionem eſſe uaniſsimam, ueram & ſinceriſsimã unius Dei Iſraelitici: nihilominus enim Iezabel perſequebatur ueritatem, & ſtabiliebat falſitatẽ. Sed & in gubernatione rerum politicarũ ſumebat ſibi Iezabel gubernaculum. Vſurpabat enim regiũ ſigillum, & literas in necẽ Naboth, uiri integerrimi & ſimpliciſsimi, nomine regis ſubmittebat. Talis quidem fuit impura Iezabel.

Fœminæ prophetiſſæ, id eſt hæreticæ.

Iam uerò ad exemplum huius impuræ fœminæ, erant in eccleſia Thyatirena mulieres, quæ ſibi magiſterium in religione & in eccleſia uendicabant, arrogantes ſibi ſpiritum propheticum: ex quo docebant quidem, ſed corruptam doctrinam, ſeducendo eos quos ſibi in ſeruos diuina eruditio parauerat. Hæ uerò pſeudoprophetæ corrumpebãt mentes, & nouam prophetiam, & plurima nullis tradita ſcripturis, ſed ex proprijs petita inſomnijs & impoſturis ſathanicis, proferebant. Inter alia etiam cõmunicabant cum Nicolaitis, ſcortando, & idolothytis participando. De qua re dictum eſt ſuperius.

Videtur

Videtur autem omnino loqui Dominus noſter de Cataphrygibus, ſiue Montaniſtis, quorum initia tempore Ioannis collocata, poſterioribus ſeculis, & imperio maximè Antonini, 60 poſt Apocalypſim editam anno, ualidius & copioſius eruperunt. Habuiſſe dicitur Montanus prophetiſſas Priſcillam & Maximillam, quæ uiſiones habuerint, & mirabiles reuelationes profuderint in eccleſiâ. Copioſius de his Euſeb. lib. 5. Eccleſ. hiſt. cap. 16. & Epiphanius hæreſi 48. in Panario. Certè Ioannes, uel Chriſtus ipſe per Ioannem, radices huius hęreſis euellere & proterere ab initio conatus, exemplo impiæ mulieris Iezabel, ipſam damnauit hæreſim. Prohibet ſcriptura aliàs quoque, in eccleſia dominari, docere & miniſtrare mulierem. Mox ipſe Dominus nouas prophetias confutabit, cum monebit, ſe nullum aliud nouum doctrinæ genus, præter id quod credidit uel tradidit eccleſiæ, reuelaturum. Iam etiam fornicatio & eſus idolothytorum, aliàs per ſcripturam condemnata ſunt ſeueriſimè, ut ſuprà dictum eſt.

Hæreſes multipharię in primitiua eccleſia.

Cæterùm cum illa tęporibus Apoſtolorum afflixerint turbarintq; eccleſiã Dei, non difficile eſt colligere, quàm imperiti rerũ ſint, qui hodie (quod & ſuperius monui) in odium religionis purioris reſtitutæ, accuſant ſectas, quæ tanta ubertate protuberãt, quaſi approbet illa fœditas, euangelium à nobis prædicatum non eſſe euangelium. Etenim euangelium, quod à Ioanne, & à reliquis apoſtolis prædicabatur, ueriſimum & puriſimum erat euangelium, utcunq; ex pſeudoeuangelicis emergerent Nicolaitæ, Cataphryges, & innumeræ aliæ ſectæ. Interim euangelium oppugnat & damnat omnes huiuſmodi ſectas, ueritatem Chriſtianam & unitatem catholicæ eccleſiæ aſſerit. Laus ſit Domino Deo noſtro.

Grauia minatur Dominus impœnitentibus, quippe qui reddat unicuique ſecundum opera ſua.

CONCIO XIII.

ET dedi illi tempus ut reſipiſceret à ſcortatione ſua, nec reſipuit. Ecce ego mitto eam in lectum: & qui adulterio miſcentur cum ea, in afflictionem maximam, niſi pœnitentiam egerint ab operibus ſuis: & liberos eius interficiam morte. Et ſcient omnes eccleſiæ, quòd ego ſim ille ſcrutans renes & corda, & dabo unicuique ueſtrũm ſecundum opera ſua.

Abuſus uel contemptus longanimitatis diuinæ.

Superioribus erroribus & peccatis Iezabelinis adiungit aliud quoq; non leue ſcelus, abuſum, adeoq; & contemptum longanimitatis Dei. Deus non protinus & eueſtigiò perdit errantes, & uerſantes etiam in peccatis grauiſsimis. Solent autem peccatores ferè longanimitatem illam Dei abripere in occaſionem & prætextum impudentius peccandi, dicentes: Si tantopere Deus hæc facinora perſequeretur, dudum nos extinxiſſet: nunc autem benignè fouet, ergo non improbat tantopere. At hæc eſt abuſio diuinæ longanimitatis. Nam in præſenti, ait Dominus, Iezabeli tempus conceſsi emendandi ſe, deſerendæ fornicationis ſuæ, & conuertendi ad Dominum: cæterùm non eſt conuerſa. Id quod Dominus fert iniquiſsimè, ſperni ſcilicet, & contumelia affici ſuam gratiam. Vnde Paulus ad Rom. An diuitias bonitatis Dei ac tolerantiæ lenitatisq; contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? &c. Rom. 2. Si ergo Dominus in peccatis noſtris derepentè nos non oppreſſerit, ne inde ſumamus nobis peccandi licentiam, quin conuertamur magis. S. Petrus: Patiẽs eſt erga nos Dominus, dum non uult ullos perdere, ſed omnes ad pœnitẽtiam recipere. 2. Pet. 3. Ipſa certè Iezabel cũ poſt ſupplicium mariti Achab, & mortiferum Ochoſiæ filij caſum, non reciperet mentem, neque intra annos filij Ioram 12, quib. regnaſſe legitur, reſipiſceret: tãto grauiorem Dei iram ſenſit, quanto hęc tardiore gradu acceſſerat.

Minæ graues.

Et conſequentibus quidem Dominus Ieſus grauiſsima minatur Iezabelitis, id eſt Cataphrygibus, niſi adhuc & in tempore reſipiſcant. Nam aperit rurſus gratiæ fores pœnitentibus, recitans, quid impœnitentib. ſit irrogaturus. Qua re utique ad pœnitentiam

minis perpellere tentat. Nam pœnarum genera uel gradus commemorando, etiã ostendit diuersas in errorib. uersantium species, singulisq; suum exponit iudicium, quod pœnitentia liceat effugere. Species uerò illas ideo commemorasse uidetur, ne quis fortè se immunem insontemq; arbitraretur, si uel leuiter participaret cum Iezabele.

Iezabel conijcietur in lectũ.

Principiò ipsi Iezabeli minatur Dominus, se ipsam coniecturum in lectum. Loquitur de primis authorib. mali & hæreseos, quibus minatur se immissurum ægritudinem. Lectus enim non rarò in Scripturis usurpatur pro ipsis infirmitatib. quib. excruciantur iacentes in lecto. Et Germani dicimus, *Er hat sich zů bett gelegt*: id est, grauissimo & lethali morbo correptus est. Dominus autem morbis animę & corporis torquet hæresiarchas: interim etiam uires erroris eneruat, ut paulatim dissipetur.

Miscentes se Iezabeli affligentur.

Deinde minatur afflictionem maximam coeuntib. cum Iezabele: id est, adhęrentibus falsę doctrinæ, recipientib. errores, oblectantib. se in hæresi, & hanc propagare conantibus. His inquam intentat maximas afflictiones, nimirum corporis & animę, præsentis & futuræ uitæ. Plus quiddam dixisse uidetur, quàm si species aliquot pœnarum recensuisset.

Liberi Iezabelis occidentur.

Postremò liberis ex hac commixtione & fornicatione natis, spurijs inquam, & nothis, mortem interminatur. Sunt autem liberi hæreticorũ illi maximè, qui hæreses iam eneruatas propè & declinantes, ueluti de nouo resuscitant, & reparãdo restituunt. Hos Dominus morte temporali & æterna conficit. Ac Dominum quidem nõ Cataphrygarum hęresim, sed omnes hæreses grauissimè puniuisse, testatur historia Ecclesiastica. De Cataphrygib. siue Montanistis quædam sparguntur ab Euseb. Eccles. hist. 5. cap. 16.

Excidium Achab & Iezabelis cum omni posteritate.

Mihi uidetur Dominus alluisse ad historiam ueterem Iezabelis & Achabi. Hos enim ueluti in lectum coniectos, de die in diem, ab eo tempore quo Baalim colere cœpere, infirmitatibus torsit & eneruauit: populum uerò recipientem Baalis cultum, maximis implicuit dolorib. malis & afflictionib. Postremò autem liberos infami morte trucidauit. Trucidati sunt & complices eorum, qui saluam, incolumẽ, adeoq; omnino reparatam uoluerunt Baalis religionem. Etenim post cædem Achab patris, non multos post dies Achabi & Iezabelis filius Ochosias, infausto casu collisus, & in lectum coniectus expirauit. 4. Reg. 1. Ioram uerò alter Achabi & Iezabelis filius, sagitta Iehu trãsfixus concidit. Filia Achabi & Iezabelis Athalia, uxor regis Iuda Ioram, filij Iosaphat, gladio Ioiadæ dissecta cecidit ante fores templi. Filius autem Athaliæ & Ioram, Ochosias rex Iuda, concidit & ipse Iehu armis. Postea uerò delẽtur per eundem Iehu, 70 liberi Achab: mactantur unà omnes sacerdotes Baal in templo, & ante aram Baal, ne uno quidem ex tanto numero effugiẽte. Quid, quòd & phanum & idolum & omnis cultus Baal funditùs eruta disparuere? Hanc ueterem & mirificam & admirandam historiam in memoriam reducit Dominus, significando se adhuc uiuere uindicem & ultorẽ: qui nec terminum iustum prætereat, nec eundem intempestiuè attingat. Subdit enim, Et scient omnes ecclesiæ, &c.

Pœnitentibus aperitur spes.

Illud tamen insigne hic & in primis est memorabile, ac consolatione plenum, quod in ista pœnarum commemoratione, medio ueluti loco inserit mentionem respiscẽtię. Quasi dicat, Nemo existimet, fatali quadam necessitate se perimẽdum & euertendum. Si enim quis pœnitentiam egerit, patent fores diuinæ gratiæ, remittuntur huic peccata, & recipietur in gratiam, liberabiturq; à malis illis omnibus. Atque ad hunc modum docuerunt etiam prophetæ, Ieremias in cap. 18. & Ezech. in cap. 18.

Declarat Dominus, se esse uindicem ecclesiæ.

Porrò quando pœna impœnitentibus non statim irrogatur, inuenias qui clamitẽt, Deum obdormiuisse, Deum nihil uidere uel audire. Excipit ergo hos ipse Dominus, & ait: Et scient omnes ecclesiæ, &c. cum uidelicet exercuero tandem, & opportuno quidem tempore, meam uindictã. Tum enim discent omnes homines, me nec dormire, neque unquam meos negligere, aut malè de me & ecclesia meritos transire impunitos. Simul testatur Christus, se scrutari omnium renes & corda. Intelligit autem, se omnes cordis cogitationes & consilia omnia, deniq; ipsum appetitum & concupiscentiam hominis omnem nouisse, unde & uerè iudicare possit. Nihil enim uel occultissimarum rerum fugit Christum. Deus itaque uerus est. Dei enim proprium est, nouisse corda filio-

Christus Deus.

rum

rum hominum: ſicuti & Solomon teſtatur, 3. Regum 8. cap. Videt ergo Chriſtus & Nicolaitarum, & omnium aliorum impurorum hominũ occulta & fœda facinora: quæ Paulus dicit indigna eſſe, quæ ſub lucem ueniant, & diſertè exponantur hominibus. Epheſ. 5.

Neq; uerò ſcit tantum omnia hominum quorumlibet Chriſtus, ſed inſuper cuiq; hominum dat iuxta opera ſua. Sic uerò & apoſtolus Paulus docet, dicẽdo: Patefiet iuſtum Dei iudicium, qui redditurus eſt unicuiq; iuxta facta ſua: his quidem qui perſeuerantes in benefaciendo, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, uitam æternam: ijs uerò qui ſunt contentioſi, & qui ueritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant iniuſtitiæ, uentura eſt indignatio & ira, afflictio, &c. Roman. 2. Porrò opera ſunt indices fidei & perfidiæ: & opera uel bona uel mala à Deo & pijs iudicantur, prout ex fide uel perfidia exoriũtur. Ergo quicquid quilibet noſtrũm ſeminauerit, id & metet. Deus enim boni retributor, & mali eſt ultor iuſtiſsimus. Ea ſententia ut ueriſsima, ita ueræ pietatis eſt fundamentum. Deo ſit gloria.

Chriſtus cuiq; reddit ſecundũ opera ſua.

Eccleſiæ doctrinam pietatis plenè eſſe traditam, ut nihil opus ſit nouis reuelationibus. Et de ampliſs. promiſſionibus Chriſti factis eccleſiæ.

CONCIO XIIII.

VObis autem dico, & cæteris qui Thyatiræ eſtis: Quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt profunditates ſatanæ, quemadmodum dicunt: Non mittam ſuper uos aliud pondus, præter quod habetis: retinete donec ueniam. Et qui uicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas uirga ferrea, tanquam uaſa figulina confringentur: ſicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam. Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs.

Porrò Cataphryges, & cum his orthodoxos Chriſti, eccleſiæq; Thyatirenę fideles ſigillatim alloquitur, & morbis ipſorum medetur. Qua re ineffabilis relucet Dei miſericordia, qui hæreſi adhuc implicitos alloqui, & morbis ipſorum peſtiferis mederi non ceſſat. Admonet autem omnes, ne nouas expectent reuelationes, ſed agnoſcant potius Deum per Chriſtum & apoſtolos tradidiſſe doctrinam perfectiſsimam, cui nihil uelit adijcere: ideoq; retineant firmiter quæ didicerant, & in quibus iam erant. Etenim Cataphryges, qui & Montaniſtæ, iactabant nouum paracletum & nouas reuelationes: quaſi non omnia plenè ſint ab apoſtolis tradita, ſed reuelanda ipſis adhuc plurima eſſe relictu. Sicuti hodie quoq; Papiſticæ eccleſiæ patroni aſſerunt conſtantiſsimè. Sicut autem Cataphryges ſuas nugas uelabant prætextu ſpiritus ſancti: ſic papiſtæ hominum conſtitutiones friuolas uelant, & ornant falſo ſpiritus ſancti integumento. Quaſi de ipſorum decretis loquutus ſit Dominus, cum dixit: Adhuc multa habeo uobis dicere, quæ nunc portare non poteſtis. Cæterùm fideles Thyatireni, qui non habebant doctrinam Iezabeliticam, ſed execrabantur magis, fluctuantes nihilominus dicebant, Diabolum eſſe abyſſum quandam, mille artificem, qui & in lucis angelum ſe transformet: ſe autem eſſe homines admodum ſimplices, qui mirificarum iſtarum artium inſcij, quid maximè ſequantur ignorent, dum pſeudoprophetæ & ipſi iactent ſpiritum ſanctum, & uirtutibus ſplendeant, & magna conſtantia ſua dogmata pro ueris uenditent. Inuenias hodie qui dicant, Simplex ſum, neq; ſcio cui nam parti adhæream, cum utrobiq; doctores magna conſtantia aſſerant, ſe compertam habere ueritatem, &c.

Magna Dei miſericordia.

Nouus paracletus & noua reuelatio.

Quid in diuersis dogmatibus pij sectentur.

Vtrisq; ergo respondens, quid faciant, ostendit: Vobis, inquit, Iezabelismum sectantibus dico, dico item reliquis Thyatirenis, non sectantibus Iezabelismum, sed tamen conquerentibus in huiusmodi disidijs, & mirificis diaboli artibus, se non uidere quid præstet: uobis inquam omnibus dico, Si uerè estis simplices, ut prætenditis, si uerum uerè amplecti ex animo uultis, studete apostolicæ simplicitati, inhærentes ijs quę semel didicistis ab Apostolis, nullas nouas religiones, aut additiones, aut constitutiones, neq; aliud præterea expectantes aut recipientes, quàm quod didicistis ab apostolis. Sufficiũt enim ad salutem consequendam, quæ accepistis.

Dominus ecclesiæ non imponit onus aliud.

Expendenda autem diligentius uidentur uerba Domini, ut uberem qui in eis est, fructũ percipiamus, οὐ βαλῶ ἐφ' ὑμᾶς (ait) ἄλλο βάρος, πλὴν ὃ ἔχετε: id est, Nõ mittam super uos aliud pondus, uel onus, prẹter quod habetis. *Ich wil üch kein andere burde vfflegen, oned die ir habend.* Asserit Dominus se doctrinæ euangelicæ ab apostolis traditæ nihil amplius adiecturum, quippe perfectissimæ. Certè si doctrina Mosis tam fuit perfecta, ut ipse Dominus inhiberet, ne quis quicquam adderet uel adimeret ei, sed duntaxat quod præceptũ erat faceret, sicuti legimus Deut. 4. & 12. cap. quis dubitaret deesse aliquid doctrinæ Christi filij Dei? Hic ergo in præsenti asserit, se nihil impositurum, præter id quod imposuerat, & quod tunc sustinebant.

Onus quid.

Onus in sermonib. prophetarum accipitur pro doctrina de reb. grauib. ac ponderosis. Apostoli quoq; legem appellant iugum & onus. Cum ergo Dominus ait, se non immissurum ecclesiæ aliud onus, dicit se non reuelaturum doctrinam aliam, non impositurum grauamina, instituta & ritus alios, quàm quos iam instituerat, imposueratq;. Congruunt cum his Christi uerbis, ea prorsus quæ leguntur in epistola Apostolorum synodica, Act. 15. Nam ex consensu ecclesiastico communi, & ex sententia spiritus sancti dicunt se nihil præterea imposituros ecclesiæ, nisi ea quæ acceperant à Paulo, & quæ declarandi causſa adijciebant paucula quædam. Vnde & Paulus ad Galat. dixit: Si angelus de cœlo uobis aliud prædicarit euangelium, præter id quod prædicatum est, anathema sit.

Perpetua est doctrina Christi.

Quid ergo? κρατήσατε ἃ ἔχεις οὖ ἂρ ἔξω, firmiter retinete, nimirum id quod accepistis, non sinentes uobis extorqueri ex manibus: mordicus inquam ijs inhærete, donec ueniam: id est, ad iudicium usque ultimum. Testatur ergo disertè, perpetuam hanc fore doctrinam, immutabilemq;, & ideo retinendam ab omnib. pertinacissimè, nec deflectendum ab ipsa: utcunq; reclamet, & aliud suadeat totus mundus. Aretas Cæsarienſis: Nil aliud, inquit, ab eis exigit, quàm ut pium fidei depositum, usq; ad ipsius aduentum custodiãt incorruptè. Hęc si faciamus, facilè licebit nobis cauere ab artib. sathanicis, & impostorum nebulis. Quicquid enim protulerint, quicquid confinxerint & coloribus fucóue sancti spiritus tinxerint, recurremus nos perpetuò ad simplicem Christi doctrinam traditam per apostolos, in qua solã acquiescemus, reijcientes omnia quæ cum ipsa non congruunt.

Contra traditiones hominũ.

Hæc autem Christi salutaris doctrina elidit omnes traditiones, & subuertit omnes constitutiones conditas ab apostolorum temporibus. Pij semper hoc Christi dictũ obijcient traditionarijs, Non imponam uobis aliud onus præter id quod habetis: illud firmiter retinete usq; ad iudicium extremum. Opponẽt etiam illud, quòd apostoli negant se amplius quicquam addituros, Act. 15. Dixit hoc Christus Ioannis seculo, anno Domini 97. Quicquid ergo accesit legum, traditionum, constitutionum ab illo tempore, minimè impositum scimus à Christo, qui tam disertè ait se non aliud onus impositurũ fidelib. Vbi ergo cõstitutiones de imaginib. in ecclesia uenerandis, de consecratione & celebratione missarum? Vbi sunt decreta Pontificis? Sternuntur illa omnia ceu fulmine, unica hac Christi sententia, Non imponam uobis onus aliud, quàm quod habetis, illud retine ad iudicium usq;. En, Ad iudicium usq;, inquit: ne quis fingeret, interea spiritui sancto uisum esse aliud. In his ergo perseueremus.

Ampliſſimæ promiſſiones.

Annectit his pro more suo amplissimas promissiones, ut spe tantorum præmiorum ab errorib. auelleret, & ueræ religioni conglutinaret. Sicut autem in superiorib. epistolis dixit, Qui uicerit: ita idẽ hic repetit, admonens non esse stertendum, sed uigilãdum,

&

& acriter pugnandum. Vincit autem, qui opera Christi in finem usq; custodit. Opera Christi occulta antithesi opponũtur operib. humanis & commentitijs. Significant opera Christi & doctrinam & fidem, & quæcunque ex hac sequuntur bona opera, cultum Dei, & obseruationem uerbi Dei. Nam apud Matth. in cap. 28. ait Dominus ad discipulos, Docete eos seruare ea quæ ego præcepi uobis. Emphaticῶs ait, Quæ ego præcepi uobis, non quæ ex uobis ipsis cõfinxeritis. Nam ex propheta apud eundem Matth. cap. 15. dicit Dominus: Frustra colunt me, docentes doctrinas hominum. Hæc itaque opera nullam habent promissionem: opera autem Christi, quæ ipse instituit, & quæ ex eius spiritu, ueraq; fide fiunt, dum uidelicet recedimus ab errorib. ueritatiq; inhæremus, ea habent amplissimam promissionem. *Opera Christi quæ.*

Duo autem promittit insignia. Prius: Quemadmodum mihi pater uictoriam promisit & præstitit, ut uicerim omnes hostes meos, ac de ijs triumpharim, illis ceu testaceis aut argillatijs uasis nullo negocio contritis: ita cõferam uobis quoq; potestatem & uictoriam contra omnes impios. Implebitur autem illa promissio plenè demum in ultimo iudicio, in quo subijcientur pedib. Christi omnes hostes pietatis: sicuti & in Psalmis exponitur, præsertim in Psal. 2. & 110. In hoc quoq; seculo asserit Christus, cultores suos spiritualiter hostib. dominaturos: sicuti & Christus, licet affligeretur & moreretur, interim hostes suos deuicit. Historiæ sacræ & ecclesiasticæ de his abundè testantur. *Victoria capitis Christi & membrorum.*

Posterius: Dabo illi stellam matutinam. Intellexit autem uel gliscẽtem subinde magis magisq; Christi cognitionem, atque adeò ipsum Christum, quemadmodum & dies in ortu luciferi magis magisq; inclarescit: quo sensu & Petrus apostolus hac allegoria usus legitur, 2. Pet. 1. Vel certè clarificationem promisit illustrissimam. Daniel enim dicit, fideles in resurrectione instar firmamenti rutilaturos. Quod Christus quoq; Dominus citat Matth. 13. ac eò alludens Apostolus dixit, Stellam stella illustriorem esse: ita etiam in resurrectione alium alio clariorem fieri. Maxima hæc sunt promissa, neq; arbitror maiora nobis præstari posse. Dominus gratiam concedat, qua tantarum rerum fiamus participes. *Stella matutina.*

Postremò applicat hanc epistolam omnibus per orbem, & omnium seculorum ecclesijs. De qua cum superius non semel dixerimus, non est quòd repetitione molestiam cuiquam ingeram. Deo nostro sit laus & gloria.

Vituperat quædam in ecclesia Sardensi: mox tamen medicinam tradit, qua curari possit, & incolumis esse.

CONCIO XV.

CAP. III.

ET angelo ecclesiæ quæ est Sardis, scribe: Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Noui opera tua: quia nomen habes quòd uiuas, & mortuus es. Esto uigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo. Recordare ergo, qualiter acceperis & audiueris, & retine, & resipisce. Si ergo non uigilaueris, ueniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora ueniam ad te.

In una Sardensi ecclesia fuerunt duo hominum genera, utrinq; Christi nomen profitentia: sed alij quidem sanctæ professioni parum respondebant, licentiosius uiuentes quàm decebat: alij uerò innocentia uitæ ornabant doctrinam Saluatoris, quam profitebantur. Priores accusat quinta hac epistola Dominus Iesus, per Ioannem: simul autem medelam morbo ostendit. Posteriores uerò hortatur ad perseuerantiam, commendans integritatem ipsorum. Duab. itaq; partib. absoluitur hæc epistola, admodum appositа & utilis nostris temporibus. *Duo hominũ genera in una ecclesia.*

Prima epistolæ pars illis continetur, quæ iam recitauimus: nec alio in ea procedit ordine, quàm hactenus in alijs processisse uidimus. Principiò enim indicat, cui nam dicata

cata & deſtinata ſit illa epiſtola: Epiſcopo nimirũ eccleſiæ Sardenſis, & ea de cauſa etiam
Sardis. uniuerſæ eccleſiæ. Sardis Lydiæ uel Mœoniæ dicitur fuiſſe caput, metropolis opulẽtiſſimi Lydorũ regis Crœſi, quem deuiciſſe Cyrũ author eſt Herodotus. Ornata fuit ad miraculum, & celeberrima: luxu ergo perdita fuit. Omnes enim ancillas eius meretriculas fuiſſe, teſtatur Strabo Geographiæ lib. 13. qui plura de hac urbe commemorat. Cer-
Sardis luxu perdita. tè antiquum obtinuiſſe uidetur, etiam cum recepiſſet nomen Domini: & ideo propenſiorem fuiſſe, ad ſcortationem, omnisq; generis libidines. Id quod Dominus in ipſis accuſaſſe uidetur, ſicuti & Paulus id ipſum uitium in Corinthijs quoq; perſequutus eſt. Mundus ægrè credit, fornicationem ſimplicem eſſe peccatum. Vnde & in magno illo
Act. 15. apoſtolorum concilio unanimes decreuerunt apoſtoli & ſeniores, totaq; eccleſia, ut à fornicatione abſtinerent gentes. Hodie ſubinde conatur ſathanas fornicationibus rurſus contaminare eccleſias, reducere fornices, & ut cum authoritate & publicè exerceatur ſcortatio. Sic enim eiectus, aſſumptis ſeptem nequiorib. ſpiritib. conatur rurſus occupare locum illum, è quo per Euangelii prædicationem eſt eiectus. Reſiſtendum itaque illi, ne aliquando accuſet nos ipſe Dominus Ieſus, ſicuti hic Sardenſes grauiter ac-
Chriſtus habet & mittit ſpiritum. cuſauit. Deinde oſtẽditur author epiſtolę Dominus Ieſus, nec ſine laude. Dicitur enim habere ſeptem Dei ſpiritus, id eſt habere ſeptiformem ſpiritũ, quem & in fideles effundit, alioqui unus modò ſpiritus eſt, non ſeptem: ſed ſeptem, id eſt multijugæ aut multiplices ſunt eius gratiæ, ſicut expoſui cap. 1. Idem habet nimirum in dextera ſua ſeptem ſtellas, nimirum totam omnium concionatorum miniſtrorumque multitudinem, ſeruans eos, atque inſtruens. Hoc autem principium non malè congruit huic argumento, quod in epiſtola tractatur. Ex ſpiritu enim Chriſti, uita eſt: ex inopia ſpiritus, mors. Chriſtus ſeruat miniſtros, utcunque homines in eccleſia iraſcantur, illis ſcelera grauiter accuſantibus. Occultè ergo monet petere ſpiritũ, ad fouendam uitam ſpiritualem: & fidere Chriſto, qui miniſtros tueri uult, & prouehere.

Morbus huius eccleſiæ. Hinc, quod in ſingulis teſtatus eſt epiſtolis, in hac quoque repetit: Noui opera tua. de quo dictum eſt ſuperius. Nihil eorum quæ fiunt in eccleſia, neſcit Dominus, qui etiam eſt ſcrutator cordium. Singulariter autem in hac eccleſia uituperat, quòd ſibi uideretur uiuere, cum eſſet mortua. Non de corporali, ſed ſpirituali uita ac morte loquitur. Viuit enim per ſpiritum ſuũ in ſanctis uel fidelibus ſuis Chriſtus, & uiua per ipſos edit opera: ſicuti Dominus docet Ioan. 6. & multis alijs in euãgelio Ioannis locis. Dixit & Apoſtolus ſe iam nõ uiuere, ſed uiuere in ipſo Chriſtum: idem dixit, Viduas uiuẽtes in delicijs, uiuas eſſe mortuas. Mortui ergo ſunt, qui non habent in ipſis uiuentem Chriſtum per fidem & ſpiritum, qui non habent operantem in ſe uim Chriſti: id eſt, qui nõ edunt opera uiua. Nam & Dominus in Euangelio dixiſſe legitur: Sine ut mortui ſuos mortuos ſepeliant. Sardenſes ergo nomen habebãt uiuentiũ, id eſt, dicebantur Chriſtiani, ſpirituales, regeniti & ſancti Dei cultores: ſed mortui erant, nimirum hypocritæ, in quib. nihil ſpiritus aut uitæ Chriſtianæ apparebat. Viuebat in eis adhuc caro, mundus & corruptio. Tales autem eccleſiæ Chriſto diſplicent: tales hodie quàmplures ſunt. Sed nunquid reijcit illas Chriſtus? Vituperat quidem tales, ſed non ut contumelia afficiat (ita enim mundus uituperat) ſed ut reſipiſcant. Nõ enim uult mortem peccatoris,
Videris tibi uiuere, ſed mortua es. Galat. 2. 1. Tim. 5. Matth. 8.

Morbo paratur medicina. ſed magis ut conuertatur & uiuat. Ideoque conſequenter morbo parat medicinam.

Et initio præſcribit ſtellis uel epiſcopis, quid agant in hac re: deinde toti eccleſiæ officium ſuum quoq; dictat. Vnde nos diſcimus, quomodo morbis eccleſiarum paribus ſit medicandum. Ad paſtores illud pertinet, quod uigilare iubet, nimirũ ſuper gregem: confirmareq; quod reliquum erat gregis, nondum quidem perditum, ſed perditioni proximum, niſi in tempore ſalubri & tẽpeſtiua doctrina ſubueniatur. Alluſit haud dubiè ad curam & inſpectionem illam paſtoralem, quam Dominus deſcribit apud Ezech. in cap. 34. Confirmatur grex uerbo Dei: eodem retrahitur à morte, ſeruatur in uita, &c.

Opera illius eccleſiæ non plena coram Deo. Iam etiam rationem ſubiungit, quare iubeat confirmare gregem, ne labatur in mortem. Non enim inueni opera tua plena coram Deo. Compluten. exemplum & Aretas addunt Meo. Per opera intelligit omnia quæ fiunt, dicta, facta, & conuerſationem hominis totam. Semper quidem imperfecta ſunt opera etiam ſanctorum, ſi quis ſpectet imbecillitatem

cillitatem humanam. Semper enim dum hic uiuimus, repugnat caro ſpiritui: ut Iob dicebat, uereri ſe omnia opera ſua, & ideo ad iudicis confugere clementiam: plena tamen ſunt reſpectu Chriſti. Hic enim eſt plenitudo noſtra, & in ipſo ſumus completi, Ioan. 1. Epheſ. 1. Coloſſ. 12. At plenitudinem ſuam participat nobis fide. Sardenſes fide deſtituebantur uera, unde oportebat omne ipſorum opus eſſe imperfectum coram Deo: qui nihil approbat, quàm quod filij, adeoq; mundiſsimum eſt. Iubet ergo Dominus fidem ſe dulò docere & inculcare, ut in Chriſto perficiantur. Hæc optima eſt medicina morbi lethalis eccleſiæ Chriſti.

Sequitur officium plebis, quomodo ipſa poſsit curari, per apoſtolicam pœnitentiam. Huius caput eſt: Recordari uerborũ Domini, qualiter ea acceperimus & audiuerimus. Non iubemur nouas comminiſci formas religionis & pœnitentiæ: ſed relegamur ad ueterem traditionem, quam habemus in ſcriptis Euangelicis & apoſtolicis. Horum inquam recordari debemus. Nam aſſuetudine peccandi obliuiſcimur uerbi Dei. Et principium quidem pœnitentiæ Petri erat, recordari uerborum Domini. Ergo qui per uerbum Dei nolunt argui & inſtrui, nunquam peruenient ad ueram pœnitentiam. Accedit his, quod neceſſarium eſt ut ſeruemus & retineamus uerba Dei, id eſt, doctrinam Chriſti ueram, ne eius mox obliuiſcamur, aut ut ipſam conſtituamus in uana contẽplatione, non in efficaci opere. Cuſtodienda eſt doctrina Chriſti, & opere complenda. Vltimo enim loco ſequitur: Et reſipiſce. Reſipiſcentia uera uerſatur in opere: ut animo & corpore auertamur à malo, & conuertamur ad Deum, faciamusq; bonum, dolentes de prauis facinoribus. Hæc eſt uera apoſtolica pœnitentia. *Vera apoſtolica pœnitentia.*

Ad hanc iam pro more diuino prophetico & apoſtolico, minis trahit. quæ quidem referendæ ſunt tam ad miniſtros quàm ad populum, in eccleſia. Rurſus autem utitur parabolis Dominus, quibus uſus legitur in Euangelio apud Matth. in 24 cap. ubi illis ipſis ad uigilantiam & ſobrietatem adhortatur. Qui locus cum ibi copioſè ſit expoſitus, non eſt quòd multis ei hic inhærere pergam. Domino ſit laus & gratiarum actio in ſecula. *Minis hortatur ad pœnitentiã.*

Probat atque commendat innocentiæ ſtudentes in eccleſia Sardenſi, adhortans illos ut ſic pergant.

CONCIO XVI.

SEd pauca habes nomina in Sardis, qui non inquinauerunt ueſtimenta ſua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt. Qui uicerit, ſic ueſtietur ueſtimentis albis: & non delebo nomen eius de libro uitæ: & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs.

Iſtis ſecunda huius epiſtolæ cœleſtis pars comprehenditur, qua commendatur uel prædicatur fidelium Sardenſis eccleſiæ innocentia, ſanctimonia & integritas in uera religione. Adhortatur eoſdem ampliſsima promiſsione ad perſeuerantiam. Poſtremò omnibus ampliſsima rurſus præmia proponit: corruptis nimirum, ſi emendentur: & fidelibus, ſi pergant. *Argumentum huius partis.*

Codex Complut. ſic habet, ἀλλὰ ὀλίγα ἔχεις ὀνόματα ἐν σάρδεσιν: Sed habes pauca nomina in Sardibus. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Non omnes apud te corrupti & mortui ſunt, quanquam pauculi quidem ij ſint. Atq; ita legit & Aretas, & uulgata editio Latina. Alia exempla habent, quod Eraſ. ſequitur, Habes pauca nomina & Sardis: id eſt, Etiam in Sardibus habes nomina, ſed pauca. Nomina uerò poſuit pro inſignibus hominibus quæ loquutio & in noſtra lingua eſt recepta. Dicimus enim, Da iſt nit vil namhaffts, Nihil hic excellens & ſingulare. Significat ergo, eſſe in illa eccleſia illuſtres perſonas, illuſtres *Nomina.*

illustres autem fidei integritate & sanctimonia uitæ: sed paucas, si quis referat aut comparat ad hypocritarum siue mortuorum numerum, multo uidelicet copiosiorem. Nec est quod in præsentia miremur. Nam dicit etiam Dominus noster in Euangelio, multos quidem uocatos esse, electos paucos: & maiorem huius seculi partem ambulare per amplam illam perditionis uiam, Matth. 20. & 7. Quod & Petrus in sua repetijt epistola posteriore cap. 2. Vt exibilandi magis sint, quàm confutandi, qui ex multitudine patrocinium petunt errori suo. Hodie perfrequẽter audias, Vos estis numero pauciſsimi, nos sumus innumerabiles, unde & meliorem causam habemus.

Pauci boni.

Quid laudetur in Sardensi ecclesia.

Cæterùm in primis illud excellens obseruandum, quòd licet pauci essent boni, Dominus tamen pauculos illos nihilominus commendat & prædicat, haud dubiè in exẽplum & imitationem omnib. ecclesijs alijs. Verba quidẽ breuia sunt, sed laus ampliſsima, Quòd non inquinauerunt uestimenta sua: id quod perinde est ac si dixisset, Nõ pol luistis animas uestras opinionib. peregrinis, aut hæreticâ labe. Sinceri enim in uera fide mansistis: sed & corpora & totam uitæ conuersationem non contaminauistis libidine, spurcitia, uoluptatib. atq; sceleribus. Maxima sanè hęc laus est, & absolutæ pietatis nota certisſima: qua utinam plures nostrũm insigniti essemus. Sed uidetur hic & genus orationis utcunq; esse explicandum. Multa & frequens est allegoria uestium in sacris literis. Vsus quidem uestium ab ipso Deo inuentus, & parentib. nostris ostensus, præcipuũ illud habet, ut contegat pudendas corporis partes, ornet uel honestet corpus, & iniuriam cœli depellat. Ideoq; Christus ipse dicitur uestis Christianorum, & in Euangelio quidem uestis nuptialis. Vnde apostolus suadet induere nouum hominem, qui secundum Deum sit conditus, atque adeò ipsum Christum, Rom. 13. Ephes. 4. Colos. 3. Christus enim obtegit, non tantum pudenda, sed omnes simul animæ fœditates, ornat & honestat nos, depellitq; à nobis omnem iniuriam & omne malum. Hanc uerò uestem pol luimus, cum nec fide nec sanctimonia uitæ respondemus professioni nostræ. Christus enim est uestis nostra: & Christianismus, fides sincera & uita sancta, sunt uestimẽta nostra: ad eoq; fides & conuersatio nostra, est uestis nostra. Quia itaq; Sardenses & fide sincera & morib. erant incorruptis, dicuntur uestes suas retinuisse mundas. Iam pręmiũ quoq; uirtuti adijcit Dominus. Et ambulabunt mecũ, inquit, in albis. Hæc eximia sanè cõmemorat, ut Sardenses pios in officio retineat, ad maiora prouehat, & alios quoq; ad sinceritatem & integritatem cõmoueat. Ambulant sancti cum Christo in albis, id est, eadem perfruuntur gloria, qua Christum præfulgere credimus. Orat enim hic patrem, ut concedat fidelib. ut ubicunq; ipse sit, illi sint cum ipso, & uideant gloriam eius, &c. Ioan. 17. Apud Matth. in clarificatione uel transformatione apparet Christi uultus illustris, solis instar, uestis & corpus reliquum candidum sicut lumen. Ita apparuit in primo cap. huius libri, Christus Ioanni, indutus candida ueste. Nunc ergo dicit, Pij qui non inquinauerunt uestem suam, uersabuntur mecum, induti etiam luce, &c. Addit & aliud, Quia digni sunt. Germanicè, *dann sy sind sy wärt*. Hæc maxima laus est, cum dicit Imperator, militem dignum esse honore & gloria. Summa ignominia est, cum apud nos dicitur, *Du bist sy nit wärt*, Indignus es. Prius orationis genus, ostendit excellẽtissimum esse in omni uirtutum genere, qui dicitur luce dignus æterna. Posteriore significatur, eum qui indignus dicitur re bona & excellenti, extremè negligentem & cõsceleratum esse. Non ergo est ut hic disputemus de merito congrui & condigni. Deus suos pronunciat dignos esse gloria, pij omnia bona in seipsis ad gratiam referunt, & perpetuò de indignitate sua conqueruntur: non quòd Deum mendacij arguant, sed quòd supereminentem in ipso bonitatem prędicent: agnoscẽtes quidem, quòd bona opera præmijs ornat, quòd dignitatem sanctorum celebrat: sed his nihil efferuntur, sed agnoscunt gratię hoc esse totum. Hoc claret in doctrina Euangelica Lucæ 17. & Matth. 25. ubi sancti laudati à Deo, ex operib. misericordiæ nihil eorum uidentur agnoscere.

Allegoria uestis in Scriptura.

Ambulare cũ Christo in albis.

Digni sunt sancti gloria.

Præmia ingentia uirtutis.

Porrò plurib. exponit promissiones ampliſsimas Dei, quib. non tantũ sanctos & impollutos Sardẽses in officio retineat, sed ut exorbitantes alios per omnia secula reducat in uiam pœnitentiæ, integritatis & sanctimoniæ. Tria autem promittit: principiò quidem uestimenta alba, id est clarificationem, lucemq; æternam, & consortium cum Deo glo-

glorioſum. de quo iam dictum eſt. Deinde, Non delebo, inquit, nomen eius de libro uitæ. Quēadmodum enim urbes habent libros, in quos ciuium ſuorum nomina referūt: ita & Deus dicitur in ſcripturis (ἀνθρωποπαθῶς) habere librum uitæ, uel electorum. Qualis ille liber ſit, & cuius nomē in ipſo legatur, nemo noſtrûm, cū nemo inſpexerit, dicere poteſt. Ex ſcripturis diſcendum eſt, qui ſint ciues regni Dei. Horum enim nomina inſcripta eſſe libro uitæ, nemo dubitare poterit. Dicit autem Ioannes: Quotquot crediderunt, dedit eis poteſtatem, ut liceret Dei filios fieri. S. Paulus dicit: Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Clamat autem ſpiritus in animis priorum, Abba pater. Idē Apoſtolus dicit: Deus prædeſtinauit nos, ut adoptaret in filios, per Ieſum Chriſtum. Item: Elegit nos in Chriſto, antequam iacerētur fundamenta mūdi. Ergo inſcripti ſunt albo cœleſti omnes credentes. Quicunque ergo non credunt, aut in fide non perſeuerant, uel non ſunt ſcripti in libro uitæ, uel delentur rurſus ex libro uitæ. Poſtremò confitetur filius credentes, & in fide uera perſeuerantes coram patre cœleſti & coram angelis eius. Repetijt hic doctrinam Euangelicam ex 10. cap. Matth. & Marci 8. Magnum autem eſt in uniuerſali illo iudicio, agnoſci à Dei filio, à iudice, & compellari ſalutariq; ab eo amicè, & cum ſumma laude. Si quis princeps te in cœtu magno populi agnoſceret, imò amplecteretur & laudaret, quàm beatum & fœlicem te crederes? At tunc complectetur te ipſe Dei filius, rex regum, & dominus dominorum. Hæc cogitemus in tempore, & emendemus mores noſtros. *Liber uitæ.*

Nam illa omnia ad nos quoque pertinere, euincit ultimum illud, & Ioanni ſolitum epiphonema: Qui habet aurem, audiat, &c. De quo aliàs dictum eſt. Domino ſit laus & gloria.

Commendat uirtutes, conſtantiam maximè, Philadelphienſis eccleſiæ Dominus, &c.

CONCIO XVII.

Et angelo Philadelphienſis eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit ſanctus ille uerax, qui habet clauē Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Noui opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertū, & nemo poteſt claudere illud: quia exiguam habes potentiam: & ſeruaſti ſermonem meum, & non negaſti nomen meum. Ecce do de ſynagoga ſathanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur. Ecce adigam illos ut ueniant, & adorent ante pedes tuos.

In omnibus reliquis eccleſijs aliquid ſaltem accuſauit Dominus, in ſola Philadelphienſi nihil uituperat: non quòd quiſquam in hac carne inueniatur ita perfectus, ut non indigeat diuina gratia. Dauid enim clamat: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo ullus uiuens. Sed & Ioannes omnes, ſicuti & Paulus, homines ſubdit peccato: id quod & Auguſtin. contra Pelagianos doctè proſequitur. Ergo quòd in hac eccleſia nihil uituperat, non eum habet ſenſum, quaſi quotidianis uitijs non fuerit polluta: cæterùm ideo nihil imputat, quòd integritas & ſinceritas fidei, quicquid eſt uiciorum, adoperit atq; contegit. Nulla enim eſt condemnatio ijs qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu. Quanquam uerò aliæ eccleſiæ & ipſæ fidem habuerint rectam, excellit tamen hæc ſingulariter, &c. Poterat ſingulariter referri ad epiſcopum eius eccleſiæ. *Non uituperatur eccleſia, ſed ideo tamen nō eſt perfecta.* *1. Ioan. 1.* *Rom. 3.*

Commendat in hac ſexta epiſtola fidem ſinceram, fideiq; conſtantiam, & admonet ut perſeueret, ampliſsima proponēs præmia. Habet autem eruditionem uariam: quod in ipſa apparebit tractatione.

Eundem autem in hac ordinem Dominus ſequitur, quem in alijs uidemus ſequu- *Ordo.*

tum. Nam una eademq; est ratio doctrinæ apud omnes ecclesias, & omnib. temporib. Principiò ergo ostendirur, cui inscribatur aut dedicetur epistola: Pastori Philadelphiẽsi, adeoque uniuersæ ecclesiæ. Philadelphia urbs fuit Lydorum, non admodum illustris, nec tamen obscura etiam. Sæpe conuulsa legitur terræmotibus, & reparata. Meminit eius Strabo lib. Geograph. 12. meminerunt & alij. Illustrem se tamen reddidit uirtutibus. Deinde significatur huius epistolæ author Christus Dominus, qui & aliàs beato Ioanni dictauit.

Philadelphia.

Tria uerò tribuuntur Christo, quin ipsemet Christus tribuit sibi tria hæc, quòd sanctus sit, uerax, & qui habeat clauem Dauidis: id quod ex imagine primi capitis mutuauit. Sanctus est Christus, quia purus & mundus est ab omni inquinamento, & ab omni iniustitia. Deus uerus, ignis consumens, nemini ullam irrogans iniuriam, nihil omnino habens quod culpari possit. Rectè enim concinunt Seraphim, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Isaiæ 6. Christus quoq; est sanctus sanctorum, sanctificatio inquã omnes sanctificãs, qui sanctificantur. Idem amat sanctimoniam in sanctis. Verissimè ergo Christus dicitur *die heylikeit aller gleubigen.* Antichristus papa hunc sibi rapuit titulum, ac tam aptè sedet in hac bestia, ac si latrinam uel cloacam tu appelles rosetum. Expuite in turpem & fœdam illam bestiã, quæ se appellari sinit *Bäpstliche heylikeit*, & adorate sanctum sanctorũ Christum. nisi malis per sanctitatem illam intelligere, non quãuis sanctitatem, sed papisticã, id est, omnibus abominationib. fœtentem atq; madentem. Verax itẽ appellatur Christus, quia æternus & fidelis, sibi semper constans & incorruptus. Falli nec potest, nec fallere. Idem cõstantissimè seruat promissa. Vera & indubitata sunt omnia eius uerba: tametsi caro, moræ impatiens, nonnunquã subdubitare incipiat, non decidit tamen ullus ab ijs punctus. Veritas Domini manet in æternũ. Firmissimo inniteris fundamento, si Christo, qui & Ioan. 14. se ueritatem uocat, innitaris.

Christus sanctus.

Christus sanctus sanctorũ.

Christus est uerax.

Postremò addit, Qui habet clauem Dauid. De claue dixi cap. 1. Alludit ad Isaiæ cap. 22. Significatur potestas Christi diuina & omnipotens, qua purgatos introducit in regnum cœlorum: quod quidem opus nec dæmones, nec ulla uis impedire potest. Idem impuros deijcit ad tartara, nec est qui liberare aut differre hoc possit. Significanter ergo dicit, Habet, nõ habuit aut habebit, sed nũc habet. Etenim potestatẽ hanc solus habet, quam penitus cum nemine cõmunicat. Mẽtitur papa Romanus, qui dicit se habere illã potestatẽ. Solus Dei filius præpollet illa prærogatiua. Apostoli acceperunt, ut ministri & prædicatores, scientiæ & annũciationis, eruditionis, institutionis & introductionis claues, quib. infideles minãdo etiam excludũt regno Dei, ligant in peccatis: Deo, apud quem est summa potestas, ratum habente iudicium ministri, quod non ex seipso, sed ex uerbo Christi pronunciauit. Cæterùm pulchrè hæc quadrant illis quæ sequuntur de aperto ostio, quod nemo potest claudere, & toti denique argumento.

Clauis Dauid.

Claues datæ apostolis.

Nunc enim pergit Dominus narrare, quod uoluit: & quod in omnib. dixit epistolis, in hac quoque repetit, se omnia huius & omnium aliarum ecclesiarum nouisse.

Sic autem perseuerantiam in fide commendat in hac ecclesia, ut simul innuat, eam quoque promanauisse ex gratia Christi. Exiguam, ait, potentiam, adeoq; nullas facultates, quas hic mundus spectat, utpote potentiam, opes, sapientiam mundanam, successum, sociorum copiam, & huius generis alia, habes. Proinde nihil tibi, nihil tuis uirib. attribuere potes, ne illud quidem quod es ecclesia, & liberè apud te prædicatur ueritas euangelica. Ego enim hoc ostium aperui. Idem ego mea ui retineo, ne quis ostium claudere possit: nimirum concessam semel prædicationẽ & gratiam, ullo modo prohibere, subducere aut rapere. Aperire ostium, prouerbialis est loquutio, usurpata ab Apostolo, 1. Cor. 16, & 2. Cor. 2. Aperit ostium, qui occasionẽ suppeditat, & uiam parat introëundi. Verbo igitur apertum erat ostium uitæ. Licebat fidelibus ingredi: infidelib. non licebat uiam hanc præcludere. Manus enim Christi apertas retinebat fores. Et hæc quidem docent, unde fit illud quod in urbibus, oppidis & pagis, non admodum instructis ulla facultate, tam feliciter procedat Euãgelij cursus: cumq; insidijs, artib. minis & persequutionib. ostium conentur claudere multi, non possint. Non fiunt illa nostra eruditione & prudentia, sed diuina gratia.

Potentiam nõ habes.

Dedi coram te ostium apertum.

Nemo potest claudere ostium.

Quod

Quod si quis illa & mox consequentia interpretari uelit peculiariter de angelo siue pastore ecclesiæ, non refragabor. Is enim cum esset humilis, & nulla instructus seculari sapientia, aperuit tamen, Dei gratia instructus, uiam salutis, quam obdurare iam non poterant, quotquot prædicationem Euangelicam abrogatam uolebant. Virtus eum Christi seruabat.

Commendatio perseuerantiæ in fide.

Significantius iam prædicat siue commendat in fide fidelem constantiam & pastoris & ecclesiæ: Seruasti, inquit, sermonem meum, & non negasti nomen meum. Cum Dominus ostium aperuit, lucernam accendit, & dona cœlestia contulit, pastor cũ ecclesia ex Dei gratia recepit, recepta retinuit, retenta non abnegauit, nec proculcauit. Hæc est laus egregia. Vtinam hodie multæ tales inuenirentur ecclesiæ. Discis tu quoq;, ô Christi ecclesia, discitis singuli, quod sit pastorum, ecclesiæ & singulorum piorum officium. Nullum fuit meritum tuum, Deus ex gratia sua tibi illuxit. Nulla fuit dignitas tua, maiestas & potẽtia, Christus ex misericordia se tibi reuelauit. Complectere ergo se tibi offerentem, retine, noli unquam illum dimittere, &c.

Sermo Christi seruandus.

Obserua autem, quòd dicit Dominus, Sermonem: non quemuis, sed meum. Quis sit sermo Christi, omnib. est cognitum. Nam qui Euangelio, & prius quidem per prophetas, postea per apostolos traditus est ac scriptus in literis sacris, Christi sermo est. Christi sermo non est, qui cum hoc pugnat, licet à Concilijs & Patribus reuelatus sit. Non agnoscit Christus illum sermonem: suum pro suo agnoscit. Hunc autem oportet custodire, uel seruare. Seruatur sermo Christi, quando additionib. detentionibus, detorsioni busq; non corrũpitur, sed si sincerus in natiuo sensu retinetur. Non seruatur, cum corrumpitur aut adulteratur humanis figmentis & peruersis interpretationibus. Seruatur Christi sermo, cum non ore tantum commendatur, sed operibus quoque pijs in omni uita exprimitur, & sanctimonia ornatur. Non seruatur, quando sine pœnitentia impurissimè uiuitur. Seruatur deniq; Christi sermo, quando nullo fastidio nostro aut impatientia abijcitur, abnegatur atq; proculcatur. Ideoq; mox subiungit, Et non negasti nomen meum. Alibi dixi copiosius de confessione & abnegatione nominis Christi. Hæc scilicet fecerunt Philadelphienses, his placuerunt uirtutibus ex fide Domino. His approbabimus & nos Saluatori nostro.

Seruatur sermo Christi quo modo.

Conuertit Dominus hostes ad ecclesiam.

Porrò dicit Dominus, quanto præmio honorare uelit illam piorum in fide constantiam. Habetis modò, inquit, hostes ob puram nostram religionem plurimos: ego uerò si sic pergatis, efficiam, ut illi hostes uestri amici fiant, deniq; religionis socij, adeò ut qui hucusq; damnarunt uos pro impijs sacrilegis & hæreticis, uenturi sint ad uos cum summa humilitate, deprecaturi culpam, recepturi religionem uestram, & adoraturi illum quem blasphemarunt. Venient autem cum humilitate maxima supplices. Ita enim futurum prædixit Isaias in cap. 49. quò alluſit Dominus in præsenti.

Pseudoiudæi.

Perstringit interim singulares fidei hostes Iudæos, quos appellat synagogam satanæ. Nam ipsorum doctor erat non alius quàm diabolus, ut ne hodie quidem meliorem habẽt. Vocat falsos Iudæos & mendaces. nam neq; confitebantur Dominum, neq; glorificabant Deum, non credebant in Messiam. At qui Iudæi reuera sunt, tales non sunt: quod apostolus Paulus dixit Rom. cap. 2. Ex his multos compulit diuina potentia, relicto Iudaismo, concedere ad religionem Christianam.

Quomodo seruentur ecclesiæ.

Si ergo conemur aut cupiamus & hodie in ecclesijs nostris retinere purũ uerbũ Dei, & recipere hostes nostros supplices, non consequemur hæc bellis, iniurijs, conuicijs, probris, sed constanti fide. Si uerò uel non purè confiteamur fidem nostram, uel non ornemus uirtutibus, quid mirum, si hostes maneant hostes, & grauius in diem nos odisse pergãt, tandem & opprimant, lucernamq; uerbi Dei apud multos extinguãt? Discamus ô fratres pietate, constantia & sanctimonia lucrari fratres nostros. Dominus Iesus concedat ad hæc perficienda nobis suam gratiam.

Admonet ut perſeueret in uera fide, ampliſſima proponens præmia.

CONCIO XVIII.

ET ſcient, quoniam ego dilexi te: Quoniam ſeruaſti ſermonem patientiæ meæ: & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ uentura eſt in orbem uniuerſum, ut tentet habitãtes in terra. Ecce uenio citò. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

Seruare ſermonẽ Chriſti.

Commendatur uirtus egregia in Philadelphienſi eccleſia, quòd ſermonem Chriſti, non quemlibet quidem ſermonem, ſed ſermonem Chriſti, ſeruauit, & non negauit. Recenſere autem cœpit ampliſsima præmia, quæ & huic dedit eccleſiæ & cuilibet pari in ſtudio pietatis dare paratus eſt. Quib. ſimul omnib. extimulat ad perſeuerantiã in hoc pietatis ſtudio. Nam præmijs allicimur.

Hoſtes fiũt amici.

Principiò Conuertam, inquit, hoſtes tuos, ut fiant amici & fratres tui, ut uenientes in eccleſiam, adorent Chriſtum, quem blaſphemarunt hactenus, imò & humiles & ſupplices ſe ſubijciant: ſicuti de Paulo legimus, qui 1. Cor. 15. ait ſe indignum qui appelletur apoſtolus, &c. Eſt autem beneficium hoc ingens. Nam glorificatur Deus per conuerſos. Celebratur & ueritas, calcatur mendacium & ſuperſtitio. De quo non poſſunt non eximiè lætari ſancti. Simul liberantur ex unguibus diaboli fideles, & ſaluantur.

Eccleſia Deo chara.

Deinde ſequitur aliud beneficium Dei. Scient & experientur hoſtes Dei, eccleſiã, & ſingula eccleſiæ membra Deo dilectos eſſe filios. Arbitrantur hoſtes eccleſię, fideles eſſe impios, Dei hoſtes, hæreticos, ſacrilegos, odibiles Deo, & luce indignos. Sed intelligẽt, nihil Deo charius eſſe eccleſia, utpote pro qua tradidit filium, quam & in ſponſam elegit, & conſortem regni fecit.

Ex dilectione Dei uirtutes.

Cæterùm ex hac dilectione Dei, qua ipſe nullis prouocatus noſtris meritis, ſed ſola dignatione & bonitate natiua eccleſiæ ſe coniunxit, omnes proueniunt uirtutes: illud in primis, quod mox ſequitur, ſeruaſſe eccleſiam ſermonẽ patientię. Idem Ioannes in canonica ſua: Non quòd nos, inquit, dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexit nos, &c. Ergo cum obſeruatio ſermonis patientiæ ueluti cauſa dilectionis ſubijcitur, religioſe exponendum eſt: gratiæ quidem eſſe Dei fauorem & omnia noſtra dona, ſed eundem tamen ex eadem gratia ueluti rependere præmium pro noſtris laboribus. Qua re ſancti non eleuantur, ſed humiles gratiam ubique & in omnib. agnoſcunt & prædicant.

Sermo patientiæ quis.

Rurſus uerò laudat perſeuerantiam fidelium in uera pietate. Seruaſti, inquit, ſermonẽ patientiæ meæ. Sermo patientiæ, eſt euangelium ſalutis æternæ: quod aliàs appellatur à Paulo ſermo crucis, duplici ratione. Principiò, quia crucem & patientiam Chriſti, qua ſeruati ſumus, deſcribit. Deinde ſuadet & nobis ferre crucem, & patienter compati Chriſto. Matth. 16. 2. Timoth. 2. Nec eſt quòd quiſquam expectet ullam perſeuerantiam ab impatiente. Dominus ait, In patientia ueſtra poſsidebitis animas ueſtras. Lucę 21. Seruauit itaque uel paſtor uel eccleſia Philadelphienſis ſermonem patientię, retinendo uidelicet in corde patientiam Chriſti per fidem, & exerendo patiẽtiam in dictis uel ſermonib. ſuſtinendis q; uartijs in corpore laboribus. Quæ quidem optima ratio eſt ſeruãdi integras eccleſias, & ſingulos fidelium. Seruent illi inquam ſermonem patientiæ Chriſti, & reliquum committant Domino.

Hora tentationis.

Sequitur enim: Seruabo & ego te uiciſsim ab hora tentationis, &c. Hora tentationis duplici ratione exponitur. Vel enim loquitur de hæreſib. & hæreticis, quorum loquẽtia, uerſipelli aſtutia, improbitate & impoſtura tentatur fides, ſimplicitas & integritas fidelium. De qua re multis agit Dominus Deut. 13. cap. Vel certè loquitur de perſequutionib. quas intulerunt Imperatores Romani, inter quos Traianus princeps potẽtiſsimus grauia edicta promulgauit contra Chriſtianos. Meminit eorum & Plinius epiſtolarum lib. 10. epiſt. 101. Seruauit autem Chriſtus Philadelphien. eccleſiam, & ſeruat hodie

hodie quoq; fideles per uerbum & potentiàm ſuam in periculis hæreticorum & hæreſium,deniq; & perſequutionum:ita ut fideles firmi perſtent in controuerſijs,nihil alieni à uerbo Dei recipiant ab hæreticis,ſic etiam in perſequutionib.nõ cedant. Efficit nonnunquam Chriſtus,ut moles perſequutionũ minus graui pondere premat.Simus ergo ſemper conſtantes in uerbo Dei,permittamus defenſionem domino Deo noſtro. Is nõ negliget nos,&c.

Quoniam uerò in tentationib.afflictionibusq; nonunquã carni noſtræ uidetur Dominus tardare nimiũ,& ferè ſuos negligere:dicimus enim, *Es wirt aber mengem gůten gſellen zůlang oder zů ſpadt*:prœoccupat Dominus,& addit, Ecce uenio citò.Citò inquã, id eſt maturè: nõ nimis tardè, neq; prœproperè. Id quod nos dicimus, *nitt zefrů, noch ze ſpadt, ſunder åben recht*. Si ergo uidebitur Dominus tardare,ne deſperaueris:ueniet enim maturè ſatis, quãdo illi fuerit uiſum.Noli tu ei prœſcribere modum & rationem liberandi. Lege quæ huius generis pulcherrima & ſaluberrima ſcripſit beatus Paulus in fine capitis decimi ad Hebræos,ubi & locus ex 2. cap.Abac.citatur. *Maturè ſuccurrit Dominus.*

Iam uerò paucis,ſed euidentiſ.uerbis hortatur ad perſeuerantiam in pietate,in qua excelluerant hactenus.Duo autem dicit, Tene (κράτει) firmiter retine quod habes.Habebat euangelium Chriſti,adeoq; uerbum uitæ æternę,fidem ueram, & pietatem.Hæc iubet firmiter retinere,adeoq; perſtare in ſemel recepta religione.Dum autẽ illud quod habebant,retinere mandat,obiter innuit,non nouam aut aliam eſſe expectandam doctrinã: ſed ſemel acceptã ſufficere. Ne itaq; cogitemus in eccleſiæ gubernatione de alijs legibus,de alia traditione,quàm de Euangelio Ieſu Chriſti.Sufficit hoc eccleſiæ.Deinde ueluti à damno argumentans,dicit:Ideo diligenter inuigilandum,& fortiter retinẽdum euangelium,quia hoc ſublato corona tua ſpoliatus es. Corona, uictoriæ & uirtutis eſt ſignum.Nos dicimus, *der eeren krantz*. Victores,& imperio digni, coronãtur.Coronam perdit uirgo,quæ corrumpitur. Tollunt ergo hæretici, pſeudoprophetæ & ſeductores coronam,quando ſeducũt & corrumpunt.Proinde dicit Dominus:Honorem & gloriam conſequuta es, uide ne quis tibi præripiat. Sic legimus & Paulum loquutum Coloſſ.2.Nemo palmam uobis intercipiat. Apud Ezech.in cap.18 teſtatur Dominus,ſe iuſtitiam non reputaturũ iuſto,ſi iuſtitiam reliquerit. Oremus ergo, ut ſemper in uerbo Domini perſeuerare poſsimus. *Behallt was du haſt.*

Pergit enumerare præmia maxima.

CONCIO XIX.

QVi uicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei,& nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum. Qui habet aurem,audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs.

Pergit Dominus noſter multo maiora enumerare præmia, quæ dare uelit uincentibus:ſic autẽ attemperat ſermonem ſuum, ut facilè intelligamus, hanc promiſsionem non pertinere ad unam Philadelphien.eccleſiam, ſed ad omnes in toto orbe eccleſias, imò & ad ſingulos fideles. Quod autem ſæpe iam repetiuimus (non enim pudet me repetitionis,cum uideam ipſum Dominum ita urgere uictoriam) iterum inculcamus, non pugnantibus leuiter aut negligenter illa promitti (pugnant enim quidã,ſed mox fugiunt) ſed uincentib.& perſeuerantibus in finem. Eſt enim uita noſtra militia ſuper terram:quod & Iob eſt confeſſus.Miles certum habet propoſitum hoſtes uincendi.Hoſtes noſtri ſunt, Sathan,Mundus,Caro.Contra hos pugnandũ eſt acriter: nec alio propoſito,quàm ut uincamus.Armaturam fidelium deſcripſit apoſtolus Epheſ.6. In uictoria ſpectant ſancti ſinceritatem,integritatemq;, ne quid perdamus ueritatis agnitæ: ſed retineamus ſermonem Dei purum,fidem ſinceram, & corpora animasq; noſtras conſeruemus ab omni pollutione mundas,idq; in finem uſq; uitæ. *Militia & uictoria Chriſtianorum.*

Mos erigendarum columnarum.

Præmia ampliſsima proponit promiſsione. Hac alludit ad morem Græcorum ac Romanorum, qui bene meritis de repub. decernebant ſtatuas, quib. etiam uirtutes inſcribebant eorum, quorum gratia uel in curia, uel foro, uel locis alijs erigebantur. Videbantur hac ratione poſteris ueluti per manus tradere maiorum gloriam, quam item ita ueluti æternam reddebant. Alioqui uarius eſt uſus uocabuli Columna. Ieremias appellatur columna à Deo, propter conſtantiam. Apoſtoli primarij appellantur à Paulo ad Galat 2. columnæ, propter præſtantiam, & quòd his niterẽtur eccleſiæ propter ueritatis præconium. Eccleſia quoq; ipſa uocatur columna & baſis ueritatis, eo quòd innitatur in firmã petram Chriſtum. In templo Solomonis ſtabant duæ colũnæ, æterni regni Chriſti, & ſanctæ eccleſiæ typi. In præſenti ponitur columna pro homine, gloria & decore illuſtri. Non enim dicit, quòd columnam uelit erigere homini pio: ſed ipſum, inquit, faciam columnam, id eſt ipſum ornabo honoribus & gloria perpetua.

Colũna inſcripturis.

1. Timoth. 3.

Columna ponitur in templo.

Vbi uerò ſtatuetur hęc columna? ubi erit celebris ſanctorum gloria? Non in curia, aut in foro: ſed in templo Dei mei. Eſt autem templum Dei, ipſum cœlum, & ſancta in orbe noſtro eccleſia. Glorioſus ergo erit hic in eccleſia ſanctorum, cùm militanti tum triumphanti. Licet ergo in mundo hoc malè audiant uerè pij, peribit tamen hic mundus, regnabit in ſecula Chriſtus, regnabunt cum eo ſancti. Gloria ipſorum permanebit in ſecula ſeculorum. Quod uerò dicit, Dei mei, exponit Aretas, & ait: Dictum hoc Dei mei, non tollit diuinam naturam, quæ in Chriſto conſpicitur, ſed conſubſtantialitatẽ, ut ita dicã, aſtruit. Nam in diſſolubilem eſſe unionem duarum, quæ in Domini Ieſu perſona ſunt, naturarum, diuinitatis inquam, & humanitatis, etiam quoad intellectum, tamen incõfuſe, demonſtrat. Mutuò quippe ſibi familiariter correſpondent, ob aſſumptionem humanæ naturæ, humanis diuinæ, itemq; diuinis proprietatibus humanæ, &c.

Stabilis gloria.

Præterea ſignificatur perpetuitas & ſtabilitas gloriæ beatorum, adeoq; & fidelium, cum adijcitur, Et foras non egredietur amplius. Nam deijciuntur & confringũtur non rarò columnæ, peritq; gloria ſemel parta. Chriſtus autem promittit uincentib. fore ut nunquam eijciantur è cœtu ſanctorum, neque unquam fidelium gloria ſit obſcuranda. Hæc hactenus de columna ipſa.

Inſcriptio columnæ.

Sequitur de inſcriptione columnæ, qualis ea ſit futura. Tria potiſsimum inſcribuntur ſanctis, nomen uidelicet Dei, nomen item ciuitatis Dei, & nomen Dei uel Chriſti nouum. Quæ ordine excutiemus. Principiò inſcribitur pijs nomen Dei, id eſt ipſi appellantur nomine Dei, ac ſunt filij Dei, atq; hæredes. Quod multis oſtenditur, Ioan. 1. & ad Rom. 8. Quid autem glorioſius excogitaueris, quàm eſſe & dici filium non Regis aut Cæſaris, ſed æterni Dei? At hanc inſignem gratiam concedit Dominus uincentibus. 1. Ioan. 3. & 5. cap. Deinde uincentibus inſcribitur nomen ciuitatis Dei: id eſt, ipſe pius inſcribitur in album ciuium ciuitatis Dei, adeoque eſt ille ciuis ciuitatis Dei, theopoleos inquam. Magnum fuit quondam, eſſe ciuem Romanum: longè maius eſt, ciuem eſſe ciuitatis Dei. Ciues gaudent & fruuntur omnibus priuilegijs & utilitatibus, gloria denique ciuitatis. Eſt autem hæc ingens, atque adeò maior quàm ut paucis exponi poſsit.

Vincentes ſunt filij Dei.

Vincentes ſunt ciues ciuitatis Dei.

Eccleſia qualis ſit, deſcribitur.

Eccleſia uerò, eſt ciuitas Dei: & ciuitas Dei, eſt eccleſia. Quæ hic tribus ornatur epithetis aut attributis, ex quibus facile eſt iudicare, quid ſit Eccleſia, aut quid de ipſa ſentiamus. Eccleſia eſt ciuitas Dei. Vt enim ciuitas, eſt cœtus ciuium: ita eccleſia eſt communio ſanctorum. Horum princeps eſt Chriſtus, caput eccleſiæ. Typum geſsit huius urbis ipſe orbis, ipſaque conſtructio caſtrorum, in quorum medio uiſebatur tabernaculum, ſymbolum numinis præſentis. *hatt ſinen eignen rauch vnder inen gehept,* tanquam conciuis, &c. Eſt enim Dominus in medio eccleſiæ. Quod legimus Leuit. 26. & 2. Corin. 6. Deinde Eccleſia appellatur noua Hieruſalem. uetus enim typum prætulit nouæ. Corporalis hæc eccleſia eſt Ieruſalem noua, id eſt ſpiritualis: quod & Paulus aſſerit Galat. 4. Etenim tertio loco exponitur illa nouitas. Non eſt extructa ab hominibus, ſed cœlitùs, deſcendit è cœlo. Niſi enim renaſcamur deſuper, ex ſpiritu & ſemine immortali uerbo Dei, non poſſumus eſſe membra eccleſiæ. Naſcimur autem ſpirituali generatione, filij Chriſti & eccleſiæ. De qua Dominus ipſe copioſe diſſeruit, Ioan. 3. Petrus 1. Pet.

1.

ſ. Paulus 1. Corinth. 3. 4. Dicetur amplius de noua Hieruſalem in fine huius libri. Intelligis autem ex his, quid ſit Eccleſia Chriſti, cœtus fidelium, regenitorum uerbo Dei, & cæt.

Poſtremò inſcribitur uincentibus nomen nouum, & nomen quidem illud Chriſti nouum: non tantum ut appellentur Chriſtiani à Chriſto, ſed quia nomen breuis eſt rei & naturæ cuiuſque deſcriptio, & nomen promittitur nouum: conſequens eſt ut intelligamus innouandos fore homines, maximè per clarificationem. Promittit ergo clarificationem pijs. De qua aliàs dicitur Matthæi decimo ſeptimo, 1. Corinth. 15. Philipp. 3. & 1. Ioan. 3. capitib. Hæc ſcilicet, ampliſsima ſanè præmia expectent ſancti, ſi pugnauerint ut uincant. *Vincentes cõ ſequuntur nomen nouum.*

Attexitur ſolitum epiphonema, quo & doctrina hæc applicatur uel communicatur omnibus per orbem eccleſijs: ac demonſtratur, non profectam eſſe ab hominibus ueluti uanam, ſed ab ipſo Dei ſpiritu ueraciſsimo. Hunc largiatur nobis Dominus.

Vituperat grauiter Eccleſiam Laodicenam Dominus.

CONCIO XX.

ET angelo Laodicenſium eccleſiæ ſcribe: Hęc dicit Amen, teſtis ille fidelis & uerus, principium creaturæ Dei. Noui opera tua, quia neque frigidus es, neque feruidus. Vtinam frigidus eſſes; aut feruidus. Itaque quoniam tepidus es, & nec frigidus nec feruidus, incipiam te euomere ex ore meo. Quia dicis: Diues ſum & ditatus ſum, & nullius egeo: & neſcis quòd tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, ac nudus.

Septima & ultima Chriſti Domini epiſtola, ſcriptore Ioanne, ad epiſcopum ſcribitur Laodicenum. Ea eſt grauis uituperatio illius gentis, nulla in re laudabilis: & nihilominus fidelis admonitio uel adhortatio ad pœnitentiam. More autẽ ſibi ſolito ſignificat, ad quos ſcribat, & à quo proficiſcatur epiſtola. Inſcribitur epiſtola à Chriſto Laodiceno epiſcopo, adeoque toti eccleſiæ. Ergo de Laodicenis aliquid dicendum, unde rectius reliqua intelligantur & æſtimentur. *Argumentum epiſtolæ ad Laodicenos.*

Laodicea Cariæ primaria urbs, Straboni & Plinio ad Lycum ponitur. Conditor eius fuit Antiochus Theos, qui uxoris nomen ei impoſuit. fuit Aſiæ opulẽtiſs. ciuitas: quod & Vad. annotauit in Epitome. Habuit ex uellere & lanificio uberrimum quæſtum. His uidetur etiam Paulus prædicauiſſe euangelium. Nã Laodiceæ meminit, ex qua etiam 1. ad Timoth. quibuſdam uidetur ſcripſiſſe epiſtolam. Certè euangelium recepiſſe Laodicenos apparet, uel ex hac epiſtola, ſed impurè. Conabantur enim eccleſiæ commiſcere mundũ, & coniungere Chriſtum & mãmona: & ut hodie dicitur, *woltend gůte Chriſten ſin, doch iren gwerben on ſchaden.* Ergo nõ deponebant auaritiã, negotiationem immoderatam, & circunſcribentem (moderatè citra impoſturam negotiari, nulla prohibet pietas) luxum & ſuperbiam, neque ullis ſe rebus indigere, ſed omnia habere & uidere ſibi uidebantur, quòd eſſent diuites. Contra hos grauiter inuehitur Dominus, demonſtrans illos prorſus eſſe miſeros, & plus quàm egenos atque adeò mendicos. Nam ut in Philadelphien. eccleſia nihil uituperauit, ita in hac nihil prorſus commendat. *Laodicea. Coloſ. 4. Peccatum Laodicen.*

Similes hodie multos inuenias, quibus uulgare eſt, & ſemper in ore: Simul & euangelicus eſſe, & militare, potare, ſcortari, & genio indulgere didici. Inuenias eccleſias ſimiles, ſeruientes Chriſto ſimul & mãmonæ uel negociationi, Baccho, Veneri & Marti. Pariter hæ & iſti omnes hic cõfutantur, & uocantur ad pœnitentiã. Id quod arguit, maximam eſſe Dei miſericordiam, non deſerentis aut reijcientis tam corruptas eccleſias, & homines tanta fœditate fœtentes. Væ illis qui hanc immenſam Dei bonitatem & longanimitatem contemnunt, & in ſceleribus ſuis pergunt. *Laodicea typus multarum hodie eccleſiarum.*

Descriptio Christi. Copiosissimè rursus describitur hic Christus, quis sit, ut & in superioribus titulis. Certè ex omnib. colligere licebit, hanc esse optimam & absolutam Christi descriptionem, ut aliunde, ex humanis uidelicet, nihil sit necesse mendicare. Nouo se insignit nomine, & appellat ὁ Ἀμήν, ille Amen. Vox illa Hebraica est, & in euãgelistis, Ioanne potissimum, decantatissima. S. Paulus in 2. ad Corinth. 1. cap. Dei filius Christus, inquit, qui inter uos per nos prædicatus est, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit etiam & non, sed etiã per ipsum fuit. Quotquot enim sunt promissiones Dei, per ipsum sunt etiam, & per ipsum sunt Amen, Deo ad gloriã per nos, &c. Quinimò ipsum se exponit Dominus, cur appellauerit se illum Amen. Quia, inquit, sum ὁ μάρτυς, ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, ille testis, ille inquam fidus aut fidelis, aut constans & uerax, uel uerus. Christus enim datus est nobis à patre, ut testificetur de uolũtate Dei patris. Testimonium autem eius, quod ipse non semel repetit in Euangelio Ioannis, firmum, constans, certum & uerum est, nihil habens falsi aut dubij, inconstantiæque. Hæc autem mirè congruunt huic argumento, quo arguit Laodicenos peccati, & adhortatur ad pœnitentiam. Graue est carni, audire huiusmodi doctrinam: sed ubi intelligitur certitudo, firmitas aut ueritas docentis, commouet ferè non omnino deiectas & desperatas mentes.

Christus Amẽ, quomodo.

Principiũ creaturæ Dei. Addit & aliud, quod dignitatem suam exponit. Nam appellat se principium creaturæ Dei. Nec est ut hinc ullum sibi patrocinium Ariani petant. Neque enim decet uno alí quo loco, nedum uerbulo, totam subuertere scripturam, pugnareque cum articulis symboli, uiua apostolorum traditione. Christus Dominus consideratur secundum diuinitatem, & secundum humanitatem. Secundum diuinitatem, principium nõ habet, sed est potius principium (actiuè, ut dici solet, non passiuè) omnium rerum creaturarumque. nec ipse est creatura: nam per ipsum creata sunt omnia. Id quod Euangelicæ & apostolicæ scripturæ probãt, Ioan. 1. Colos. 1. Hebræis 1. ubi habes locos huius unius interpretes. Secundum humanitatem dicitur principium creaturæ Dei (nimirum hominis, qui creatura per excellentiam appellatur, & quòd sit creaturæ Dominus, propter quem creata sunt omnia) sicuti dicitur primogenitus ex mortuis. In Christo enim reparatum est genus hominum, ut non perierit: in uultum Christi sui respexit Deus, cum primum condidit hominem. Christus enim principium, id est conseruator est humanæ naturæ: ut aliàs copiosè dictum est. Hactenus habuimus descriptionem Christi, qui dicitur Amen & principium creaturę Dei, per quem uidelicet creata sunt omnia, qui est Deus uerus & uerax, diuinæ uoluntatis Dei testis, &c.

Narrat iam ecclesiæ, quid de ipsa sentiat, & qualis sit: id est, uituperat ipsam. Sicut autem singulis superiorib. inculcauit, se nouisse omnia earum: ita huic quoque. In primis autem indicat, se nouisse de ecclesia Laodicena, & peculiariter de episcopo eius, quòd neque frigidus sit, neque calidus. Addit, Vtinam (ὄφελον) utilius esset (*weger wer es, du werest kallt, oder aber warm*) si frigidus omnino, aut prorsus calidus esses: iam uerò tepidus es. Allegoria à cibo hominum, uel à frigida, calida aut tepida aqua petitur, & prouerbialiter ferè applicatur. Frigidus est, qui mundum ex professo sequitur, erroribus gentilitijs & peccatis mundanis inuolutus, nihil iactat, aut habere uideri uult cõmercij cum uera religione. Calidus aut feruidus est, cuius pectus incensum à spiritu sancto, mundum contemnit, ueram religionem amat eximiè, & uitam uiuit sanctam. Tepidus est, qui nec mundum, errores atque peccata deseruit, neque plenè Christum, ueritatem & iustitiã recepit, sed partim mundo seruit, partim Christo: in externis Christianum se esse ostendit, uisitando cœtus sacros, percipiendo sacramenta, sed interius à mundo sic est obsessus, ut uitam uiuat mundanam potius quàm Christianam. Temperaturam huiusmodi non approbat Dominus, qui alibi uetat arare in boue & asino, & uestem contexere ex lana & lino: uetus uinum infundere nouis utribus, & nouum pãnum assuere uesti ueteri.

Frigidus.

Calidus.

Tepidus.

Lucæ 5.

Mixtura et cõpositio ex corrupto & integro. In religionibus & ritibus minus potest probari Deo illa leuitas & mixtura. Inuenias enim, qui commisceant religiones uarias, & ex multis unam aliquam componant. Mahumed ex Iudaismo & Christianismo suam religionem composuit. Hodie multi ex papismo & euangelio coquunt *chucbernillis*, ut uocant Germani ex uarijs leguminibus. Si

Papista

papiſta cultum iſtum uideat, non agnoſcit pro ſuo: ſi euangelicus uideat, nec is pro ſuo agnoſcit. Mixtio enim eſt ex integro & corrupto, ubi integrum nullã amplius uim, corruptum maiorem ferè habet. Tales ſunt Miſſæ hodie multis uſurpatæ, nec prorſus papiſticæ, nec omnino euangelicæ. Cœna enim Domini in eis non apparet: Miſſa quoque papiſtica in ipſis acciſa eſt, & inuerſa. Si credimus, Chriſtum optimam tradidiſſe uiuendi & cultus formam, quare non unicum illum magiſtrum ſequimur? Sed pluris facimus hominum gratiam, quam amittere nolumus. neque enim gratiam Chriſti facimus tanti, ut in memoriam illud Apoſtoli reuocemus, Si hominib. placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. *Galat. 1.*

Audi uerò, quid compoſitorib. iſtis dicat Dominus: Satius eſſet, inquit, te uel frigidũ eſſe, uel feruidum. Satius eſſet te uel peccatorem aut gentilem eſſe, quàm hypocritam & mixtum. Facilius enim medicari tibi poſſet. iuxta illud Domini: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatũ. Nunc cum uidemini uobis ipſis iuſti & ſatis inſtructi, pijs & Deo placentibus cultibus, nullum ceditis locum eruditioni: ſed uerbum & inſtitutum Dei contemnendo, ueſtras mixturas præfertis omnibus iuſtificationibus Dei. In euãgelio quoque ait Dominus ad Phariſæos: Amen dico uobis, quòd publicani & meretrices præcedunt uos in regnum Dei. Matthæi 21. Alterum membrum ſatis clarum eſt, præſtare ſi feruerent, nimirum ſpiritu Dei, quod requirit apoſtolus Roman. 12. cap. *Ioan. 9.*

Porrò pœnam edicit, ſi pergant, ita ut cœperunt, eſſe tepidi: μέλλω σε ἐμέσαι, futurum eſt ut euonam te, ex ore meo: *das ich dich vß minem mund ſpüwen wirt.* Significantur duo hac loquutione: & faſtidium, quod Deus concipit ex tepiditate: & reiectio, qua punit eandem. Aqua tepida prolicit uomitum. Quò alluſum apparet, ut & ad ueterem illam loquutionem terra euomuit Chananæos, & eadem euomet etiam uos. Componiſtæ ergo, & temperatura uel ferruminatio eorum Deo ita diſplicent, ut & faſtidium ei ingerant, abominationi ſint, & abdicet eos. Idem intelligimus de ijs qui Chriſtum coniungunt, & mammona. Obſeruanda loquutio, οὕτως ὅτι, nunc quia, uel ſic quoniam, Germanicè, *alſo dieweyl du lau biſt, oder, nun ſo du lau biſt, &c.* Notatur longanimitas quoq; Dei, quæ non protinus infert malum, niſi nulla uſpiam appareat emendatio. *Euomit tepidos Dominus.*

Plenius exponit peccatum Laodicenſium, & quæ ſit cauſa tepiditatis eorum: quia amant diuitias, quibus fidunt, putantes ſibi deeſſe nihil: arbitrantur ſe eſſe ſapientes, & uidere omnia, ſatisq; inſtructos eſſe reb. ſpiritualibus & temporalibus. Minus eſt, cum dicunt, Diuites ſumus. maius quod ſequitur, Ditatus ſum: id eſt tantas cõſequutus ſum opes, ut nullius egeam. *Diuitiæ infelices.*

Id iam confutat, & oſtendit ipſos falli prorſus, homines que eſſe deploratos. Nam grauiter uituperat eos, ac dicit, Ignoras te talem eſſe, qualis es. Ea ignorantia, eſt ingens malum, & origo deſperatæ cæcitatis, *wenn einer wol wãnt, vnd aber nüt iſt.* Tales enim perſeuerant in errore ſuo, nec admittunt cõſultorem. Dicit ergo Dominus, Ignoras quòd tu es ταλαίπωρος, miſer, ærũnoſus, malis fatigatus & attritus, *arbeitſelig vnd mitt ellend beladen.* Multis etenim laborib. defatigantur, mundo huic ſeruientes. καὶ ἐλεεινὸς, & miſerabilis. Tu non uides tuam miſeriam: alij qui uident, dolent, *vnd du erbarmſt ſy, das du ſo ellend biſt.* Loquutio hæc ſignificat extremè deploratum eſſe, ac miſerũ, cuius miſeriã alij uident, ipſe nihil uidet. καὶ πτωχὸς, pauper uel mendicus. Arbitraris te eſſe diuitẽ, ſed prorſus es mẽdicus, *biſt gar ein bättler.* Auari diuites, pauperes ſunt: uirtutib. quoque pauperes ſunt. Cæcus fuit Laodicen. populus, ſicuti cæci appellantur phariſęi Ioan. cap. 9. Lynceus in mũdanis rebus, Tireſias in cœleſtibus. Nudus, uel nudatus bonis operib. nudus ueſte nuptiali. Splendidè alioqui erant tecti uellere præſtantiſs. ſed coram Deo apparebant nudi. Hæc obſeruent oculati, & egregiè ueſtiti huius ſeculi homines, uel pauones potius. Dominus det intellectum. *Vituperatio grauis.*

Dat

Dat ſalubre conſilium Dominus Laodicenſibus, admonens ut agant pœnitentiam.

CONCIO XXI.

SVadeo tibi emere à me aurum ignitum ex igni, ut locupleſ fias: & ueſtimenta alba, ut induaris, ne appareat dedecus nuditatis tuæ: & collyrio inũge oculos tuos, ut uideas. Ego quoſcunque amo, arguo & caſtigo. Aemulare ergo, ac reſipiſce.

Salubre conſilium. Quoniam Deus mortem peccatoris non uult, ſed magis ut cõuertatur & uiuat: ideo poſt acrem obiurgationem Laodicenſis eccleſiæ, ſufficit ei conſiliũ ſalubre, admonẽs & adhortans eam ad pœnitentiam, ſimulque adumbrat, quæ ſit uera pœnitentia.

Suadeo tibi. Suadendi, non imperandi uerbo utitur Dominus, quo illorum retundat inſaniam, qui niſi uiolenter trahantur, non arbitrantur ſe à Domino admonitos, tractos uel uocatos. Talem autem tractum dum expectant, omne Dei cõſilium negligunt, & uera excidunt ſalute. Deus ſuadet ſuis electis ea quæ ſunt ſalutaria: electi bonis obſequuntur conſilijs. Deus intus tangit corda, & foris prædicatione uerbi uarijsque admonitionib. trahit impellitq; hominem à malo ad bonum. Hoc Dei conſiliũ non eſt aſpernandum, & alia imaginanda uocatio uiolenta. Audiendum Dei uerbum: Hodie, inquit propheta, ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Cum ſuadet Dominus uerbo ſuo, & auditores indurant mentes, ſua id culpa faciunt, authoresq; ſuæ perniciei fiunt. Qui autem conſilium Dei admittunt, id quidem non ex uirib. liberi arbitrij admittunt, ſed ex gratia Dei, quæ operatur in nobis uelle & perficere. Ergo cum ſuadet Dominus ſalutaria, orant ſancti ut recipere ea poſsint: & per gratiam recipiunt, obſequentes Dei conſilijs.

Summa ſalutaris conſilij. Summa uerò ſalutaris conſilij hæc eſt: Eme à me (inquit Dominus) aurum in igne probatum, ut diteſcas, ueſtem tibi compares, & collyrium oculis inungendis acquiras. Opponit hæc ceu medicamentum morbis, quos ſuperius aperuit, appellans Laodicenſium eccleſiam mendicam, nudam & cæcam. Iam ergo docet quomodo diteſcant, ueſtiantur, & oculos ſeu uiſum recipiant, ſi aurum uidelicet ignitum uel excoctum aut purgatum ſibi parent.

Aurum ignitum. Aurum uerò ignitum ex igne, uel in igne, eſt aurum purgatiſsimũ mundatiſsimumque, nihil habens ſordium aut metalli, ſed purum putum aurum. Per hoc adumbratur uerbum Dei, de quo propheta cecinit: Eloquia Domini, eloquia pura, argentum igne examinatum, in catino terreo purgatum ſepties. Equidem uerbum Dei lux eſt, proficiſcens ex luce æterna & puriſsima, nihil habens admixtum humanarum ſordium aut affectuum, nullos errores ſpirans, nihil corrupti docens. Per ſe autem nihil profuerit homini, niſi uera & ſincera fide recipiatur. Fidem ergo non ſeparamus à uerbo, & ideo auro dicimus ſimul ſignificari ſinceram & puram fidem. De qua Petrus dixit, fide purgari corda noſtra. Quanquam enim in nobis ſint ſordes & infirmitates, fides tamen propter ſubiectum cui incumbit, purgatiſsima eſt. Verbum promiſsionis, adeoq; Chriſtus ipſe eſt obiectum fidei, qui eſt ipſiſsima puritas. Proinde dum ſuadet Dominus, ut Laodicenſis eccleſia emat aurum ignitum, ſuadet ut uerbum Dei audiat, & huic uerè credat. Nam emendi uocabulo utitur Dominus pro recipiendi, audiendi & obſequendi.

Emendi uocabulum quomodo uſurpetur. Nemo enim imaginabitur, coram Deo eſſe contractum ſicuti apud homines: quaſi pecunia poſsint comparari dona Dei ſpiritualia. Repugnat hoc toti ſcripturæ, & in primis definitioni S. Petri aduerſus Simonem magum pronũciatæ. Noſtram uerò illam interpretationem approbat Iſaias in cap. 55. ubi inter alia: Venite, inquit, emite abſque pecunia, & ſine precio aut commutatione. Et mox: Audiẽdo me audite, inclinate aurem ueſtram, &c. Nihil ergo præſidij hinc habet Romanus Chananæus, id eſt Papa, magnus ille mercator, qui omnia uendit in eccleſia, etiam ea quæ non habet, impoſtorum maximus.

mus. Huc accedit, quòd ut in Isaia disertè exprimitur, à quo sint emendæ gratiæ uel dona: ita hic quoq; Christus expressè dicit, Suadeo tibi emere, à me. en A me, inquit: nõ à Papa, à monachis, aut sacrificulis. Solus enim Christus habet ea, quæ postulare possumus. Solus exatiat, solus dona illa largitur. Ideoq; in Euangelio Ioannis dicit: Si quis esurit aut sitit, ueniat ad me: ad me, inquam, ueniat. Ioan. 4, 6, 7. Et Petrus ait: Ad quem ibimus? Tu habes uerba uitæ æternæ. quasi dicat: Si uiuere uolumus, ad alium ire non possumus, quàm ad te. Tu es uita & fons omnium bonorum.

Vsus & fructus auri puri puti.

Quis porrò est usus & fructus huius auri igniti, purgatissimi, uerbi inquam ueritatis diuinæ, & fidei puræ? Triplex est usus. principiò, ut ditescas: deinde, ut uestem tibi cõpares: & postremò, ut collyrium tibi emas pro curanda oculorum cæcitate. Etenim uerbum Dei, & fides in ipsum, fundamentum est pietatis ueræ. Sine uerbo & fide nihil est integrum.

Veræ opes fidelium.

Primus fructus, est opulentia, nimirum spiritualis. Verbum enim, & fides, non est imaginatio falsa, & somnium inane rerum præstantissimarum. Qui enim credit uerbo, sentit in animo gaudium, fruitur spiritualibus donis: Christumq; possidens, per fidem omne bonum possidet. Vnde & Apostolus 1. Corint. 1. dixit: Gratias ago Deo meo semper de uobis, propter gratiam Dei quæ data est uobis in Christo Iesu, quia in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone & in omni cognitione (quemadmodum testimonium Christi confirmatum est in uobis) adeò ut uos non destituamini in ullo dono, &c. Hæc obseruent bene, quibus uisum est ueras esse diuitias illas terrenas. Stulti hi iudicantur à sapientia Dei, sicut claret apud Lucam in cap. 12. Quinimò qui lucerna uerbi Dei destituuntur, & carent fide, nequaquam rectè & bene uti possunt diuitijs terrenis. Cœlestes ergo diuitiæ, ueræ sunt diuitiæ.

Vestis fidelium.

Secundus fructus, est operimentum & amictus decens, quo contegimur, ne appareat nostra nuditas ignominiosa. Ante lapsum fuerunt nudi parentes nostri, sed citra dedecus & erubescentiam: à lapsu erubuerunt. Quia peccatum aspergit ignominia, inopiaq; bonorum operum: ac conuersatio praua, probrosissima est nuditas. Hac infames fuerunt Laodiceni. Cæterùm Christus, qui ex uerbo ueritatis discitur, & fide uera percipitur, est uestis fidelium candida, iustitia & innocentia ipsorum. Contegit is omnes nostras maculas, abolet ignominiosam nuditatem, ornat uirtutibus omnigenis, ut honesti & decenter coram Deo in conuersatioe sancta appareamus. Christus enim est uestis nuptialis. Suadet Apostolus, ut Christum induamus, & amicti simus iustitia, temperantia, & omni bono.

Pallium diuæ uirginis.

Loci extant Rom. 13. Ephes. 4. Coloss. 3. cap. Faceßat hic pallium diuæ Virginis, sub quod colligunt ferè conscleratos & impœnitentes. Non contegit tales purissima uirgo. Amat iusticiam & pœnitentiam.

Visus redditur.

Postremò paratur hoc auro collyrium, quod est pharmacum oculorum, contra cæcitatem à medicis adhibitum ægrotis oculis, lippientibusq; Mandatum Domini, ait Dauid, repurgatum est, illuminans oculos. Fides quoque rectè informat iudicium hominis, ut sanctè iudicemus de uirtutibus & uitijs. Inopia uerbi Dei & fidei ueræ, inducit cæcitatem.

His ergo omnibus suadet Dominus, ut Laodicenses requirant uerbum Dei, & credant uerè. Ita enim futurum, ut omnibus spiritualibus donis locupletati, conuersationem habeant in ecclesia puram, Christum possideant, & de rebus omnibus salutis rectè iudicent. Atque in his quoque uersatur uera pœnitentia: in remissione peccatorum, & emendatione uitæ, &c.

Obiurgat & castigat Dominus, quos diligit.

Porrò ne dicerent, Frustra hæc audimus, ut qui prius audiuimus nos euomendos fore ex ore Domini: sed & tam acriter sumus impetiti durioribus uerbis & sententijs, ut desperare cogamur: præoccupat illud, & ait: Ego quoscunque amo, ἐλέγχω καὶ παιδεύω, *die bschelck vnd züchtigen ich*. Prius uerbum significat in apertum protrahere & redarguere, id quod uerbis fit acrioribus: posterius refertur ad disciplinam, qua pueri ferula in disciplina retinentur, ne sibi excidant per petulantiam. Alludens ergo Dominus ad Solomonis uerba in Prouerb. 3. cap. significat, acrem increpationem aut castigationem seuerio-

rem

riorem non ſemper eſſe argumentum irati Dei, ſed frequentiſsimè placati & amantis nos. Ex amore ergo prius uos acrius corripui, inquit, ac ita ueſtram ſalutem quæſiui. Proinde nunc quoque ſalubre ſignum eſt, ſi concionatores eccleſiam aſperis proſcindant uerbis: contrà uerò infelix ſignum eſt, ſi uulpina cauda inducatur ſcelerib. intolerandis. Amoris deniq; argumentum eſt, ſi homo uarijs exerceatur infortunijs. Id quod Apoſtolus copioſe tractat ad Hebræos cap. 12.

Zelus & pœnitentia.

Infert nunc his rei ſummam, & ait: Cum uideas Deum tantopere tuam ſalutem quærere, ne oro ſemper tepidus eſſe perrexeris. ζήλωσον, æmulare, zelum tibi ſume ardentem perſequendi & apprehendendi ſalutem tuam. Nunc enim feruorem fidei ex uerbo & ſpiritu Dei conceptum opponit tepiditati. Deinde ſubiungit, Et age pœnitentiam, deſerendo utiq; prauam tuam conuerſationem, & comparando tibi aurum à Chriſto ignitum: id eſt, probatum & purgatum, quo diteſcas, ueſtiaris cādidis, & habeas oculorum pharmacum, quo illinas oculos, ut uideas. Deo ſit gloria.

Trahit etiam his ad pœnitentiam.

CONCIO XXII.

ECce ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit uocē meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui uicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego uici & conſedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs.

Sermo allegoricus.

Etiam his trahit ad pœnitentiam Laodicenſes Dominus, oſtendens nullum nō tempus idoneum eſſe ad conuerſionem, imò Deum ſemper eſſe paratum recipiendis peccatoribus, inſtigareq; illos perpetuò ut reſipiſcant & uiuant. Hoc uerò negotium exponit ſermone allegorico & amœno, petito ex 5. cap. libri Canticorum. fingit enim Dominum ſtare ad oſtium, & pulſare, adeoq; & promittere aperientibus familiaritatem maximam, & gaudia ineffabilia.

Dei benignitas in recipiendis peccatoribus.

Principiò ergo exponitur Dei erga peccatores beneuolentia, ſemperq; ad recipiendum illos paratiſsima uoluntas, imò indefeſſum ſtudium impellendi homines ad pœnitentiam ut uiuant. Stat enim ad oſtium Dominus, & pulſat. Standi uerbum ſignificat, Deum ſemper eſſe accinctum, ſemper inuigilare ipſum ſaluti noſtræ. Non enim ſedet quietus, aut iacet ignauus: ſtat operi omnino intentus. Et Sto quidem dicit, non ſteti, aut ſtabo: ſed ſto ſemper paratus, ſemper benignus. Quid facit? Pulſat, & ad oſtiū quidem, cupiens intromitti. Sicut enim oſtium pulſitans ſeriò, intromitti cupit, ita Deus ſeriò cupit recipi à nobis. Sunt autem pulſandi modi uarij. Commonet enim, & excitat uerbo ſuo per prophetas, rurſus oſtentis uel prodigijs, uarijs item caſibus & impulſionibus. Videre hæc licet in urbe Hieroſolymorum. Mittit his prophetas & apoſtolos.

Quomodo pulſat Dominus.

Edit uaria oſtenta. Caſus triſtes immittit, ut admoneant: quales referuntur Lucæ 13. de Galilæis, & ijs quos turris Siloe oppreſſerat. Idem hodie uidere licet, quomodo pulſet Dominus noſter. Verè ergo dicit, Hieruſalem Hieruſalem, &c. Matth. 23. Hæc ſcilicet Dei partes ſunt, qui non uult mori peccatorem, ſed potius conuerti & uiuere.

Noſtrū eſt audire & aperire.

Deinde uidendum, quid requiratur à nobis, nimirum ut pulſantis crepitum & clamores audiamus, ſed & aperiamus & recipiamus ingredi cupientes. Confutantur hic, qui de homine ut trunco loquuntur, & modum trahendi neſcio qualem imaginantur, dicentes: Non eſt currentis, neque uolentis, &c. Quidam omnino à bene operando ceſſant, dicentes: Si electus ſum, ſatis eſt. Scriptura autem requirit ubique auditum uel auſcultationem, obedientiamq́ue. Scimus electos tantum ſaluari, electos auté in Chriſto: in Chriſto eſſe, qui credunt: fidem ex auditu eſſe, auditum per uerbum Dei. Audiendum ergo uerbum Dei. Ideo propheta, Hodie ſi uocem eius audieritis, &c. Citatur hoc ab Apoſtolo ad Hebræos 4. Apoſtolus quoq; 2. Timot. 2. In magna domo non tantum

ſunt

sunt aurea, sed & fictilia uasa. Si quis purgarit se, &c. Ideoque Dominus dicit, Ego pulso: tuum fuerit, pulsantem non spernere, sed ei aperire. Et duo quidem commemorat, audire, quod & Ioan. 8 & 10. requiritur à filijs Dei, & ueris ouibus: & aperire, id est recipere Dominum, uel credere, obsequi, se Dei uoluntati attemperare, & agere pœnitentiam. Cauendū tamē hic est, ne putemus homini ex seipso uires esse recipiēdi Dominū. Dominus illuminat suos electos, & per illū omnia possumus, sine quo nihil possumus. Loci alij cū hoc sunt cōferēdi, ut Ioā. 15. 2. Cor. 3. Philip. 2. Qui ergo aperiūt, ex gratia Dei aperiūt: qui nō aperiūt, suis peccatis impliciti, & sua culpa, nulla Dei culpa nō aperiunt.

Quid consequantur aperientes.

Audiamus porrò quid Dominus promittat aperientibus, id est uera fide recipientibus Christum. Duo potissimum promittit ipsis Dominus. Principiò: Ingrediar ad illum, ait. Significat scriptura, ubique Christum per fidem inhabitare corda fidelium, & nexu arctissimo eis coniungi. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hæc dicuntur à Domino Ioan. 6. in 14. cap. dicit, Qui diligit me, sermonem meum seruabit: ac pater meus & ego ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Paulus ait, se non uiuere iam, sed uiuere in ipso Christum. Idem asserit, per fidem inhabitare Christum cordibus fidelium. Ita uerò intrat Dominus corda intro mittentium ipsum. In hac coniunctione est felicitatis pars nō minima. Nam uniri cum Deo, est beatitudo, quæ hic incipit, in alia absoluitur uita. Ideoque secundo loco dicit Dominus: Et cœnabo cum illo, & ipse mecum. Quo nō tantum arctissimam iterum familiaritatem & amicitiam notat (est enim mēsa consecrata amicitiæ) sed magis perfruitionem æternæ gloriæ. Significantur enim per cœnam, deliciæ cœlestes, maximæ & ineffabiles, quas secundum animas à morte mox percipiunt pij: sed plenius in fine tē porum, resurgentibus corporib. Ideo nō prandio, sed cœnę cōfertur, sicuti & Lucę 14. Ergo si receperimus Christū, habebimus illū nobis perpetuò inhabitātem, dū uixerimus in hoc seculo, in futuro perfruemur plenè omnibus gaudijs cœlestibus. Hęc uera sunt & certa. Alioqui nulla erunt in futura uita cōuiuia luxuriosa, qualia imaginantur Turcæ.

Thronus Dei paratus est pœnitentibus.

Subiungit & aliam uniuersalem promissionem, qua adhortatur & perpellit ad studium pietatis, uel ad ueram pœnitentiam. Nam uincenti promittitur regnum cœleste. Vincenti autem (de quo superius dixi in alijs epistolis) dicit, non fugienti aut molli, &c. Proponit etiam exemplum uictoris Christi. Vincēdum enim nobis, sicut ipse uicit. ipse quidem uicit perfectissimè: nos pro modulo nostro, pugnamus & uincimus. adeoque uera uictoria in nobis est uiua Christi uirtus: id est, per ipsum uincunt, quicunque uincunt. Sicut autem ipse superata morte, deuicto mundo & sathana, ascendit in cœlos, & consedit ad dexteram patris: ita pollicetur nobis quoque uincētibus, quòd thronum uelit concedere patris: non quidem ut in dextera Dei considentes, iudicemus super omnem carnem, Christi facti: sed ut æternæ gloriæ participes facti, absolutiq́e ab omni iudicio, in gloria appareamus, cum ipse uenerit iudicare uiuos & mortuos. Similis legitur promissio facta discipulis Matth. 19. & Lucæ 22. Tam uerò certò hæc gloria nobis obueniet, quàm uerè ipse Christus Dominus in cœlos ascendit, & in gloria cœlesti consedit.

Diuinitas Christi.

Obseruandum autem in præsenti, quod singulare est, Christum hic dare, quod negat se Matth. 20. dare posse Iacobo & Ioanni, considere in gloria cœlesti. Hic ergo locus illū exponit. Christus enim secundum diuinitatem dat, quod secundū humanitatē se dare negat. Euincit ergo hic locus, Christum uerum esse Deum, datorem uitæ eternæ, &c.

Adijcit rursus ex more suo epiphonema, quo hanc epistolam omnibus applicat ecclesijs, & asserit inspiratam esse à spiritu Christi. De quo antea.

Summa.

Hactenus uerò tractauimus secūdam partē huius Operis, in qua explicata sunt præstantissima nostræ religionis capita, quis & qualis sit Christus, sedens in gloria patris, quomodo prę̄sens adsit ecclesiæ suæ, ipsamq́; gubernet rex & sacerdos, per spiritū suū, per uerbum suum & sacramenta. Quid item & qualis sit ecclesia Christi: quæ uera & orthodoxa ecclesiæ doctrina: quæ dogmata praua, quid agendum cū prauis doctrinis & seductoribus: quomodo reparari possit collapsa & afflicta ecclesia: quę uera pœnitentia, & quæ piorum officia, & huius generis alia plurima. Deo patri sit laus, grātiarum actio & gloria, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Visio secunda exhibetur Ioanni, in qua uidet Deum in throno cum senioribus, quem eleganter describit.

CONCIO XXIII.

CAP. IIII.

POST hęc uidi, & ecce ostium apertum in cœlo, & uox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicēs: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu. Et ecce thronus positus erat in cœlo, & super thronum sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidi iaspidi & sardio: & iris erat circum thronum, similis aspectu smaragdo. Et in circuitu throni sedilia uiginti quatuor, & super sedilia uidi uiginti quatuor seniores sedentes, circumamictos stolis albis, & habebant in capitib. suis coronas aureas.

Tertia pars huius Operis, ab initio cap. 4. ad principium usq; cap. 12 pertingit, & cōtinet memorabilem & saluberrimam multiq; fructus uisionem. Prima uisio, quam tertio cap. explicatam audiuimus, exhibet typum Christi & ecclesiæ eius, & quomodo in hac regnet Dominus, quomodo item se gerat, aut gerere debeat ecclesia. Secunda uisione exponit Ioannes, quomodo æquissima & sanctissima gubernatione gubernet omnia Deus per Christum, quæ ecclesiæ eueniunt & inferuntur in mundo & à mundo. In his commemorantur ecclesiæ fata tristissima, calamitates, pestes, clades, fames, persequutiones, defectiones, hæreses, certamina, & huius generis alia grauissima mala, &c. Quis item & qualis & quàm iustus sit Deus, æquus & sanctus in omnibus suis iudicijs describitur: quòd author sit uniuersi, quòd per Christi administrationem sapientissimā & optimam gubernat omnia Deus: quòd ipsum & sancti angeli quoq; & omnes creaturæ agnoscant, & Deo dent gloriam. Ita enim docet nos quoq; in omnibus operibus, atque adeò in ipsis grauib. calamitatibus & persequutionibus, de quibus porrò prophetabit, prouidentiam bonamq; Dei uoluntatem erga nos, & iustissimam eius gubernationem agnoscere. Hoc si fecerimus tranquillis mentibus, etiam grauissima onera patienter portabimus: desinemus curiosis quæstionib. interrogare, quare Deus Antichristum oriri, adolescere & regnare, cultum Dei & sanctos Dei opprimere sinat? Cessabit item istorum murmur blasphemum, qui non uerentur dicere, Deus quidem Dominus est, omnipotens est, facit quæcunque uult, & prout uult. Dominus enim est: nos serui, imò deiectiores sumus seruis. Cogimur ferre quæ ille imposuerit. *Ich můß wol, er hat gůt ze machen, es hilfft kein ynred.* Quasi uerò Deus iniustus, & tyrannico terrore horribilis, pro libidine carnali imperitet. Turpissimum est ista uel cogitare, nedum proloqui. Visio hæc demonstrabit, Deum prouidentia sua gubernare omnia, & eundem iustum esse in omnibus uijs suis, & sanctum in omnibus operibus suis.

Argumentum secundæ uisionis.

Finis huius uisionis.

Præparatio ad hanc uisionem.

Ab initio autem præparatur Ioannes ad percipiendam hanc uisionem, immò & nos præparamur in ipso. Cum enim uidisset apertum in cœlo patère ostium, audit simul, Ascende huc, &c. Ineffabile quidem beneficium est, quòd Dominus miseris nobis mortalibus aperit cœlum, & quid in ipso fiat aut ipse faciat, qualia eius opera ac iudicia sint erga homines, inspicere sinit. Nemo posthac dixerit, Deū in cœlo quæ uelit facere, præteritis nobis qui in terris repimus, quibusque patiundū sit etiam quod nolimus. Nunc enim ueluti rationem reddit operū suorum, & securus de causa te admittit spectatorem.

Subleuanda mens.

Voce aūt planè diuina, quid agat, Ioannes, & quomodo se gerat, exponit. Iubet Christus ascendere Ioannem in supercœlestia, non corpore quidem, sed animo. Subleuanda ergo mens nostra in contēplationē cœlestium, purganda quantū fieri potest à terrenis affectibus, ut cœlestia cœlesti cōtemplatione intueamur. Quid quòd mox sequitur exemplum Ioannis, Et statim fui in spiritu: id est, in spirituali contemplatione, aut spiritu raptus

ptus in consideratione fidelem eorum quæ mihi obijciebantur.

Iam etiam texitur argumentum dicendorum: Ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Nam post typum Dei, omnia iustè per Christũ dispensantis aut gubernantis, mox fata ecclesiæ exponuntur per septem sigilla & septem tubas, quibus ubiq; intertexuntur consolationes maximæ & efficacissimæ. *Summa dicendorum.*

Principiò autem sigillis & tubis præmittitur typus Dei, & iustissimi eius iudicij & gubernationis in omnibus: idq; per caput 4, & 5 integrum, ut præparet nos ad lectionem uel auscultationem eorum quæ sequentur cap. 6.7.8. ac cæteris, & iudicio humano uidentur alioqui grauia, dura, iniqua. Typus autem uel uisio talis exhibetur. In cœlo ipso apparet solium seu thronus augustalis. in hoc sedens, dextera tenet librum, sigillis obsignatum. sedenti coniunctus est agnus, qui librum accipit, & sigilla libri aperit. Ex throno autem hoc procedit etiam septiformis spiritus, mirificè uirtutes suas exerens. Ante thronum apparet mare uitreum, perspicuum, adeoq; crystallinum. Thronus ipse incumbit, ceu uehiculo, quatuor animalibus oculatis & alatis, infernè circumcirca prominentibus, & ambientibus aut circundantibus thronum. Hunc obit aut claudit ceu limbus, iris smaragdina. Circum thronum per circulum apparent 24 sedilia, & in his sedentes seniores coronati, & candidis amicti. Hæc est uisionis huius secundæ dispositio. Suo loco dicetur quid agnus, quid animalia, senes & reliquæ partes fecerint. Satis est nunc, comprehendisse spectri uel uisionis potissima capita, summariamq; adumbrationem. *Typus Dei omnia iustè operantis.* *Summa uisionis, ac dispositio eius uniuersalis.*

Deinde quid singula significarint uidendum est. Inde enim dependet bona pars mysterij totius. Quod genus attinet uisionis, nihil noui adfert Ioannes ex reuelatione Christi. Huiusmodi enim uisiones ferè exhibitas legimus & prophetis, ut Isaiæ 6. cap. Ezechieli 1 & 11. cap. Danieli 7. cap. &c. Significat autem Thronus imperatoriã maiestatem, & iudiciariam administrationem. Et quoniam thronus non est in terris, sed uidetur in cœlo: cogitabimus, prouidentiam administrationemq; iudiciorum Dei esse cœlestem, integram, sanctissimam, & ab omni corruptione alienissimam. Est autẽ super hũc thronum sedens, sedens inquam, non iacens, aut stans. Nam iudex uniuersorum Deus tranquillo est animo, nec ullis hominum instar affectibus perturbatur. Nulla hic in administratione uniuersorum cogitanda affectio, iniuria, iniusticia. Elihu apud Iob in cap. 34. ait: Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta uias singulorum retribuet eis. Verè enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium, &c. Admonet autem Aretas Cæsarien. interpres uetus, studiò non attributam esse sedenti in solio humanam figuram. Licet enim postea fiat mentio dextræ librum tenentis, attamen hic nulla exhibetur forma hominis. Sed & sedens simpliciter dicit, nomen ipsi nullum indit. Caussa in promptu est: Quia Deus sua natura definiri non potest, utpote inuisibilis & immensus: more quidem hominũ attribuuntur ei humana membra, sed explicanda per tropum. Præterea cum Deus ille idem populo Israelitico appareret in Sina, uocem tantum audierũt, nullam speciem uiderunt Israelitæ. Quod Moses testatur cap. Deut. 4. certè ne imagine incomprehensibilem exprimerent, & admitterent idololatriam, scelus grande. Paulus negat Act. 17. numen simile esse figmento hominum. Ad Romanos stultitiæ maximæ tribuit simulachra, formata ad imaginem hominum, quæ debeant repræsentare Deum. De quare aliàs. Interea duo commemorantur lapides precioſi, qui suis coloribus Dei nostri naturam utcunque adumbrent, & pios rerum maiorum aut excellentium admoneant. Iaspis, lapis uiridis est. Viror uel uiriditas perpetuitatem Dei significat, quodq; ille uiuificat, ac in uita omnia conseruat. Sardius uerò colore igneo rubet & rutilat. nam Deus inhabitat lucem inaccessam: idem est ignis consumens, adde & ipsa charitas. De lapidibus legatur Plinius, &c. *Visio & antè sæpe exhibita.* *Thronus.* *Sedens in throno.* *Nulla figura humana repræsentatur Deus.*

Cæterùm iris concludit ambiendo thronum. Iris ferè uarij est coloris: hic autẽ unius est coloris, & smaragdini quidem, uiridis utique. Iris symbolum est perpetuæ gratiæ, fœderisq; pacti à diluuio, sicuti exponitur Geneſis cap. 9. Et thronus quidem supremi iudicis horrorem poterat incutere miseris nobis mortalibus: admonet ergo iris gratiæ *Iris smaragdina.*

diuinæ,& quòd fœdere se Deus ille qui prouidentia sua gubernat omnia humano constrinxerit generi,cui utiq; bene uelit. Viret illud fœdus,& ualet semper. iugis est Dei bonitas erga homines. Vt enim cœlũ ruat,& ex throno hoc grauissima procedant fulmina, & instar nimbi irruant calamitates: Deus tamẽ fœderatus est nobis,& nos amat impẽse.

Viginti quatuor seniores in sedilibus.

Circum thronum posita conspiciuntur sedilia 24,& in eis cõsident 24 senes. ceu amplissimi regni Dei senatores, & cœlestis hierarchiæ patres. Conficitur hic numerus ex 12 & 12. Cæterùm 12 patriarchæ significant uniuersum Israelem adeoque ueterem ante Christum ecclesiam. A' duodecim Apostolis plantata est, & exorta ecclesia Christiana, post incarnationem Christi, unde duodenarius ille numerus comprehendit totam noui populi ecclesiam. Significatur ergo tota sanctorum uniuersitas, in cœlo collecta,& triumphans cum rege Christo. Ideoque albis uel candidis sunt uestiti, utiq; purgati per Christum, puriq; ab omni corruptela. Coronati etiam, quia uicerunt,& iam regnant in æterna gloria, uerè reges & sacerdotes per Christum. Habitus autem ipsorum descriptio admonet, nihil in illis desiderari, sed uerè beatos esse: ideoque & sedentes ostẽdun tur, non quòd iudices sint, aut iudicent pro Christo, sed quia requiescunt iam à laboribus tranquillisque & purgatissimis sunt affectibus, assessores summi iudicis. Quid autem hi faciunt? Non ullum Deo suppeditant consilium, quid agat, aut qua ratione uel modo agat, hoc uel illud agat, sed iudicia eius approbant. Sciunt enim omnia eius opera esse iusta & sancta. Id quod mox sequetur. Quid ergo nos faciemus? An æquũ fuerit nos inquirere in iudicia Dei, aut præscribere quid faciat, uel non faciat? Non puto. Habes in hac uniuersitate sanctorum omnes patriarchas omnes iudices & reges, omnes principes,& totum Dei populum: habes in his ipsum Solomonem,& præstantissimos sapientissimosq; orbis proceres: habes apostolos, uiros apostolicos, martyres,& uniuersi mũdi sapientes. An his præiudicabis? Sequendo ergo ipsorum exemplum, noli curiosas nectere quæstiones: lauda iusta Dei iudicia, & agnosce iustum esse Dominũ in omnibus uijs suis,& sanctum in omnibus operibus suis. Ipsi gloria.

Describitur processio sancti spiritus, & operatio, omniscientia Dei, & quomodo à quatuor animantibus uehatur aut sustineatur thronus Dei, & quid agant animalia.

CONCIO XXIIII.

ET de throno procedebant fulgura & tonitrua,& uoces,& septem lampades ignis ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Et in cõspectu throni mare uitreum, simile crystallo. Et in medio throni, & in circuitu throni quatuor animalia, plena oculis antè & retrò. Et animal primum simile leoni,& secundum animal simile uitulo, tertium animal habens faciem instar hominis, & quartũ animal simile aquilæ uolanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas in circuitu,& intus plena erant oculis. Et requiem non habent die & nocte, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens: qui erat, & qui est,& qui uenturus est.

Scopus & finis primæ partis huius uisionis.

Dominus noster Iesus Christus. tanquam fidelis pastor suæ ecclesiæ, dicturus est fata & ingentes calamitates superuenturas ecclesiæ. ergo ut obstrueret os murmurãtibus & inquirentibus in Dei iudicia, omnibusq; persuaderet patientiam in hisce malorum tempestatibus, præmittit tractationem, qua ostendit omnia fieri aut permitti à Deo iustissima eius prouidentia, gubernariq; uel administrari per agnũ, iudicio æquissimo & sanctissimo. Hoc enim qui credit ac tenet, in quibuslibet casibus supplex & humilis

&

& obsequens se Deo suo subijcit,& semper clamat,Iustus est Dominus in omnibus uijs suis,& sanctus in omnibus operibus suis.Atque hic est uerissimus status primæ partis huius uisionis,quę absoluitur cap. 4. & 5.elegantissima insuper, iucundissima, & consolatione plenissima est.Viuidius omnia proponuntur & perspiciuntur in huiusmodi idoneis & cœlestibus simulachris,quàm in nudis intelligantur uerbis.

Principiò commemoratur thronus,& cœlestis quidem thronus,ne quid in operibus, in prouidentia & iudicijs Dei carnale & corruptum cogitemus.Deinde insidens throno,repræsentatur nobis duobus coloribus,uiridi & rubro. Est enim Deus æterna essentia, omnibus uirorem uel esse conferens. Idem ardet amore erga genus hominum,& bene uult homini: inobsequentibus autem ac rebellibus est ignis consumens.Ambit uerò thronum iris gramine uiridior, consolans nos,ne consternemur ad contemplationem throni diuini, sed meminerimus semper eum qui iudex & gubernator omnium in throno sedet,ueracissimũ esse, ac seruare promissa: esse illum confœderatũ nostrum. Circumcingunt thronum uiginti quatuor seniores,qui hactenus quales sint, designati & quasi adumbrati sunt:mox in fine cap.4. & in 5 dicetur quid faciant,aut quid loquantur.Spectatores certè iudiciorum & operum Dei sunt omnes sancti in cœlis. Non enim talia sunt iudicia Dei,quæ lucem & cognitionem sanctorum refugiant. *Anacephaleosis.*

Sequitur iam,Ex throno procedebant fulgura,&c.In throno est sedens & agnus,id est,pater & filius,ex utroq; procedit & spiritus sanctus. Nam per interpretationẽ mox sequitur,Quæ sunt septem spiritus Dei. Fulgura enim,tonitrua,& alia commemorata, significant,uel symbola sunt sancti spiritus:qui alibi etiam per ignem & aquam & uentum,& per linguas igneas legitur fuisse adũbratus.Cæterùm nemo existimabit,spiritũ sanctum,qui unus est substantia, & simplicis naturæ diuinæ, in septem esse discerpendum particulas.Monui enim in cap.1. septem Dei spiritus poni pro septiformi, plenissimo & perfectissimo spiritu Dei. *Symbola sancti spiritus.*

Habemus in huius uisionis principio totum Trinitatis adorandę mysterium,quantum satis est nobis scire & credere & profiteri. Vnus est thronus, uno in throno continentur sedens agnus & spiritus:una itaq; est diuina essentia & natura, una est eius potentia & maiestas,unum imperium, quia unus thronus: breuiter unus est Deus, uerus & æternus,in secula benedictus:sicut & Moses Deut.6. & omnes prophetæ & apostoli ubique docuerunt. Cæterùm in hac unica & indiuisa substantia cernitur apertissima personarum distinctio.Est enim in throno sedens,& agnus,& ab utroque procedit spiritus sanctus.Hoc trinitatis mysterium confitemur in symbolo. Relucet hoc palàm in incarnatione Domini,dum angelus uirgini dicit,Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi:& quod ex te nascetur,filius Dei uocabitur. Similiter in baptismo Christi auditur uox cœlitùs super Domino:Hic est filius meus dilectus.Apparet item specie columbæ spiritus sanctus. Vnde & nos præcepit baptisari Dominus in nomine patris & filij & spiritus sancti. Hæc professio uera est & certa,scripturis apertissimis & uiua prædicatione apostolorũ sic tradita:sicut & Tertullianus cõtra hæreticum Praxeam demonstrat.His potius credendum & inhærendum est,quàm prodigiosis & blasphemis Hispanicis Serueti corruptissimi hominis sophisticationibus. *Sancta Trinitas.*

Singulariter uerò explicatur hic nobis totum spiritus sancti mysterium, & paucis quidem uerbis,quod copiosius enarratur in Euangelio secundum Ioannem. Principiò notatur eius processio,quam quidem olim nullis tradi scripturis temerè asseruerunt.Ioannes hic:De throno,inquit,procedebãt fulgura,&c.Et mox:Quæ sunt septem spiritus Dei.Græcis autem ἐκπόρευσις significat processionem,uel emanationem. At Ioannes hic dicit,ἐκπορεύοντο,procedebant,emanabant. Ideoq; rectè definit uetus illa Constantinopolitana synodus, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον: id est,Et(credo)in spiritum sanctum dominum,illum uiuificatorem,ex patre procedentem,&c.Quoniam uerò Dominus ipse de spiritu sancto loquens in Euangelio dicit,Ipse me glorificabit:quia de meo accipiet,& annunciabit uobis. Omnia quæcunque habet pater,mea sunt:propterea dixi, quòd de meo accipiet, & annunciabit uobis:nemo intelliget spiritum à patre duntaxat,nõ etiam à filio procedere,de quo etiam *De spiritu sancto. Processio.*

diu inter Græcos & Latinos est concertatum. Si enim à patre procedit, à filio etiam procedit. Ideo enim & in præsenti à throno legitur procedere. At in throno non tantum sedens est, sed & agnus. De quo cap. 5. subijcietur, habere agnum oculos septem, qui sint septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Quanquã ergo Ioannis 15 dicatur spiritus procedere à patre: præmittitur tamen, Quem ego (ait filius) mittam uobis à patre. Et iterum: Quem mittet pater nomine meo. Breuiter: Si una est patris & filij substantia & natura, non uideo quomodo spiritus possit à patre procedere, ut non etiam procedat à filio. Sinamus illas potius scrupulosas disputationes ingenijs ociosis: credamus nos, spiritum procedere ab utroque.

Effectus et operatio spiritus.

Præterea uirtus uel effectus & operatio sancti spiritus hic quoq; typis egregiè proponitur & explicatur. Principiò enim fulgurat, quando obsequentes illuminat, & rebelles territat minis grauissimis. Deinde tonat, cum inuehitur in sceleratum mundum, & arguit ipsum de peccatis, detonans horrenda Dei iudicia. Duo apostoli in Marco appellantur filij tonitrui, uel tonantes, *Donnerer*. Præterea edit uoces salutiferas doctrinæ, adhortationis & consolationis, per homines, in gratiam hominum. Postremò cum inexplicabilis propemodum sit effectus sancti spiritus, septenario tamen numero comprehendit aut absoluit eius plenitudinem, & ait, ardere ante thronum septem lampades ardentes, ardentes inquam, non extinctas, aut fumantes. Illustris est enim & efficax gratia sancti spiritus, de qua antea quoq; dictum est. Hæc autem cum in throno inueniantur, quomodo uerisimile cuiquam uideatur, iudicia inde profecta, ulla sui parte esse corrupta, contaminata aut uituperanda? Spiritu sancto conseruantur omnia, & eius prouidentia fiunt omnia.

Mare uitreũ.

His accedit aliud, mare ante thronum uitreum, referẽs crystallum limpiditate & perspicuitate. Significatur his mundus fragilis, qui subiectus est Deo, & ueluti in conspectu eius. Et aliàs quidem in scripturis sanctis propter instabilitatem, ac æstus fragoresq;, typum gerit huius mundi uarij & inconstantissimi. Et uitro quidem est fragilior huius mundi status. Sequetur huius aliquid in cap. 15. At quæcunq; fiunt in mundo mira uarietate, ea omnia ceu in speculo relucent ante thronũ, ut illa omnia ceu in crystallo uideat Deus: cuius oculos uel scientiam, ne minutissima quidem fugiunt. Ne itaq; existimauerimus, ea quæ in mundo fiunt, temerè fieri, & fortuna quadam præter scientiam Dei accidere, aut nesciri à Deo.

Throni plenior descriptio.

Redit post hæc iterum ad thronum, ut quem semel describere cœperat, porrò absoluat: simul & ostendat, opera Dei omnia quę fiunt per creaturas suas esse sanctissima. Solent autem solia uel tribunalia aut throni regum sustentari & ornari animantibus, sicuti solium Solomonis leonibus: quod uidere licet 3. Reg. 10. Alibi principum currus triumphales animantia præstantiora trahũt. Ad hunc ergo modum per anthropologiam animantia throno Dei adiunguntur. Deus enim in prophetis uehitur super Cherubim,

Cherubin.

id est, curru suo diuino. Et Cherubin apertè nominat Ezech. in cap. 10. animalia. Ac contextus totus euincit, intelligendum locum de curru Dei, tracto per animalia, quo ipse ex urbe Hierosolymorum euectus est. Multa est apud poetas curruum deorum mẽtio, fortè à primis scriptoribus petita ex sacris literis. Satanas enim, Dei simius semper, conatur infamare uerbum ueritatis. Nos omissis poëtarum nugis, considerabimus sobriam uehiculi huius, uel Dei aut diuini potius throni descriptionem. Insidet Deus omnipotens huic throno. Sessio in scripturis, est gubernatio. Significatur ergo, Deum insidere creaturis omnibus: id est, creaturas suas gubernare, & omnia sapientissima sua prouidẽtia in omnibus agere, usurpando quamuis creaturam pro bona & iusta sua uoluntate secundum cuiusque naturam. Dicemus autem, per animantia illa omnem Dei creaturam intelligi, dispersam per quatuor mundi plagas: hoc est, toto orbe comprehensam.

Insidet animalibus Deus.

Vbi in throno fuerint animalia.

Primùm autem indicatur, quo loco in throno fuerint animantia illa: nimirũ in medio throni, & in circuitu throni. Rogas, Si in throno, quomodo circum thronum? Si circum thronum, quomodo in medio throni? Res ita cõcipienda est, sicuti & prius monuimus, ut intelligamus, sub throno media animantia inferiori sui parte in medium throni introrsum pertigisse, & thronum ita ueluti sustentasse: superiori autem parte, pectorib.

rib.inquam & capitib. alisq; prominuisse,ac ita ambiuisse thronum,uelutiq; circundedisse. Ita enim in medio eiusdē throni fuisse,& in eiusdem circuitu apparere potuerūt.

Qualia fuerint animalia.

Deinde animantia ipsa qualia fuerint,diligēter describitur. Numero fuerūt quatuor: quia & olim idem numerus ab Ezechiele expressus est: & cardines orbis per quaternarium numerū pulchrè denotantur,uniuersitatē rerum cōprehendentes. Alij finxerunt hic quatuor orbis monarchias, &c. Singula suas habuere facies,& sua corpora, alas senas,easq; plenas intus oculis,sicuti & corpora ipsorū plena fuerunt oculis. Primū referebat specie & figura leonem,secundū uerò uitulū,tertium hominem,quartū autem aquilam uolātem. Significari his uidentur omnes creaturę,uisibiles inuisibiles,rationales & irrationales,& quidē excellentiores. Nā postea in 5.cap. audiemus,omnes creaturas cōiūctas unanimiter agnū,& in throno sedentē cōcelebrare. Et quidē omnib. utitur Deus: Sole,luna,stellis,aēre,igne,animantibus,breuiter omnibus. Quas uerò delegerit creaturas,ut aliquid per ipsas exequatur, eas efficit efficaces,quasuis instruens pro sua ratione & conditione,ne quid eis desit prudentiæ,rationis,roboris,uirtutis,tolerantiæ,laboris,pernicitatis uel celeritatis. Humana facies sapientiā & prudentiā significat, ut & oculi prospicientiā,uigilantiā,astutiā, & agendi felicitatē. Leonina facies robur & fortitudinem,animositatē deniq; denotat: ut bouis aut uituli aspectus tolerantiam laboris: pernicitatē aquila & alæ senæ. Exempli gratia: Delegit sibi Deus Assyrios uel Babylonios,qui Niniuē destruant. Hos ergo,sicut apud Nahū extat, præparauit & instruxit Dominus ut essent aquilis uelociores. Et reliqua quæ legis Nahum cap.1 & 2. Sic autem sunt omnes creaturæ ministri iudiciorum Dei,prodeuntes ex hoc tribunali.

Quid agant animalia.

Deinde attingitur etiam,quid agāt animalia illa. Circundāt thronum,semper pręsto lantes Dei imperiū,ut hoc capessant alacriter,celeriter, fortiter. Neq; uerò requiem habent (en Habent inquit, non habebūt,aut habuerūt, sed habent) ullam: id est,sunt in opere Dei perpetuò. Nō est autē quòd hic intelligamus,molestia affici illa. Sed & perpetua laude celebrant Deum omnipotētem. Aretas: Non laboriosum, inquit,aliquid significat,Et requiem non habent,sed continuum tenorē circa diuinę laudis concentū,&c.

Hymnus animalium, & quid hinc dissendū sit.

Postremò ponitur etiā forma hymni & laudis omniū creaturarū. Olim Dauid quoq; cecinit: Laudate illum sol & luna,&c. Hymnus idē ponitur Isaiæ 6. Quid autē celebrāt in Deo creaturæ omnes, quarū opera utitur Deus, & cuius uim & operationem ipsæ sentiunt? Sanctitatem in primis. Hæc maximè ad summā rei pertinent. Docent enim, Deum esse sanctum,impollutū,iustum,optimum,omnipotentem, omniagentē, æternum,principium rerū,& conseruatorē. Dicunt enim, Sanctus dominus Deus omnipotens,qui erat,&c. Quæ quidē uerba exposuimus cap.1. Quis inde non colligat,sancta & iustissima esse eius opera & iudicia? Quis ergo posthac iudicia & opera Domini uituperauerit? Iustus est Dominus in omnibus uijs suis,& sanctus in omnib. operib. suis. Testimonium hoc omniū creaturarū spōtaneos, promptos, alacres & securos nos reddit, ut libēter acquiescamus in iudicijs Dei, ne ulla in re obloquamur Deo, cur hoc aut illud faciat? sed simpliciter nos subijciamus Deo, credentes omnia illius opera bona esse,& fieri in utilitatem piorū,& in iustissimū impiorum supplicium. Sanctus est Deus pater,sanctus est Deus filius, sanctus est Deus spiritussanctus,sanct' est unus & trinus Deus, adorandus in secula. Sancta sunt omnia opera eius,& impollutæ uiæ eius. Rectius aūt ter legimus Sanctus,quàm nonies ex exemplo Complutensi. Nam priorem lectionē approbat Isaias. Deo omnipotenti sit laus & gloria.

Exponitur quid egerint circum thronum seniores, & quomodo cecinerint Deo panegyricum.

CONCIO XXV.

ET cum dederint animalia illa gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum,uiuenti in secula seculorum, procidunt uigintiquatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorant uiuentem in secula seculorum: & abiciūt coronas suas ante thronum,dicentes: Dignus es Domine

& Deus noſter, accipere gloriam & honorem & potentiam. Quia tu creaſti omnia, & per uoluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.

Fructus uiſionis huius. Viſio hæc diuiniſsima rectè intellecta, & fideli mente repoſita, informat nos rectè in operibus Dei ritè dijudicandis, ut ſimus timentes Dei, patientes, totosq; nos Deo ſubijciamus, eiq́ue omnẽ demus gloriam. Hic enim eſt ipſiſsimus, qui ad nos redit, fructus, & omnium quæ hic dicuntur ſcopus.

Seniorum exemplum. Obiter uerò, quid animantia fecerint, repetendo ingerit: ſimul & quid 24. ſeniores fecerint, exponit. His manifeſtè erudimur, quid nos quoque Deo debeamus, & quid iudicemus de eius operibus, & quomodo in his nos erga ipſum geramus.

Animalia illa, id eſt creaturarum uniuerſitas, quarum opera Deus utitur, in adminiſtratione rerum, Deo ſedenti, id eſt regnanti & gubernanti omnia, Deo inquam uiuenti in ſecula, id eſt æterno, uiuo, omnibusq́ue uitam tribuenti uel inſpiranti, tria aſcribũt.

Gloria Deo debita. Principiò quidem Gloriam, δόξαν, quæ eſt maieſtas, exiſtimatio grauis, ſplendor uel opinio celebris, *die reputation, wie man ietz ſagt, der rhům, prys oder hoche achtung*: cum de Deo magnificè ſentimus, profitentes nihil illo eſſe maius, melius, illuſtrius, iuſtius, ſanctius, & omnino præſtantius. Hanc gloriam illi ſemper dare iubemur, atq́ue Deo nihil habere in orbe charius & precioſius.

Honor Deo debitus. Deinde dant Deo honorem, τιμὴν. Significat autem τιμὴ honorem & precium, adeoq́ue debitum officiumq́ue quod alicui debemus. Deo debemus reuerentiam & ſubiectionem, utpote ſupremo bono, & Domino unico & uero uniuerſorum. Paulus Rom. 13, loquens de obedientia debita magiſtratui: Cui timorem, inquit, debetis, timorem impendite: & cui honorem, honorem.

Benedictio debita Deo. Sequitur tertio loco benedictio, quam appellauit εὐχαριστίαν, gratiarum actionem nimirum & laudem. Omnia enim opera Domini laudare, & pro ijs gratias agere iubemur. Benedixiſſe dicitur Iob Deo, pro afflictione maxima ſibi irrogata. Nam dixit: Sicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum. Hæc omnia dum animalia ſedenti ſuper throno tribuũt, ſuo exemplo nos quid faciamus inſtruunt, omnia & ſingula hæc Deo dare. Quod ſi fecerimus, ceſſabunt murmura & diſputationes inſtitutæ de operibus Dei perrimandis, & curioſitate noſtra indagandis.

Panegyricus 24. ſeniorũ. Cum panegyrico animalium coniungitur, & ſequitur hymnus & celebratio etiam 24. ſeniorum. Eſt hæc eccleſia triumphans, cœtus omnium ſanctorum patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, &c. ut ſuperius expoſui. Nõ habent hic mortales unum aut alterum exemplum ſancti alicuius, aut ſapientis: ſed omnium ſanctorum, ſapientum, piorum, illuſtriumq́; uirorum. Exuti ſunt carne, carent affectibus & erroribus: purgatiſsimis ergo ſunt iudicijs, ut non poſſint nobis exempla ſubminiſtrari clariora, purgatioraq́;. Tria de his ſenioribus, aut quatuor traduntur, quæ fecerint aut præſtiterint, non cuilibet quidem, ſed ſedenti in throno, & uiuenti in ſecula ſeculorum. Ita enim repetuntur epitheta Dei, de quibus antea dictum eſt. Diximus autem, ſedilia ſanctorũ circum thronum eſſe diſpoſita, in quib. ſederint, amicti candidis ueſtib. & coronati coronis aureis, uiuentes cum uiuente in ſecula.

Procidunt coram Deo ſenatores. Hi principiò conſurgũt ex ſuis ſedilibus, aut cathedris & ſubſellijs, procumbuntq́; (πεσοῦνται, cadunt) in genua, uel in faciem coram Deo. Cadendo autem uel procumbendo ſignificant demiſsionem uel deiectionem animi, ut diſcamus ſumma cum humilitate & reuerentia animas & corpora noſtra ſubmittere Deo noſtro, nos ipſos inquam totos & omnia noſtra bonæ eius ſubijcientes uoluntati. Quod ſi animæ beatæ & purgatæ, iamq́ue conſpectu Dei fruentes, procumbunt coram Domino: quid non faciat homo miſer, ærumnoſus, mortalis & peccator? Pudeat ipſum rebellionis & ſegniciei, qui ſubiectionem tantam cernit in animabus cœlitum nobiliſsimis & diuiniſsimis.

Adorant ſancti. Adorare & adoratio. Deinde adorant ſancti, & adorant quidem non alium, quàm in throno ſedentem, uiuentemq́ue in ſecula patrem, filium & ſpiritum ſanctum, Deum trinum & unum, æternum & omnipotentem. Adoremus ergo & nos hunc Deum, imitantes exemplũ omnium ſanctorũ. Adoramus externa adoratione Deum, ſi aperiamus capita, inclinemus genua, & procumbamus corã illo. Spiritu, ueritate & interna adoratione adorabimus, ſi toti ab ipſo pependerimus, totos nos ei cõſecrauerimus, toti in ipſum reſpexerimus,

ut

ut in unum solum immensum, sapientiss. opt. maximum, iustissimum & clementissimum. Qui autem sic procumbunt coram Dei throno, & Deum sic adorant, nihil rixantur cum Deo super operibus suis: nulla impatientia cum Deo expostulant, cur hoc faciat, & illud permittat?

Proijciunt coronas sancti.

Accedit his omnibus, quòd inter hæc detractas capitibus coronas proijciũt ante thronum, ad pedes sedentis in throno. Hæc sanè non est modestia insignis tantum, sed & exemplo carens humilitas infima. Primasius interpres Apocalypseos, Deo uidelicet assignantes, inquit, quicquid uirtutis, quicquid habeant dignitatis. Illi enim quicquid conquiritur, iure tribuitur: à quo, qui uicerit, adiuuatur. Hęc ille. Significant item, atque testantur, nolle sibi ullam usurpare potentiam diuinam, nolle se regnare, nolle se ceu Dei consiliarios Deo dare consilium, aut illi tantillum præscribere: sed omnem potentiam, imperium omne, & administrationem uniuersam, adeoq; seipsos regendos cũ tota uniuersitate gubernanda subijcere Deo. Nam experiuntur & uident neminem in orbe, in cœlo aut in terra esse sapientiorem, potentiorem, maiorem: neminem fidelius, diligentius, tutius, melius gubernare uniuersa. Acquiescamus ergo, ô fratres, sanctorũ iudicio, & consentiamus in his cum eis per omnia.

Accipere gloriam.

Quinimo differtis uerbis testantur, cur abiecerint coronas: non quòd ingrati Deo, dona sua non magnificè æstiment: sed quòd agnoscãt ingenuè illi soli omnem deberi gloriam. Ergo cum animalibus & uniuersis Dei creaturis pulchrè consentiunt, & hymnũ uel panegyricum principi summo dicentes, cõfitentur illum dignum esse accipere gloriam, &c. Accipere autem dixit, non quòd antea non habuerit: sed quòd indignissimum uideatur, si uel ipsi, uel ulla alia creatura, illa sibi uendicare uelit, quæ solius sunt Dei. *Du bist allein wärt, dich der dingen anzũnemmen, oder dich der dingen zegebruchen.* Non competunt hæc ulli creaturæ, &c. Magnificè autem prædicant Deum, quem uocant Dominum & Deum suum. Quædam exempla addunt, ὁ ἅγιος, qui scilicet sanctus es. Per omnia enim congruunt & faciunt cum animantibus, quæ & ipsa clamarunt Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens. Eidem dederunt etiam gloriam & honorem. De quibus antea. Sic eadem eidem nunc quoque tribuunt seniores. Peculiariter autem tribuunt Deo potentiã (τὴν δυνάμιν) sibi adimunt. Cur ergo diuinam potentiam & operationem tribuunt Papistæ diuis cœlitib. qui tamen hic differtè hanc soli Deo ipsimet tribuunt? Viuentes non æquis tulere animis Ioannes & Petrus, quòd uideretur populus ipsis aliquid tribuere potentiæ diuinæ. Nam cum claudum ante templum restituissent, & populus obstupuisset, dixerunt: Viri Israelitę, quid miramini super hoc? aut nos quid intuemini, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ, &c. quasi propria potẽtia aut pietate effecerimus ut hic ambularet. Deus patrum hoc fecit, &c. quanto uerò minus cogitabimus nunc quidem, dum liberati sunt omni corruptione, postulare sibi tribui diuinam potentiam, aut diuinos impendi honores? &c.

Sancti cœlites dant potentiã Deo, non sibi sumunt.

Deus cunctorum creator et seruator.

Rationem porrò addunt, aut reddunt, cur & se & omnia sua Deo subijciant, eidemq; tribuant gloriam, honorem & potentiam. Quia, inquiunt, tu creasti omnia, & per (διὰ) uoluntatem tuam sunt, & creata sunt. Ingens, adeoq; immensa est hęc Dei gloria. Quantus, inquiunt, sis, & quòd omnis tibi debetur potentia & gloria, colliquescit ex opificio aut creatione mundi uniuersi. Nemo tibi adfuit in creatione, nemo dedit consilium, quid aut quomodo faceres, nemo uel tãtillum iuuit. Quis ergo tibi in potentia accederet in participatũ? Quis gloriaretur corã te Deo omniũ conditore? Solus condidisti omnia, solus conseruas omnia, solus gubernas omnia. Voluisti, & facta sunt: dixisti, & creata sunt. Dixisse satis fuit. Voluisse satis fuit. Et quidem subsistunt omnia hodie per uoluntatem tuam, sine ulla tua molestia & labore. Gubernas omnia pulcherrimè, optimoque ordine. Testatur hoc astrorum cursus admirandus, rerum uicissitudo iucunda, fructus inde enascens suauissimus & copiosissimus. Quis ergo se & omnia sua non libenter tibi & tuæ administrationi subijceret, quis non omnia sua tibi crederet, quis non agnoscere tuam esse potentiam & gloriam? Hęc obseruemus animis attentis, ut tales coram Deo etiam appareamus, quales uidemus apparere sanctos cœlites.

Concedat hoc nobis Dominus.

De se-

De ſedente in throno, & tenente librum dextera, obſignatum ſigillis ſeptis: quid liber ille obſignatus.

CONCIO XXVI.

CAP. V. ET uidi in dextera ſedentis ſuper thronũ, librum ſcriptum intus & in tergo, obſignatum ſigillis ſeptem. Et uidi angelum fortem, prędicantem uoce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubter terrã, aperire librum, neque aſpicere illum. Et ego flebam multùm, quòd nemo dignus inuentus eſſet aperire & legere librum, nec uidere eum.

Pergit iam plenius deſcribere ſedentem in throno, cuius ſuperius quædam, & paucula quidem illa, attigerat. In his non eſt minimum huius cauſæ noſtræ momẽtum. Nam nunc demonſtrabit, quod in hac tractatione potiſsimum eſt, prouidentia Dei omnia quæ fiunt in mundo, iuſtiſsimè & ſanctiſsimè adminiſtrari per Chriſtum. Id quod omnes Dei ſancti & creaturæ agnoſcẽtes, nobis in exemplum, quod nos quoq; faciamus, laudant & celebrant uiuentem in ſecula.

Sedet in throno Deus.

Singula autem uerba expendere oportebit, cum in ſingulis ſint myſteria maxima, & nihil dicatur temerè. Et Deus quidem ille omnipotens ſedet in throno. Sedendo autem oſtenditur non tantum iudicandi, præſidendi, dominandiq; poteſtas: ſed & ſedatus animus (non perturbatus ullis iniquis affectibus, more iudicum huius ſeculi) & ſumma in rebus omnib. æquitas. Deinde liber conſpicitur in dextera ſedentis, de quo libro copioſius erit dicendum.

Liber in dextra ſedentis.

Videtur facta alluſio hic, ut aliàs ſæpe in ſcripturis, ad principes huius ſeculi, qui habent libros legum, priuilegiorũ, inſtitutionum quid agatur, ſecretorum, agendorũ denique & actorum, iudiciorum, damnatorum & ciuium, uitę & mortis. Sic enim & Deo liber & libri affingũtur. Moſes dicit Exodi 32. Dele me de libro uitæ, &c. In Pſalmis multus eſt horum librorum Dei ſermo: Pſal. 56. 69. 139. Danielis ſeptimo aperiũtur libri, quorum mentio fit & Apoc. 20. Memorialis legitur eſſe coram Deo liber, Malach. 3. Liber ergo hic Dei, omnia conſilia Dei, omnia eius opera & iudicia continet. Mox enim audiemus, ex hoc libro ueluti ex fonte prodire, quę fiunt in mundo.

Liber intus & foris ſcriptus.

Tria autem peculiariter dicuntur de hoc libro. Primum, quòd non iaceat in throno, uel in ſinu ſedentis, aut ſub throno, aut ad uel pone thronum ſit ſuſpenſus: ſed quòd ſit in dextera Dei manu. Significatur ea re operatiua Dei uirtus, & iuſtiſsima quidem illa, potentiſsimaq;. Non enim in ſiniſtra conſpicitur liber. Deus ergo operatur & continet uel adminiſtrat omnia opera & iudicia ſua ſanctiſsimè. Deinde liber ille intus & à tergo uel foris eſt ſcriptus. Prouidentia enim & iudicijs Dei cõtinentur bona pariter & mala, felicia & infelicia, aſpera & mollia, uiſibilia & inuiſibilia, aperta & arcana, deniq; omnia.

Liber obſignatus ſigillis ſeptem.

Poſtremò ſignatus eſt liber ille ſigillis ſeptem. Validiſsimè enim clauſus atque confirmatus eſt. Iudicia enim & opera Dei firma ſunt, uera, iuſta, & irrefragabilia. Sigillorum uſus uarius eſt apud homines, poteſt tamen contrahi in duo capita. Principiò apponuntur ſigilla fidei ueritatisque & iuſticiæ cauſa. Delectus habetur maximus in apponendis ſigillis. Neque enim cauſis iniquis, uanis aut falſis appenduntur. Sunt ergo ſigilla certitudinis & iuſticiæ teſtimonia. *Man gibt einem brieff vnd ſigel, das er ein eerliche ſach habe, mitt der warheit vmbgange, vnd ſiner ſach ſicher ſye.* Indignum uidetur, obſignatis obgannire literis. Significatur itaque, ſigillis libro Dei inductis, uera, firma & iuſtiſsima eſſe Dei iudicia & opera, quæcunque eius fiunt prouidentia, & per Chriſtum diſpenſantur. Turpiſsimum fuerit obloqui diuinis iudicijs, aut eius calumniari opera. Deinde ſigillis muniuntur arcana, ne pateant cuiuis, ſed illis duntaxat quibus deſtinata ſunt. Iudicia ergo & opera Dei plurima ſunt occulta, nec omnibus patent, niſi quibus deſtinauit Dominus, fidelibus

Vſus ſigillorum.

lib. scilicet, & obsequentibus. Cæterùm septẽ duntaxat sunt sigilla, quòd his plenitudo temporum, & peragendarum in his temporibus per mundum & ecclesiam rerum, iudiciorumq; Dei & mysteriorum comprehendatur. *Septem sigilla.*

Iam ergo apertio libri, & sigillorum resignatio, aliud non est, quàm reuelatio iudiciorum Dei, declaratioq; consiliorum eius occultissimorum: deniq; operatio, administratio & exequutio uoluntatis eius iustissima sanctissimaq;, *vnder dem sigel der trüw vnd warheit.* Nihil fit in illa apertione contra ueritatem, fidem, dilectionẽ, iusticiamq; Dei. *Apertio libri & sigillorum.*

Et multis quidem, necnon diligentissimè præclarissimeq; agitur de sigillorum apertione, quis uidelicet dignus uideatur aperire ecclesiæ occulta Dei iudicia, & exequi administrareq; sanctissima eius opera: id est, cui datum sit regnum & administratio diuinæ prouidentiæ. Angelus enim, nec quilibet, sed fortis & insignis quidam, intenta uoce clamat, ut nos omnes excitet ad attentionem, diligenterq; obseruemus quis ille sit, qui & librum aperiat, & sigilla soluat aut resignet. Diu uerò tenet suspensum auditorẽ, spectatorem lectoremue, priusquam illum ostendat, nimirum ut hunc nobis commendet quammaximè. Nemo, inquit, in tota rerum uniuersitate, inter sanctos cœlites, inter homines terrestres & sub ipsis terris repertus est, qui potuerit uel aperire uel resignare librum. *Quis dignus aperire librum & sigilla eius.*

Obseruemus, neminem esse qui possit aperire librum, & aperire sigilla, præter unum Christum. Cur ergo administratio rerum tribuitur aut communicatur diuis? Nemo potest nobis diuina aperire consilia & iudicia, nemo potest administrare ea quæ in mundo operatur Deus iudicia & opera, nisi unus Christus Dominus: quare itaq; tanta beneficia petuntur à diuis, & ijs accepta feruntur, si uel sanitati restituatur ægrotus, uel aliud beneficium donumq; accipiat homo mortalis? Id, inquiunt plerique, Dei quidem beneficio accepi, sed per interuentum & potentiã meritumq; huius uel illius diui, cui hoc Deus concesit, ut præsit huic morbo, & sanet inuocantes nomen diui, uel Deum per nomen diui. Refutantur hi in præsentia uerbis Domini & Ioannis, dicentis, neminem uel in cœlo uel terra repertum, qui potuerit aperire librum. Interim uerò circum thronum accumbebant 24. seniores, typum præferentes omnium sanctorum in gloria. Nemo ex his omnibus inuentus est, qui librum aperire potuerit. Longè ergo furiosiores sunt, qui administrationem rerum in ecclesia tribuunt homini corruptissimo & turpissimo Papæ. Solus Christus accepit omnem potestatẽ in cœlo & in terra: sicut mox plenius intelligemus. *Soli Christo uẽ dicatur regnũ, & administrãdi potestas adimitur alijs omnibus.*

Flet Ioannes, quòd intelligeret magnum esse momentum in apertione, lectione & resignatione libri istius diuini: & tamen cernebat neminem superesse, qui uel aperire, uel resignare posset. Nec plenè intelligebat adhuc negotium. Gessit autem typum illorum, qui non intelligunt Dei iudicia, neq; sciunt prouidentia Dei sanctè per Christum gubernari omnia. Nam in his nihil aliud remanet, quàm luctus & mœror. Certè extra Christum & apertionem eius, qua ipse nobis diuina reuelat mysteria, iudiciaq;, nemo rectè iudicauerit de ipsis. Nisi uerò intelligamus, per Christum aperiri sigilla, & eius dispẽsatione, qui dilexit nos, & tradidit se pro nobis, fieri uniuersa: quid relinquetur in nobis nisi gemitus? *Fletus Ioannis.*

Cæterùm tria commemorauit, Aperire, legere, inspicere. Nemo mortalium aperit, quia nemo dispẽsationi tãtæ par est, nisi unus Dei filius. Nemo legit uel intelligit plenè Dei iudicia, nisi filius, & cui ipse, quantũq; cuiq;, reuelauerit. Nemo inspicit, id est opera Dei & iudicia Dei intueri potest, ut non offendatur, nisi Christi sit imbutus purgatusq; spiritu. Ab illo ergo petenda gratia, ut quantum satis est iudiciorum Dei intelligamus, & piè de ipsis iudicemus.

Aretas Cæsariẽ. episcopus, huius libri interpres: Neq; quisquã, inquit, ex ijs qui carne carent, neq; ex ijs qui in carne agũt, neq; ex illis qui carne relicta abscesserũt, exactam accepit diuinarũ rerum scientiã. Et mox: Nec solum nullus est qui eum aperire possit, uerùm etiam ne aspicere quidem: hoc est, ne attentè quidẽ ad diuina iudicia aspicere. & reliqua. Ipse uerò contextus totius loci satis euincit, loqui Ioannẽ de iudicijs quidẽ: sed maximè de administratione rerum. Dominus Iesus sit glorificatus in secula, Amen.

De-

Describitur graphicè Agnus in throno Dei, accipiens librum ex manu sedentis, & aperiens.

CONCIO XXVII.

ET unus de Senioribus dicit mihi: Ne fleueris, ecce uicit leo qui est de tribu Iuda, radix Dauid, ut aperiat librum, & soluat septem sigilla eius. Et uidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio Seniorum, agnus stans tanquam occisus, habens cornua septem, & oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et uenit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.

Per Christum gubernantur omnia.

Quoniam fleuerat Ioannes, quòd nemo dignus esset uel aspicere librũ in dextera manu in throno sedentis, nedum aperire: consolatur ipsum quidam ex 24. Seniorib. Nomẽ eius non editur, unde & temerè & curiosè requiri uidetur. Sunt tamen ex interpretib. qui existiment, fuisse Iacobum patriarcham: nimirum quòd ipsius mox citatur oraculum, aut uaticinium. Ita uerò delabitur author ordine pulcherrimo ad descriptionẽ etiã filij Dei, per quem pater cœlestis, sicuti omnis ubique scriptura approbat, regit omnia. Hactenus sedentem in throno, & superius Spiritum sanctum descripsit. Salutaria ergo hæc & utilissima sunt ecclesiæ dogmata, ex quib. solidatur uera fides.

Ex cognitione Christi omnia gubernãtis, est animorũ quies.

Consolatio huius Senioris, & doctrina certè cœlestis & diuinissima in hunc finem tendit, ut intelligamus, omnes querelas, fletum, murmura & uarios animi nostri æstus non posse restingui, sedari & conquiescere, nisi uideamus & credamus, Christo (quòd hic perspicuè & clarissimè traditur) datam esse à patre omnem potestatem in cœlo & in terra: ideóque à Deo patre constitutum ut redemptorem unicum, ita etiã caput, principem & gubernatorem omnium, qui sub sigillo fidei & ueritatis omnia quę Dei prouidentia constituta sunt, gubernare debeat, & iamiam administret, & mysteria iudiciorum Dei nobis quantum satis est reuelet. Id si credamus animo sincero & firmo, tranquillis erimus conscientijs in omnibus Dei operibus, etiam duris, & à plerisque habitis pro iniquissimis. Scimus enim eum per quem gubernantur omnia, nostri esse generis, imò nostrum esse fratrem: & eum quidem, qui ex animo nobis faueat, mortem pro nobis obierit, nihil impẽsius in orbe quàm hominem diligat: præterea qui uicerit mortẽ, peccatum, diabolum & inferos, & nobis quidem uicerit. Quis porrò suspectam habuerit huius gubernationem, permissionem aut operationem? Est tibi in aula principis frater, quem certò sensisti tibi fauere ex animo: huic audis omnem potestatem iudicandi, gubernandiq; totam prouinciam esse datam, an difficili animo ei te subijcis? Quinimò nihil non speras à fratre te consequuturum.

Christo datum est regnum & potestas.

Teneamus ergo, quod non tantum hic scriptura, sed ubique inculcat, Christum Iesum Dei filium, & quidem consubstantialem nobis iuxta humanitatem, moriendo pro nobis, meruisse ut ipsi daretur nomen quod est super omne nomen, ipsiusq; gubernationi subijcerentur quæcunque sunt in mundo uisibilia & inuisibilia. Sic enim Ioan. 1. cap. testatur, Paulus quoque Philip. 2. Colos. 1. & ad Hebr. cap. 1. In præsenti uicisse dicitur, ut aperiat librum, & soluat signacula eius. Per eius ergo cognitionem, & fidem in ipsum consequimur, ut læto animo inspicere possimus librũ, iudicia & opera Dei omnia, eiusq; apertionem & gubernationem uniuersi æquissimis ferre animis, &c.

Descriptio Christi elegantissima & plenissima.

Cæterùm ut rectius iudicaremus de gubernatore uniuersorum Christo, tametsi hactenus eleganter ipsum sæpe descripserit: pergit tamen illum adhuc suis, id est diuinissimis & pulcherrimis coloribus depingere, ne quid ab eius gubernatione nobis metuamus, neúe non tranquillis animis eius administrationi nos totos nõ libentissimè subijciamus.

Christus leo ex tribu Iuda.

Principiò dicitur Leo ex tribu Iuda uicisse, nimirum Christus ille noster: uicisse diabolum,

bolum,peccatum,mortem,mundum,infernum,omnemque poteſtatem aduerſariam. Vicit autem moriendo,& ita emerſit in ſummum faſtigium,Dominus factus uniuerſorum. Leo alioqui diabolus appellatur à beato Petro. Solomon & prophetæ tyrannos uocant leones. Noſter ergo leonem Chriſtum uocat,non quemuis quidem, ſed ex tribu Iuda. Alludit enim ad uaticinium Iacobi patriarchę,quod extat Geneſ.49. Vaticinatur ibi uenturum Schilo,copiæ cornu ac felicitatorem,qui inſtar leonis qui rapuit præ dam,nec quiſquam eſt qui inde illum abigere audeat,ſuos illos tueri, quos ex unguib. draconis rapuit,poſsit,ita ut nulla poteſtas aduerſaria uel contra ipſum hiſcere auſit. Declaratur ergo Chriſtus uictor & triumphator maximus, potentiſsimus, inuictiſsimus. Id quod ſoli competit. Inuenias tamen regulos,quos in ſingulas horas expugnet praua cupido, qui patiantur ſe ſalutari inuictos,ſcilicet. Breuiter, prima hæc nota in deſcriptione Chriſti,oſtendit Chriſtum Ieſum gubernatorem uniuerſi, eſſe illũ ipſum quem prophetæ & patriarchiæ uenturum in mundum, principem inuictiſsimum prænunciarunt.

1.Pet.5.

Chriſtus ſolus inuictiſsimus.

Deinde Chriſtus appellatur Radix Dauid. quo alluſum apparet ad illud Iſaię 11.cap. Tunc prodibit ſurculus de ſtirpe Ieſſe,& flos de radicibus eius aſcendet. Certè Maria filia Dauidis,ex qua genitus eſt & puenit ſacratiſsimus flos Chriſtus,ſtirps erat Ieſſe. atqui ex ipſis radicib. Dauidicis uel uirginis,ex ueriſsima inquam natura humana, uerus homo in mundum genitus eſt Ieſus Chriſtus. Nõ enim angelos aſſumpſit uſpiam, ſed ſemen Abrahæ. Frater ergo noſter eſt, conſubſtantialis nobis, ſecundum humanitatẽ. Hæc conſolantur nos ualidiſsimè,& refutant hæreticos fortiſsimè:affingentes Chriſto corpus nõ uerè humanũ. Plura de his habemus Matt.1.Lucæ 1.2.&3. Poſtea de illo eodem Domino noſtro diſertè dicitur,quòd ſit in medio throni,in medio 4 animalium,in medio 24 ſeniorũ: ideoque eximitur ex numero creaturarum, ex numero angelorum, ex numero ſanctorũ. maior eſt enim iſtis,nimirũ cõſubſtantialis patri,æqualis gloria & potentia. Nam pater eſt in medio throni, inde procedit ſpiritus: ibidẽ inuenitur iam & agnus Chriſtus,nõ tantũ homo uerus, ſed & Deus uerus. Eſtq; diſtincta perſona. Neſcit enim confuſionẽ adoranda trinitas. Deus pater,Deus filius,Deus ſpirituſſanctus:pater nõ eſt filius,neq; hic pater,neq; ſpirituſſanctus unus ex illis, ſed ſpirituſſanctus: omnes tamen tres unus ſunt Deus,pater in ſua hypoſtaſi,filius in ſua,& ſpirituſſanctus in ſua, non tres deos conſtituentes, ſed tres proprietates & perſonas in una indiuiſa eſſentia æterna. Cum uerò commemoratur Chriſtus in medio eſſe animaliũ,& in medio ſeniorum:certè ſignificatur iuxta diuinam naturam eſſe ubique,eſſe uitam & conſeruationẽ omnium creaturarum,etiã in medio ſuorum & ſuæ eccleſiæ. Sicut itaque credimus Ieſum Chriſtum eſſe hominem uerum,ita credamus & Deum eſſe uerum Deo patri conſubſtantialem. Pereat cum Ario & Mahumede Seruetus,& quotquot negãt Chriſtum eſſe filium Dei, patri per omnia coæqualem. Præterea appellatur iam etiam agnus, non quòd natura ſit pecus, ſed quòd per agnum ſit præfiguratus redemptor orbis innocens,& unica ſalutaris hoſtia omniũ fidelium. Agnus eſt innocentię ſymbolum,& ſacrificijs ab initio deſtinatũ. Abel agnũ immolauit, iuxta legẽ iuge offerebatur ſacrificiũ quotidie,manè agnus & ad ueſperam agnus. Chriſtus enim & eorum expiatio eſt, qui ab initio mundi fuerunt,& qui in fine futuri ſunt. Agnus paſchalis Exodi 12,cuius cruor prohibuit ab ædib.& tabernaculis angelum uaſtatorem, typum Chriſto prætulit, cuius precioſo ſanguine recõciliati ſumus Deo. Hanc agni paſchalis expoſitionem ipſe Petrus 1.Pet.1,& Paulus 1.Cor.5. attulere. Congruit cum ipſis Iſaias in 53.& Act.8.cap. expoſitus per Philippum apoſtolum. Ioannes denique baptiſta, qui intento in Chriſtum digito exclamauit:Ecce agnus Dei,qui tollit peccata mundi. Credamus ergo,Ieſum Chriſtum illum, cui omnis poteſtas data eſt à patre, eſſe liberatorem noſtrum, expiationem, reconciliationem,innocentiam, ſanctificationem,iuſtificationem,& ſalutem ſempiternam:quippe quem audiemus 13. cap.occiſum ab origine mundi,eo quòd unica eius mors,& ſemel quidem peracta oblatio ab origine mundi,& continuè in finẽ mũdi, ſanctificet omnes eos qui ſanctificantur. Quod & Apoſtolus aſſerit Heb.10.cap.

Chriſtus radix Dauidis.

Hebræ.2.

Chriſtus eſt in medio throni.

Chriſtus uerus Deus.

Chriſtus eſt agnus.

Porrò agnus ſiue ſaluator hic mũdi ſtare hîc dicitur in medio throni,nimirum quòd

iam iam obeat munus regis catholici,& ſacerdotis gubernatorisque,expeditus & paratus omnino ad ſeruandum. Sic uidet ſtantem quoque S. Stephanus Act.7. Alioqui alijs in locis ſedere Chriſtum ad dexteram patris legimus. Cui hic locus non contradicit: cum ſedere,ſit & quieſcere & regnare.

Agnus apparet uelut occiſus.

Præterea apparet hic agnus noſter in throno diuinæ maieſtatis,ueluti occiſus: non quòd non uerè occiſus ſit ac mortuus (id enim paulo pòſt exprimitur diſertiſsimè) ſed quòd in morte nõ manſit,uerùm tertia die ex mortuis reſurrexit, ut ita declararet ſe eſſe uitam,& reſurrectionem fidelium. Vel certè,quòd ſecundum humanitatem legitur occiſus,ſecundum diuinitatem immortalis,& nulli ſubiectus contumeliæ. Vnde & in lege alter hircorum Leuit. 16. mactatur: alter uerò non occiditur, ſed opera uiri ad hoc deſtinati in deſertum educitur. Interea eſt inter interpretes, qui ſic exponat: Tanquam occiſus dicitur,quia ſecundum Chryſoſtomum & Auguſtinum adhuc cicatrices uulnerum mortis in ſignum uictoriæ ſuæ reſeruauit,&c.

Agnus habet cornua ſeptẽ.

Habet item hic agnus Chriſtus Dominus noſter cornua ſeptem,non quòd reuera inſtar capræ Indicæ tot gerat cornua.Cornu,quod ex Daniele claret, & Zachariæ cantico Lucæ 1, ſignificat potentiam & regnum.Septenarius numerus,plenitudinis eſt numerus. Significatur ergo, Chriſtum omnigena poteſtate præditum eſſe, diuina, humana, imperatoria,pontificia,regia,breuiter abſolutiſsima.In 13.cap.audiemus,beſtiã ſibi ſum pſiſſe cornua duo, tanquam agni. De quo ſuo loco. Daniel cap.7. Et dominatus eſt ei traditus,inquit.& honos & regnum,ut omnes populi,nationes & linguæ colant eum, cuius dominatus eſt dominatus æternus, qui non peribit, neque deſtruetur unquam.

Agnus habet oculos ſeptẽ.

Iam etiã ſeptẽ habet oculos.Hos exponit,& ſubdit:Qui ſunt ſeptẽ ſpiritus Dei,miſsi in omnẽ terrã.Diximus ſuperius,ſeptem ſpiritus appellari ſeptiformẽ ſpiritũ.Significatur itaque plenitudo ſpiritus, quam effundit Dominus ſuper omnẽ carnem.Significatur omniſcientia filij, in cuius oculis uerſantur præſentia,quæcunq; fiunt in cœlo & in terra,palàm & occultè.Spiritus enim Chriſti,uis illa immenſa, incomprehenſibilis & diuiniſsima,omnia ſcrutatur & penetrat,nihil abſconſum eſt ab oculis eius,qui peruagantur totum orbem.

Qualis ſit gubernator omnium, et qui reſerat ſigilla.

Talis autem,qualem hactenus deſcriptum audiuimus,Chriſtus quem patriarchæ & prophetę uenturum prædixerunt, uictor & triumphator ſolus uerè inuictiſsimus,homo uerus,de noſtra ſubſtantia & adeò etiam frater noſter uerus, Deus nihilominus uerus,patri & ſpirituiſancto conſubſtantialis,reconciliator,redemptor,& unica ſalus mũdi:paſſus pro nobis,& idem reſuſcitatus ex mortuis,in cœlum ſublatus, omnem habẽs poteſtatem in cœlo & in terra,qui uidet omnia,ſpiritum ſuum hominibus communicat,& totius generis humani fideliſsimus eſt cuſtos & aſſertor:hic inquam Chriſtus Ieſus Dominus noſter,uenit & accepit,non rapuit aut furto abſtulit,ſed accepit librum illum diuinæ prouidentiæ, iudiciorum Dei, gubernationisque omnium, ut ipſe aperiat, & ſigilla eius ſoluat: id eſt,ut redemptis ſuo ſanguine iudicia Dei nobis reuelet, & omnia in cœlo & in terra adminiſtret. Ergo cum ſciamus gubernatorem omnium, nobis datum eſſe redemptorem,regem,pontificem, & unicam ſalutem noſtram,quis porrò nõ ſponte ſe ſubijciat adminiſtrationi eius?cumq; certò nunc intellexerimus,ſub ſigillo fidei & ueritatis geri per Chriſtum omnia,quis audeat curioſius poſthac inquirere in iudicia & opera eius,cuius fidei & gubernationi iam iã traderemus omnia,ſi quidem in manu noſtra eſſent? Obſeruabimus tamen,filium non ita à patre illa accipere, ut uel pater ſpolietur.Nam in Euãgelio Ioan.5.cap.ait Dominus:Pater meus ad hoc uſque temporis operatur,& ego operor,&c.Certè filius patris appellatur uerbum,os,brachium,&c.uel ut iuxta diuinitatem minor patre uideatur filius. Aretas enim religioſe,

Quomodo dicatur filius accipere librum ex patris manu.

Quòd librum,inquit,agnus de dextera ſedentis ſuper thronum acceperit,ex parte humanitatis intelligendum eſt:quemadmodum & quòd occiſus eſt.Ex parte namque diuinitatis,nihil ex ijs quæ dignè de Deo dici uel cogitari poſſunt,tribus perſonis ſeiunctim aſsignatur,præterquã productionis modus ingeniti & geniti ac procedentis, &c.

Singularis & longè elegantiſsima, planeque euangelica, & conſolatione plena eſt hæc Chriſti deſcriptio: ſingulariter ergo, & imis eſt reponenda animis. Vbi pariter eos

repeti-

reperimus falsos esse suo iudicio, qui nõ ueriti sunt effutire, in hoc libro præter morem apostolicum, paucula de Christo & redemptione nostra doceri. Oremus Dominum, ut is animos nostros illuminare dignetur. Amen.

Describitur adoratio & doxologia, uel hymnus Christo dictus ab animalibus & senioribus.

CONCIO XXVIII.

ET cum accepisset librum, quatuor animalia & uiginti quatuor seniores prociderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt precationes sanctorum, & canunt canticum nouum, dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire signilla eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram.

Audiuimus, agnum accepisse librum de manu sedentis in throno, ut aperiat ipsum, eiusdemq; signilla resoluat: id est, intelleximus Christum esse unicum & æternum Saluatorem & dominũ, cui tradita sit omnis potestas in cœlo & in terra: ipsum ergo solum & semper saluare, ipsum nobis reuelare Dei mysteria & iudicia, ipsum deniq; gubernare & administrare res in orbe uniuersas. Sequitur porrò, quomodo omnes Dei creaturæ se gesserint erga hunc Dei filium, monarcham, & omnia gubernantem. Proponitur hoc mira hypotyposi & copia ubere, in typo animalium 4, & 24. seniorum, &c. certè ut ex ipsorum gestibus, dictis & factis intelligamus, quid nos in iudicijs Dei facere conueniat.

Christus uerus & unicus monarcha.

Etenim exemplum hoc planè est multiplex, adeoque sextuplex, quale uix inuenias ulla alia in re propositum. Et in hac re momentum est maximum. Principiò quidem audiuimus in 4. cap. animalia quatuor conclamauisse ante thronum sedentis: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens. Deinde uiginti quatuor seniores procidisse, adorauisse, coronas proiecisse, & hymnum ceciniisse, intelleximus. Sequitur iam tertius huius exempli gradus. Nam ut animalia & seniores prius singulariter ista fecerunt, ita modò coniunctis uotis animalia & seniores procidunt coram agno. Procidamus ergo & nos in omnibus Dei iudicijs & operibus, coram agno gubernatore omnium, & adoremus. Tametsi enim hic non addatur, Et adorauerunt: ideo tamen procidisse intelligendi sunt, ut adorarent. Etenim procumbere, est adorare. Id quod etiam ex consequentibus intelligitur. Agno enim preces, id est hymnum concinentes, offerunt, quod latriæ est. Præterea mox sequitur, omnem creaturam hymnum dixisse sedenti in throno & agno, &c. Et quidem duo Ioannes peculiariter & diligenter in hoc exemplo persequitur. Principiò enim pulchrè habitum animalium & seniorum depingit. Deinde hymnum, doxologiam uel epinicium subiungit. Et quantum attinet habitum ipsorum, procidunt ante omnia coram agno: sicut modò diximus.

Exemplũ multiplex, quo discimus, quomodo nos geramus erga gubernatorẽ omnium.

Adoratur agnus.

Hic uerò locus est satis efficax probandæ diuinitati Christi Domini. Conferenda enim sunt hæc cum ijs quæ in hæc uerba scripta audiuimus in cap. 4. Procidunt uiginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorant uiuẽtem in secula seculorum: nunc uerò dicitur, quòd illi ipsi seniores prociderint coram agno: unde consequens est, uiuentem in secula & agnum pari gloria, honore & cultu adorari: ideoque filium patri esse coæqualem, adorandum in secula. Vnde iam palàm deprehenditur, abominabilis & fœdissimus Arij & Seruetanorum error, confutatus in præsenti non tantum ab animalibus, sed & à tota sanctorum in cœlis ecclesia. Disputant subtiliter ocioſi homines, & uertunt inflectuntq; uerba Dei pro solita sua gigantea audacia, ut libet: nos potius

Christus uerus Deus, adorandus cum patre in eadem gloria.

Arij blasphemiam restaurauit Seruetus.

tius ſequemur exempla omnium ſanctorum & creaturarum in mundo, & adorabimus agnum cum ſedente in throno benedictum in ſecula.

Citharæ & phialæ. Deinde obijciuntur nobis ſeniores in pauimentum proſtrati, manibus tenere citharas & phialas. Cithara in Pſalmis & hiſtoria ſacra inſtrumentum eſt muſicum, laudibus conſecratum diuinis. De phiala, cuius formæ aut ſpeciei fuerit poculum, multis agunt rei uaſculariæ authores: ego ſimpliciter poculum aut pateras intelligo, quales plurimas in tabernaculo & templo fuiſſe legimus, deſtinatas & libaminibus offerendis aut fundendis, & ſuffitui aut odoramentis excitandis. Interim iſta in ſanctis cœlitibus non ſunt accipienda corporaliter, ſed ſpiritualiter, ſecundum ſuffigurationem. Nam quid intellexerit Dei ſpiritus, reuelator arcanorum, ipſe ſubijcit Ioannes, quæ

Muſica & incenſum, oratio. ſunt precationes ſanctorum. Proinde ſignificatur, ſanctos Deo offerre orationes: Quæ ipſi ſint longè gratiores, quàm homini ſit dulcis muſicorum inſtrumentorũ concentus, uel ſuauis odor aromatum aut ſuffimentorum. Aretas interpres: Quòd citharas habent, inquit, concordiam indicat, & conſonantiam in agendis Deo gratijs. Hinc autem diſcimus iterum, quid agamus in iudiciorum & operum Dei contemplatione atque ſenſu. Laudandus & benedicendus eſt Dominus, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Quod ſi agendæ ſunt gratiæ Deo, ſi laudanda ſunt eius opera & iudicia, quomodo expoſtulant quidam cum Deo, uituperantes, aut in ſuſpicionem prauam trahentes ipſius iudicia? Diſcamus item, eccleſiam Dei nunc non amplius decere organa & incenſa illa corporalia.

Verum ſacrificium Chriſtianorum. Ex hoc loco beatus Irenæus lib. contra hæreſes 4. cap. 33 & 34. oſtendit, orationes & euchariſtiam ſanctorum ipſam eſſe oblationem, quam Malachias prædixerit offerendam per totum orbem terrarum. Sequutus eſt illam expoſitionem mox Tertullianus contra Iudæos, & lib. 4. cõtra Martionem: ſequuti ſunt alij eccleſiæ doctores. Sed ſuaues illi noſtri nugones erudituli, hoc eſt theologaſtri Papiſtarum, in his ueluti triumphant, umbratilem interim & uaniſsimum agentes triumphum. Applicant enim hæc ſuo ſacrificio, quo ſe fingunt ſub ſpecie panis & uini offerre Deo patri corpus & ſanguinem Chriſti, pro expiatione uiuorum & mortuorum. At de tali ſacrificio non loquuntur Irenæus & Tertullianus, ſed de oblatione precum, quam offert non ſolus miſsifex conſecratus, ſed tota eccleſia Chriſti ſanguine ſanctificata, in cœna Chriſti Deo patri gratias agens pro redemptione gratuita. Ignorarunt iſti patres beati, uenales Chananæorum iſtorum miſſas.

Contra interceſsionem ſanctorum in cœlis. Ex eodem Ioannis loco illi ipſi Papiſtæ interceſsionem ſanctorum in cœlis demonſtrare & confirmare uolunt. En ſancti, inquiunt, dicuntur palàm orare in cœlo. At pro ſeipſis non eſt quod orent, ideoq; ueluti ſuffragatores & patroni pro cliẽtulis uel cultoribus ſuis in terris orant. Reſpõdeo, orare quidem ſanctos in cœlis, ſed quod uos genus orationis uel ſpeciem ſubijcientes, exponitis interceſsionem, de ueſtro aſſuentes cõfingitis, & malicioſe quidem ac falſò confingitis. Ioannes ipſum ſeſe exponit, ut nihil opus ſit ueſtris ſutelis. Subiungit enim, Et canunt canticum nouum. Sed & formam huius cantici totam recitat, ne quod de precibus dixerat, aliquis corrumperet. Continet autem formula illa laudem & benedictionem uel gratiarumactionem, non interceſsionem uel inuocationem. Certum eſt enim uel ex apoſtoli doctrina, 1. Timoth. 2. & Philip. 4. duas eſſe ſpecies orationis præcipuas: inuocationem & laudem, uel gratiarum

Vmbræ legis exponuntur. actionem. At de poſteriore, non de priore loqui Ioannem, res ipſa palàm arguit. Cumq; hic locus typos, umbras uel myſteria aliquot legis diuinæ exponat, ex eodem nobis potius licebit confutare ſanctorum in cœlis interceſsionem, pro ſuis cultoribus. In lege enim una duntaxat conceditur ara thymiamatis aurea. At ea typum Chriſti prætulit. Vnus enim Chriſtus inter Deum & hominem mediator & interceſſor eſt. Non licebat populo Dei, niſi in hac unica ara, ſuffitum excitare. Nõ licebat ulli homini, ſibiipſi ex ijs ſpeciebus aromaticis, quibus diuinum conſtabat incenſum, parare odorem & olfacere: quod extat Exodi 30. Cur ergo iſti non intelligunt, orationes uni Deo competere, & nolle ſanctos cœlites olfacere huiuſmodi incenſum? Dauid canit Pſal. 141. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium ueſpertinum.

ſpertinũ. Diabolus ſibi fieri incenſa huiuſmodi optat: quod ex Matth. 4. cap. & Auguſtino de ciuit. Dei conſtat. At cœlites noſtri ſancti, nõ ſunt diaboli. Cur non intelligunt, aram iſtam thymiamatis nũc ſtare in cœlis ad dexteram patris, & intercedere pro nobis: propter illum nobis patrem eſſe reconciliatum, & nos eſſe Deo gratos, & per hunc ſolũ oportere preces noſtras offerre Deo, alioqui abominabiles? Cur non uident ſanctos cœlites in præſenti uni & ſoli agno tribuere omnia, ſibi nihil uendicare? denique ipſos nullam ſuorum cultorum mentionem facere: ſed ſimpliciter teſtari, ſolum agnum dignum fuiſſe & eſſe, qui librum accipiat, &c.

Quid ſit canticum nouum.

Cęterùm doxologiam ſanctorum cœlitũ appellauit Canticũ nouum, quod in ſcriptu ris nouum nõ eſt. Dicũt enim ſancti, ſe cantaturos in terris Deo canticũ nouum, Pſal. 33. 96. 98. 144. Iſaiæ 42. Sic noſtri, *So wöllend wir aber ſingen, vnd ſingen ein nüwes lied, &c.* Vocantur autem noua cantica, ea utique carmina, quę de recenti aliquo beneficio aut facinore egregio patrato, ſunt compoſita. quia uerò recentib. adhuc beneficijs ualde afficitur hominis animus, nouum canunt canticum, qui totius animi iubilo Deum prædicant, & ei ex intimis affectibus gratias agunt. Nouum deniq; canticũ canunt, qui animis defecatis, & ſpiritu innouatis Deum celebrant: quod in primis datum erat & diuis illis cœlitibus. Vnde nos rurſus diſcimus, quomodo animos noſtros oporteat in precib. & laudib. Dei eſſe & affectos & inſtructos. Aretas: Id, inquit, nouum cãticũ dixerim, cuius beneficio nos, qui ex omni terra illuſtrati, à uetuſtate ſcriptæ legis diſcedentes, & in nouitate uitæ ambulantes, per ſpiritum ſanctum edocti ſumus gratiarũ canere actionẽ.

Hymnus uel doxologia diuorum in cœlis.

His modò ſubijcitur ſanctorũ hymnus, ut & nos formã teneamus celebrandi Deum. Hymno autem celebrant, Chriſto ſubiecta eſſe omnia, & eius gubernatione adminiſtrari omnia, humiliauiſſe ſeipſum in mortẽ uſq;, ideoq; exaltatũ eſſe ſuper omnia. Iam etiã mortis eius uirtutes uel effectus & beneficia ingentia commendantur nobis, ut æſtimãtes gubernatorem ex collatis beneficijs, credamus ipſius quoq; adminiſtrationem nobis eſſe ſalubrem, ideoq; ſpontaneos nos ipſi fide & patiẽtia ſubijciamus. Qui ſanè finis potiſsimus eſt eorum quæ hic tanta diligentia pertractantur.

Chriſtus ſolus dignus qui aperiat librum.

Principiò prædicant Chriſti maieſtatem & dignitatem, quòd ſolus ſit in uniuerſitate rerum inuentus, qui in omnia teneat imperium, qui unicus ſit ſaluator mundi, myſteriorum quoq; diuinorum reuelator, & omnium gubernator. Hoc enim eſt accipere librum, & aperire: quod iam ſępius repetiuimus. Deinde cauſam ſubijciunt, cur hęc gloria ſolius ſit agni, uel filij Dei: Quoniam occiſus es, inquiunt. Intelligunt autem in ſpecie genus, totam incarnationem, totumq; redemptionis myſterium, mortem, reſurrectionem & aſcenſionem in cœlos, & reliqua. Ipſe ergo uerus & unicus mediator Dei & hominum, ſolus eſt ſaluator, ut qui ſolus pro nobis incarnatus & crucifixus eſt: ſolus eſt gubernator, ut qui humilitate exaltari meruit, Phil. 2. & cõmodiſsimus eſt gubernator rerũ omniũ, utpote de quo omnes homines ut ſaluatore fideliſsimo ſuo, adeoq; de fratre ſuo, optimè ſperare poſſunt, quæcũq; tandẽ ipſis eius eueniãt gubernatione, &c.

Virtus & effectus mortis Chriſti.

Interim copioſiſsimè prædicant uirtutem ſiue effectum mortis Chriſti. Hoc enim recte intellecto, promptius ſubijcimus nos ei gubernatori, quem nouimus noſtrum eſſe ſaluatorem, qui impenſe nos diligit, & ſaluatos omnes cupit. Effectus autem mortis Chriſti præcipuus eſt redemptio. Redemptio captiuitatẽ includit. Eramus capti, & ſerui peccati, mortis, adeoq; mancipia diaboli & inferorum. Venit autem in carnem filius Dei, effuditq; ſanguinem (ſic etiam modus redemptionis exprimitur à ſenioribus) & lauit nos à peccatis noſtris, purgatosque redemit à poteſtate mortis, inferorum, peccati & ſathanæ, ut iam Dei ſimus. Ideo ſignificanter dicũt, Redemiſti nos Deo. Dei ergo ſumus: diabolus nullũ amplius in nos ius habet: liberti ſumus Chriſti, per ſanguinẽ eius abſoluti, 1. Pet. 1. Hebræis 9. Et quia Dei iam ſumus, iuſtificati utiq; gratis, illius gratia, per ſanguinẽ Chriſti, ut Apoſtolus quoq; Rom. 3. cap. dicit, Deo nimirũ in nouitate ſpiritus, non carni & diabolo, in uetuſtate literæ carnisq; noſtræ, ſeruire debemus. Quod idem Apoſtolus copioſius perſequitur ad Rom. 6.

Redemptio.

Qui redempti.

Sed & quos redemerit, obiter exponunt homines utique ex omni tribu, &c. Ea commemoratione Danielem imitatur in cap. 7. & uniuerſitatem ſignificat. Pro om-

nibus enim mortuus est Dominus: sed quòd non omnes participes fiunt huius redemptionis, ipsorum fit culpa. Neminem alioquin excludit Dominus, nisi eum qui semetipsum propria incredulitate & perfidia excludit.

Iustificationẽ & redemptionem sequitur iusticia.

Ex redemptione sequitur alter effectus mortis Christi, quòd uidelicet iustificatos Deo, facit reges & sacerdotes. Nam qui iustificati sunt, iusticiã operantur. Hunc locum de sacerdotio & regno Christianorum exposui cap. 1. unde petere licebit.

Quomodo regnẽt sancti super terra.

Addunt se sancti super terram regnaturos, per Christi utique uirtutem: non quidem corporaliter, sicuti imaginantur Chiliastæ, & hos sequuti Turcæ, imaginantes corporalia in hoc mundo, aut in reparato hoc mundo, adeoq; in paradiso terrestri gaudia. Nam tota scriptura promittit meliora. Nec oportet pios ita corporalibus deditos esse, ut nihil sperent supra corporalia. Loquuntur hic sancti de iudicio extremo, in quo apparebit toti mundo & omnibus super terrã habitantibus, sanctos, qui aliquando uisi sunt mundo impij fuisse, sacrilegi, pacis perturbatores, hæretici, parricidæ, & hoc nomine cæsi, esse iustos, sanctos, reges & sacerdotes Dei. Sic inquam regnabũt super terram. Id quod copiosius exponitur Sapientiæ 3 & 5. cap.

Hæc inquam cogitent sancti, cum opprimuntur ab impijs propter ueritatem & iusticiam, permittente hoc Christo gubernatore omniũ, in hoc seculo, glorificent ipsi nihilominus Dominũ Deum, & celebrent ipsum in secula seculorũ. Ipsi gloria in æuum.

Describitur doxologia & hymnus Christo dictus ab angelis, & omnibus creaturis, &c.

CONCIO XXIX.

ET uidi, & audiui uocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & seniorum, & millia millium, dicentium uoce magna: Dignus est agnus qui occisus est, accipere uirtutem &, diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturã quę in cœlo est, & super terram, & sub terra, & in mari, & quæ in eis sunt omnia, audiui dicentes: Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria, imperiumq; in secula seculorum. Et quatuor animalia dicebant, Amen. Et uigintiquatuor seniores prociderunt, & adorauerunt uiuentem in secula seculorum.

Angeli quoq; Christum concelebrant.

Quarto loco accedũt iam ad seniores & ad animalia, ad excellentiores inquam creaturas Dei, angeli Dei, & cum istis Deum & agnum hymno concelebrant: nobis haud dubiè in exemplũ, ut, quod sæpe dico & repeto, nos quoq; quid deceat, intelligamus.

De angelis, & ipsorum ingenio & officio.

De angelis Dauid Psal. 104. loquẽs inter alia: Qui facit, inquit, angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam. Testatur ergo, angelos esse à Deo factos, uel creatos. Substantia sua spiritus uocat, & per parabolam flammam ignis, quæ est pura, pellucida, celerrima, penetrans, ardens. Suo ergo modo & sua ratione tales omnino sunt spiritus angelici: quos ex officio ministros appellat, nimirum Dei & hominis. Nam & Paulus ad Hebræos hunc Dauidis locum adducens: Nónne omnes, inquit, sunt ministratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos qui hæredes sunt salutis? homines utique intelligens. Docent hæc rectè de angelis iudicare, & ne quis colat ministros, aut ullas quantumuis excellentes creaturas, propter ipsorum egregia dona. Neque uerò ipsi se coli sustinent angeli, aut sancti. Hic certè Deo & agno, Deo trino & uno, omnem tribuunt gloriam, ut idem faciamus omnes. Locus hic quoq; commonstratur, in quo fuerint angeli, circum thronum, circum animalia, & circum seniores. Ergo hæc omnia ueluti stipatores per circulum ab extremis partibus stiparunt. Non dissimilia his quondam uidit & Daniel in cap. 7. Certè ceu ministri & stipatores adstant, accincti obe-

Lege concionẽ 29 sequentem.

undis

undis ministerijs. Dicuntur angeli etiam pios in terris circundare, & hominum saluti ministerioq; inuigilare. Psal. 34. canit Dauid, Afflictus ille inuocauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnib. angustijs seruauit eum. Castra figit angelus Domini circum eos qui ipsum (Dominum) timent, & eripit eos. Nec dissimilia admodum legas Psalmo 91. Obseruabis autem, afflictos inuocare Dominum, non angelos: Dominum exaudire & liberare, & ad hanc rem perficiendam uti angelorum, uti suorum ministrorum, opera. Sicut autem nemo sanus solem adorat, inuocat & colit, quòd ingentia Deus beneficia per ipsum præstat hominib. ita nemo adorat, inuocat & colit angelos, quòd ipsorũ opera Deus erga homines eripiendos utitur.

Numerus angelorum.

Iam etiam numerum ponit angelorum, sed certum pro incerto, milia milium pro innumerabilibus. Alludit interim ad illud Danielis 7. cap. Milia milium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. Ex numeroso uel ingenti innumerabiliq; exercitu solemus æstimare potentiam regum. Quid ergo cogitabimns de potentia Dei nostri, qui est Deus exercituum, & cui non tantum innumerabiles angelorum legiones, sed omnes creaturæ seruiunt? Quàm eximia uerò laus, quæ à tot beatis concinitur spiritibus?

Post hæc enim, proprium angelorum munus attingitur: laudes Deo canunt, Deiq; agnum celebrant, & hoc quidem magna uoce. Non admodum refert, submissa an alta uoce laudes canas Domino: sed quoniam magna uoce clamantes ferè grauiter sunt affecti, maximis adobruti doloribus, aut lætitia summa exhilarati, ideo magna uoce Deum celebrauerimus, si magno spiritu, & intimo cordis affectu Deum celebrauerimus.

Hymnus angelicus dictus in laudem Christi.

Hymnus subiungitur modò angelicus, qui per omnia congruit cum hymnis animalium & seniorum. Celebrant enim agnum, id est filium, qui solus sicut seruator est, ita meruit accipere omnem potentiam & gloriam, administrareque omnia: sicut dictum est superius.

Septem autem tribuunt angeli agno, id est Iesu Christo Domino nostro, ad dexterã patris. Principiò δυναμιν, uirtutem utique diuinam, creatricem, uiuificatricem & conseruatricem. De hac dixi etiam superius. Deinde πλουτον, diuitias. Ipse enim dives est, quod Apostolus dicit, in omnes inuocantes se, Rom. 10. Et Primasius: Ipse Christus, inquit, thesaurus est bonorum omnium, &c. Etenim schaddai est, sufficientia bonorum omnium animi & corporis: & si quidem prophanum uocabulũ Deo tribuere licet, ipse est Saturnus uerus, omnes creaturas exaturans. Cum autem angeli sic Christum prædicant, cui obsecro uerisimile uideatur, quòd homines ad se rapiant, quasi ipsi uota possint ipsorum implere? Inde tribuũt Christo sapientiam, utiq; diuinam & summam. Filius enim, patris est sapientia. De qua re multis Solomon. Hac sapientia nouit congruẽtissima optimaque gubernatione regere uniuersa. Quis dicet? Sic agendum fuerat. Sapientia Dei pulcherrimè & optimè omnia ab initio condidit, ut iure nihil possit nostra uituperare ratio: quid ergo uituperabimus nunc in administratione uniuersorũ Christi? Tribuũt Christo fortitudinem quoq;, exequendi scilicet ea quæ sapientissimè instituit, fortitudinem denique suos asserendi, & aduersarios compescendi. Est enim omni potens. Quæ sequuntur, Honor, gloria & benedictio, superius sunt exposita, quid sint & ualeant: nisi quod prius appellauit εὐχαριστίαν, nunc quidem uocat εὐλογίαν, benedictionem, laudem & gratiarumactionem.

Christus angelis maior, dominus angelorum.

Docet hic hymnus in laudem Christi dictus, Christum esse Deum uerum, patri consubstantialem & coæqualem, angelis maiorem, imò angelorum Dominum, quem ipsi etiam adorant angeli. quod & Paulus 1. ad Heb. cap. demonstrauit. Confutantur ergò hic, quicunque angelos Christo præferunt. Confutantur Angelici dicti hæretici, cultores scilicet angelorum. Ipsi angeli Dei, errorem ipsorum hic redarguũt: ut non immeritò à S. Augustino inter hæreticos numerentur. Si diuitiæ, gloria & honor uni Christo debentur, & his ipse excellit, quid eadem communicantur creaturis? Alioqui monemus omnes pios, ut amplè sentiant de angelis, & agnoscant mirenturque in eis Dei beneficia: & amemus eosdem ut fratres, sociosque & cohæredes eiusdem salutis: minimè autem contemnamus, aut uituperemus. De qua re aliàs.

Laus & cnocentus omniũ creaturarũ in gloriã Christi.

Hactenus recenſuit eximias laudes, panegyrica carmina uel hymnos excellentium Dei creaturarum, ſeniorum ſingulariter quidem iſtorum & communiter omnium, adde & angelorum, dictos Chriſto redemptori & principi. Neq; his contentus, ſubiungit inſuper quinto loco omnium in orbe creaturarum concentum, & laudem, & ſubiectionem, ut ſi fortè nihil ſimus commoti excellentib. excellentium creaturarum, ſeniorum & angelorum exemplis, iam tandem rubore ſuffundamur, qui cernimus o mnes creaturas ſua ſponte ſuum facere officium. Homo enim cum dominus ſit omniũ, omniaq; propter ipſum ſint creata, quomodo obſecro peccauerit enormius in Deum, qui ipſum præfecit omnibus, quàm ſi ſua duritia, ingratitudine & malitia ſolus non tantum non faciat ſuum officium: quin potius inferior ſit omnibus creaturis, & ſe deteriorem oſtentet omnibus creaturis, utpote qui ſolus cum Deo cõtendat, laudem ei debitam non tribuat. Valde ergo hoc exemplum excitat hominem, ut ſe Deo ſubijciat, & Deo omnem gloriam tribuat: nihil autem contendat cum Deo, nihil conqueratur. At uide obſecro, quàm diligenti rerum diuiſione omnes creaturas comprehendat, nullam (diabolo uno excepto) excludat, cum numerat creaturam quæ in cœlo eſt, quæ in terra, quæ ſub terra, & quæ in mari: deniq; addit, Et quæ in eis ſunt omnia. Si ergo res creatæ omnes celebrant & adorant ſedentem in throno, & agnum, & ei ſe ſubijciunt: an nõ turpe, imò fœdiſsimum eſſet, ſolum hominem, dominum omnium, deficere ad hoſtem Dei iuratum diabolum, & cum hoc expoſtulare cum Deo, carpere & calumniari eius iudicia & gubernationem, conqueri de ipſius operibus & uoluntate?

Quomodo omnes creaturæ Deũ celebrẽt.

Miraris, ſat ſcio, quomodo omnes creaturæ, cum pleræque ſint rationis expertes & inſenſibiles, poſsint Deũ celebrare. Cæterũ proſopopœia eſt prophetis, Dauidi maximè uulgatiſsima, Laudate eum ſol & luna, ait, laudate eum ſtellæ lucentes. Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyſsi. Ignis, grando, nix, glacies, &c. Volunt autem prophetæ huiuſmodi proſopopœijs animatos homines excitare ad laudem: Cũ uideatis ſuo modo laudare inanimantia Deum, uos ueſtro modo per præconia laudate Deũ. Et quidem Dauid apertè rationem reddit, quare corpora inanimata iubeat laudare Deũ. Laudent, inquit, nomen Domini. quare? Quoniam ipſe mandauit, & creata ſunt. Quaſi dicat: Sunt illius creaturæ, & quod adhuc perſtant, ex ipſo habent: ideo glorioſum reddant Domini nomẽ, tanquã opificis & cõſeruatoris. Simul & modũ laudandi innuit, dũ ſubdit, Conſtituit ea ut durent uſq; in ſeculũ: ſtatutũ dedit, nec præteritur. Quaſi dicat: Cum nihil eorum negligunt, ad quæ ſunt condita, ſed præſtò ſunt ſuo loco, ordine & tẽpore, & quidem pulcherrimè ſuum faciunt officiũ, an nõ apud homines mirã Dei prædicant ſapientiã & potentiã? Nã in alio quoq; Pſalmo dicit Dauid: Cœli enarrãt gloriam Dei, & opera manuũ eius annũciat firmamentũ, &c. Sic inquã & inanimes creaturę nomen Dei laudãt & cõmendant apud homines, cum mouentur, mirabiliter operantur, & faciunt obedienter id ad quod deſtinatæ ſunt.

Hymnus Chriſto dictus à creaturis omnib.

Hymnus creaturarum omnium, ſicuti & animalium & ſeniorum & angelorum, elegánter deſcribitur, etſi breuiter. Cum autem nihil habeat, quod non ſit explicatum in ſuperiorib. nolo eadem repetendo dicendoque, moleſtiam beneuolis inferre auditorib. Illud uerò ſingulariter uidetur obſeruandum, quod coniungunt & ſedẽtem in throno & agnum, ita agnoſcentes patri filium eſſe coæqualem, & pari adoratione utrumq; adorandum, paribusque laudib. proſequẽdum, concelebrandũq;. Peculiariter agno tribuũt imperium uel regnum, quod à patre librum acceperit, ſicuti ſuprà eſt expoſitum: omnẽ utique poteſtatem, & gubernandi omnia adminiſtrationem.

Conſenſus probatur, diſſenſio improbatur.

Accinunt animalia quatuor ipſum Amen, comprobantes ſic hymnum creaturarum, uel declarantes ita ſuum cum illis conſenſum. Quo & nos diſcamus unaminiter precarĩ, & laudare Deum benedictum in ſecula. Refutantur his præterea diſsidia hominum. Dominus cõcordiam hominũ & conſenſionem approbat, & omnino requirit, maximè in precib. & laudib. diuinis. Iubet enim in Euangelio deponere oblationem, quam offerre uolueris, ſi memineris diſsidij inter te & fratrem, redireq; ad illum, reparareq; amicitiam, inde reuerti ad oblationem: quæ in prophetis appellatur abominatio, ſiquidem offeratur ab animis inuidia & odio occupatis, &c.

Poſtre-

Postremò iterum procidunt seniores, & adorant uiuentem in secula, certè ut frequẽti sua adoratione omnes nos in terris commoueant ad obedientiam. Si enim in cœlis hæc fiunt à beatis spiritibus, quid oro nos in terris facere conuenit? Obserua autem, quòd dicuntur adorare uiuentem in secula, qui tamen prius etiam coram agno, & coram throno, ex quo processit spiritus, & in quo sedit sedens, prociderunt: unde nos colligimus, patrem, filium & spiritum sanctum, personis quidem esse distinctos, hos tamẽ tres non esse tres deos, sed unum in secula uiuentem Deum. Et hæc quidem illustris uisio & tractatio poterit esse uice efficacissimi antidoti contra uaria hæresum uenena, Ariomanitarum maximè, & Seruetanorum, Perdetanorum potius, præterea contra uarias & curiosas de operib. & iudicijs & prouidentia Dei disputationes atque tentationes. Si sapimus, obedienter cum omnib. creaturis & sanctis Dei, Deo nos subijcimus, adorantes illum, atque cum propheta clamantes: Iustus es Domine in omnib. uijs tuis, & sanctus in omnib. operib. tuis. Tu nos creasti. Tua sunt omnia. Tu omnia optimo ordine gubernas. Tu amas hominem. Tu dedisti nobis filium. Tu per filium redemptorem nostrum iustè gubernas omnia. Te patrem, filium & spiritum sanctum, unum & uerũ Deũ adoramus. Tibi debetur regnum, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Adorant iterum seniores.

Antidotum cõtra omnes hæreses.

Aperiuntur duo sigilla, ostenditurq; directus uerbi Dei cursus, & cursus bellorum cruentus contra inobsequentes.

CONCIO XXX.

ET uidi cum aperuisset agnus unum de sigillis, & audiui unum de quatuor animalibus, dicens tanquam uocem tonitrui: Veni & uide. Et uidi, & ecce equus albus: & qui sedebat super eum, habebat arcum, & data est ei corona: & exiuit uincens, & ut uinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens: Veni & uide. Et exiuit alius equus rufus, & sedenti super eum datum est ut tolleret pacem de terra, & ut inuicem se mactarent. Et datus est ei gladius magnus.

Cap. VI.

Hactenus præparauit Apostolus auditores ad audiendum mente tranquilla Dei iudicia, & fata ecclesiæ, perferendaq; patienter aduersa omnia, & ut adoremus in omnib. Deum, demusque gloriam nomini eius: consequẽter ordine pulcherrimo iudicia Dei & fata ecclesiæ exponit, ostendens quomodo filius Dei administret decreta Dei, prouidentiæque æternæ. Est autem hoc ueluti prognosticon pro omnibus seculis atque ætatibus ad finem usque seculi. Non enim existimabimus, hic commemorari duntaxat unius aut alterius ætatis acta, sed omnium. Principiò autem generaliter describuntur per partes, mox specialiter, cum peruenitur ex septimo sigillo ad tubas. Sũma, mittit prædicationem ueritatis in mundum Dominus, hanc cum respuant homines, bellis atteruntur, & innumeris alijs calamitatibus.

Prognosticon perpetuum omnium seculorũ à nato Christo.

Cæterùm ante omnia excitatur Ioannes (& in ipso nos omnes) ad attentionẽ. Excitat autem eum unum, id est primum ex animalibus. Vna Sabbati ponitur pro prima die in septimana. ea nimirum est Dominica. Vox animalis refert tonitru. Quare significatur agi hic de reb. grandib. & omnino maximis. Sequuntur enim maxima & horrenda, quæ totum concutiunt orbem, &c. Proinde ne simus ignaui, somnolenti, cæci atque surdi. Certè ea est nostri seculi socordia, ut parum consideremus opera Dei, & quæ fiant nostro seculo. Vincunt nos ciconię, hirundines, turtures, & reliqua animantia, quæ pro bè suum tempus obseruãt. Rectè ergo excitamur hic, ne simus desides, sed obseruemus quæ exponuntur & obijciuntur nobis à Domino.

Attentio hic necessaria.

Cum uerò Ioannes diligẽter obseruaret quid fieret, uidet agnũ, Christũ inquã redemptorem, aperire sigillum unum, id est primum: prodire autem protinus equũ albũ, cui qui insidebat, arcum habuit intentum, & sagittis instructum. Huic data erat corona, &

Aperitur sigillum primum.

& exiuit uincens, ut uinceret. Hæc uisio est. Visionis explicatio facilis est. Dicit enim Dominus, se expositurum Ecclesiæ fata.

Equi. Equi alioqui uarij coloris producuntur & à Zacharia cap. 1. & significãt uarium cursum & statum populi Israelitici. Albus color consecratus est innocentiæ, puritati, uictorię & felicitati. Significatur ergo per equum album, felix uerbi Dei annunciatio, uel prędicatio euangelij prospera. Insidet enim equo eques, qui agit equum, & arcum habet. Christus certè felicitat cursum euangelicæ prædicationis. Eidem tribuit & Psalmus 45 sagittas. Eminus enim ferit hostes, atque in suam redigit potestatem. Breuiter uerbo oris sui subdit sibi populos. Isaias cap. 49. inducens loquentem Christum, dicit: Et posuit os meum ut gladium acutum, umbra manus suæ abscondit me, & posuit me ut sagittam extersam, abscondit me in pharetram suam. Per Christum ergo procedit uerbi prædicatio, ipse uires sufficit prædicationi, ipse arcum intensum excutit. Quicquid uerbum habet uirium, id totum debetur equiti.

Verbi Dei cursus.

Arcus.

Corona. Eidem data est corona, nimirum regnum & omnis potestas dominandi. Nam & Dauid præcinens dixit, Dominus emittet uirgam tuæ potẽtiæ è Zion, dominare inter inimicos tuos. Præterea data est corona, ut sibi fideliter seruientes coronet. Est autem loquutio, Et exiuit uincens, & ut uinceret: pro eo quod est, qui exit uictor est, & in hunc finem prodit, ut uincat. Significat enim, Christum prædicationem uerbi sui propagaturum in orbem terrarum, nemine obsistere ualente, & inuitis etiam inferorũ portis. Nam uerbum Domini manet in æternum.

Semper fore ecclesiam, & uerbi prædicationem. Docet autem hic locus, semper in mundo futuram ecclesiam, semper item prædicandam esse ueritatem, rumpantur ut ilia hosti. Quod si percurramus ecclesiasticam historiam, rectius hæc omnia intelligemus, & deprehendemus prognosticum hoc semper fuisse certissimum. Semel Christus per ministerium uerbi ab apostolis mundo est annũciatus, & processit res felicissimè, utcunque se opponerent potentissimi huius seculi. Mira res est, si inspiciantur anni 500, qui mox ab incarnatione Domini numerantur. In his exiuit uincẽs, ut uinceret: & uicit quidem, toto orbe Christum recipiente & adorãte. Ab illis annis, ut & antea quoque, spargi cœperunt quædam errorum semina, cœperunt Pontifices altercari de primatu, & quis sit uniuersale caput ecclesiæ in terris: cęperunt disputare de usu imaginum in templis, & intulerunt illa quidem in templa, sicuti & Pont. Romanum appellarunt summum & generale in terris ecclesiæ caput. Ac potẽtes principes, & totus propè doctorum ordo in hæc dogmata cõspirarunt: sed uicit, qui exiuit ut uinceret. Habuit in ecclesia innumeros, qui genua sua non incuruauerunt ante istum Baal. Post mille annos ab incarnatione Domini cœperunt Pontifices nimis prophanè contaminare cœnam Domini, & alia illibata fidei dogmata: sed quid oro profecerunt tot Concilijs, determinationibus, & conatibus instructissimis? Qui exiuit ut uinceret, uicit. Equus ille albus fortiter perrupit ad salutem multorum. Nam quanta certamina in hisce ultimis 500 annis uiri pij & docti sustinuerint cõtra Pontifices, testantur historiæ. Hodie quoque apparet per totum terrę orbem, quàm feliciter progrediatur adhuc equus ille candidus, qui ad nostra usque tempora penetrauit. Creditur Euangelio, nec extingui potest illa fides ullis aquis aut ignibus.

Excipis, Hæretici fuerunt, qui se opposuerunt sedi Romanæ his 500 ultimis annis, Bertramus, Ioan. Scotus, Berengarius, Arnoldus Brixianus, Vualdo, Vuicleff & Hussius, Lutherus, Zuinglius, & cęteri huius farinæ homines, insuper & uicti quidam istorum & deleti sunt à Põtifice. Respondeo, Errare, ut homines, in multis istos potuisse, non illibenter damus: sed in ijs, in quib. cum scriptura contra sedem consentiunt, nõ erasse, sed uera dixisse contendimus. Vnde certum est, Christũ uicisse per ipsos. Cum Micheas, Helias, Zacharias, Amoz, Ieremias, & cæteri ex uerbo Dei cõcionarentur contra idola, & idolorum sacrificos, damnabantur & ipsi pro seditiosis & hæreticis: imò quidã etiam tollebantur è medio: sed nunquid uicta erat ueritas? Dicitur antichristus prospera usurus fortuna, robustosque & Dei populum afflicturus: sed homines ministri opprimi possunt, ministerium nunquam infirmatur. Paulus dicit, se esse uinctũ propter euangelium, sed euangelium non esse uinctum. Vicit ergo hactenus, & uincet porrò, qui exi

uit

uit ut uinceret. In hunc uictorem ceu in petram offendiculi impingunt, quicunque & qualescunque tandem sint, qui cursum Euangelij planum interrumpere uolunt.

Aperitur sigillum secundum.

Porrò cum aperiri debuit sigillum 2, secundum ex animalib. bos nimirum, uel uitulus, hortatur Ioan. iterum ad attentionem, & ut sedulò cogitemus quid proponatur nobis. Nunc uerò prodit equus rufus, cuius color nonnihil in ignem definit: insidet etiam huic sessor, cui datur turbare pacem in terra, & ut mutuò se mactent homines. Datus est enim illi ingens gladius. Significat equus rufus cursum bellorum, igni & cruore fœdum. Qui huic equo insidet, Mars est, uel potius pater mẽdaciorum, qui ab initio homicida fuit, diabolus. Hic fecem hominum sibi colligit ad seditiones ciuiles, ad bella, ad clades, ad incendia, ad strages & uastationes. Vides unde sit turbatio pacis, quam Deus odit. Audimus autẽ, illi datum: obserua Datum, iusto Dei iudicio esse permissum, ut omnẽ pacem turbans, tollat, & homines inter se committat, quo mutuis cadant uulnerib. Ita enim legimus in 1. cap. lib. Iob, datam esse potestatem à Deo sathanæ contra Iobum. Datur militib. sanguinarijs ingens gladius, magna nocendi facultas, mira uis bellandi: sicuti & Nahum exponit. Nec rarum est appellari in scripturis Monarchas, tyrannos & potentes bellorum duces, gladium. Certè Ezechiel Nabuchodonosorem sic uocauit: nouaculam appellauit Isaias Sanheribum regem Assyriorum.

Bellorum calamitas.

Deus bonorũ, diabolus malorum author.

Summa est autem iusticia, cuiq; suum illud tribuere. Hic ergo locus iustè bonũ Deo, malum diabolo ascribit. Verùm si Deus permittit, ais, id quod non prohibet facit. Non prohibet bellum, quia iusticia uetat prohibere: iubet autẽ punire per bella sceleratos, & probare bonos: permittendo autem bellũ nihil peccat Deus, cum iustissimas ob causas permittat. Noluerunt enim isti pacem sibi per Euangelistas oblatam amplecti, digni ergo erant qui implicarentur bellis. Iudæi non agnouerunt diem uisitationis Christi, meritò itaque à Romanis sunt uisitati atque excisi. Est autem hoc in mundo perpetuum, ut qui nolunt obtemperare Euãgelio, obtemperent imperatori militiæ: qui nolunt audire Christum, audiant antichristum. Non est quod contendas cum Deo, cur hoc faciat, illud permittat. Adora potius Deum, sicut edoctus es cap. 4. & 5.

Bella quibus attritus est orbis.

Percurramus historias, & uideamus an huiusmodi inueniantur bella, quib. sẽ homines mutuis iugularint uulnerib. instarq; pecudum mactauerint. Si legas Herodianum, Orosium, & bonæ notæ historicos, inuenias Romanos Imperatores grauissimis implicatos esse bellis, non alia de causa, quàm quòd pacem sibi oblatam per Euangelium respuerent. Non aliam ob causam ipsa demum Roma à Vuestgotthis est capta, ab Ostgotthis inflammata & uastata. Dederat Dominus illis principes Christianos: sed malebant idola. Etenim Symmachus urbis prẽfectus postulare ausus fuit restitutionẽ idololatrię. Nihil nunc de Athila refero, nihil de Persicis & Aphricanis bellis. Cumque ingens esset certamen de primatu episcoporum, & usu imaginum in templo Dei, emerserunt & potentes facti sunt Saraceni. Post annum millesimum exortum est bellum Sacrum, ut cruentissimum, ita & maximè diuturnum. Nullum tale bellum in orbe gestum est unquam. Instituit Iubilæum primum Bonifacius 8. homo sceleratissimus, idem & pontificem & Cæsarem se exhibuit uisendum populo. sed eodem anno 1300, quo iste hęc egit, emersit in Asia flagellum Dei Otthomannus, horũ qui hodie imperitant Turcicorum regum stirps. Sic enim & Solomone extruente excelsa, emerserunt hostes Solomonis, qui mirificè regnum Solomonis exercuerunt ac afflixerunt. Qualia hodie gerantur bella, & quæ sint bellorum causæ, prudentes uident omnes. Nolumus recipere pacificum Euangelium: ęquum est ergo, ut Turcica nobis arma inferãtur, & ut Antichristum bellicosum sentiamus & execremur omnes.

Quid uerò hic restat aliud, quàm ut ad Deum conuersi per Christum, seruiamus Domino in sincera fide, & sancta puritate? Nisi enim conuertamur, securis posita est ad radicem arboris, &c.

Aperi-

Aperitur tertium & quartum ſigillum, & explicatur quid paſſurus ſit orbis à fame & peſte.

CONCIO XXXI.

T cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal, dicens: Veni & uide. Et uidi. Et ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtateram in manu ſua. Et audiui uocem quatuor animalium, dicentem: Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario. Et oleum & uinum ne leſeris. Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audiui uocem quarti animalis dicentem: Veni & uide. Et uidi. Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequitur eum. Et data eſt illi poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ, gladio & fame, morte, & à beſtijs terræ.

Repetitio. Chriſtus exaltatus ſuper omnia, & Dominus uniuerſorum in cœlo & in terra, aperit ſigilla libri diuini, id eſt diſpenſat uel adminiſtrat ſumma iuſticia, Dei decreta atque iudicia: & primum quidem concedit felicem prædicationis Euangelicæ curſum, ſemper mittens fideles miniſtros prædicantes euangelium regni Dei, pacem & concordiam. Quoniam uerò homines praui pacem euangelicam reſpuunt, digni ſanè ſunt qui atrocib. implicentur bellis. Aperit ergo agnus ſigillum ſecundum, & proruunt atrocia bella, cædes, ſeditiones & latrocinia.

Attentio. Cæterùm priuſquã aperiatur ſigillum tertium, tertium animal hominis uultum prę ſe ferens, adhortatur nos ad attentionem diligentiſsimam: ut cũ hæc fieri uidemus quæ hic prædicuntur, cogitemus unde oriantur, & quas ob cauſas fiant, quodque iuſta auerti poſſunt pœnitentia. Quidam abſolutè hæc referunt ad fortunam & caſum, quidam ad naturales cauſas Dei, & operationis diuinæ nulla habita ratione: cum ſciamus Deum uti naturalib. cauſis pro ſua bona uoluntate. Euigilemus ergo, uideamus, conſideremus atque agnoſcamus Deum iuſtum operari omnia ad ſalutem electorum, & hoſtium ſuorum deiectionem.

Aperitur ſigillum tertium. Equus ille niger cum ſuo illo ſeſſore, trutinam in manu ſua præferente, ſignificat infelicem uel triſtem curſum caritatis & famis inopiæque rerum omnium. Dignum eſt enim, ut qui in nullo precio habent panem uitæ, neque ullam rationem habent alimenti animarum, ſed hoc reijciunt ipſi, & ne ab alijs percipiatur efficiunt edictis tyrannicis, denique qui propter panem uitæ, pijs ſuas facultates eripiunt, & omnigena luxuria nequiſsimè prodigunt, cogantur maximo precio parare res neceſſarias: imò non inueniant res neceſſarias, ſed fame contabeſcant. Scimus

Equus niger. atrum colorem conſecratum eſſe luctui & triſtitiæ: ſed & abſumptis inedia carne & ſanguine, cuti atrorem ſqualoremq; induci: ideo uerò niger eſt hic equus.

Statera quid. Seſſor huius equi manu tenet ζυγὸν ſtateram, dependentib. ex iugo ſcutellis, id quod appellamus *ein ſchüſſelwag*. Aretas: Statera, inquit, æquitatis & iuſticiæ argumentum eſt. Sediſti enim, dicit Dauid, ſuper thronum qui iudicas iuſticiam: ſtatera ergo iudiciũ eſt iuſti iudicij Dei. Hæc non malè attulit Aretas, ſed potior nobis eſſe debet ipſius Ioannis expoſitio. Auditur enim è medio animalium uox, quæ explicat nobis ſtateram.

Chœnix. Sonat enim, Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario. Eſt autem Chœnix demenſum & cibus diurnus: ſicut Eraſ. in Prouerb. Chœnici ne inſideas, habet. Idẽ in Annotationib. ad hunc locum: Chœnix menſura eſt tritici, inquit, aut leguminis, quæ ſatis ſit in cibũ diurnũ. Budæus putat libras pendere quatuor, Pollux tres. Significat ergo uox, minimum cibi magno parandum fore precio, interim non inueniendum. *Dann man werde es nitt mäſſen, ſunder wägen.* quod fit tẽpore famis. Denarius Romanus quid ualeat,

ualeat, Budæus oſtendit: nos ſimpliciter intelligimus precium magnum. Duo ergo ſignificantur: cariſtia, ut uocant, uel caritas annonæ, & fames. Caritas precia ultra æquum amplificat. Fames non habet quod emat, utcunque ad manum ſit ingens pecuniæ uis: ſed eſurit, eget, ſqualet, & tandem miſerè contabeſcit: in quibus quidem differunt caritas & fames. Germani proprijs uocabulis diſtinguimus, appellantes caritatem *thüwre*, famem uerò *hunger*. Ferè tamen ſunt indiuiſa.

Caritas & fames.

Legimus autem in ueteri hiſtoria, propter ſpretam legis diuinæ prædicationem & ſu perinductum peregrinum Dei cultum, Iſraelitas, Heliæ & Heliſæi temporibus fame & caritate annonæ grauiſsimè fuiſſe punitos. Extant hæc copioſe expoſita 3. Reg. 17 & 18. 4. item Regum, cap. 6 & 7. Claudij quoque imperio prædicantibus Apoſtolis Euangelium fideliter, & fortiter repellentibus Iudæis & Gentibus, fames grauiter afflixit Romanum imperium: id quod Lucas commemorat in Actis Apoſt. cap. 11. quæ quidem facta ſunt ante hanc reuelationem noſtram Ioanni exhibitam. Ab ea commemorant hiſtorici uarias & innumeras fames, annonæque caritates per diuerſas prouincias, contẽptæ ueritatis ergò illatas à Deo. Nauclerus Gener. 18. in anno 539 famis meminit, qua matres etiam infantes ſuos deuorauerint. Quid noſtra memoria factum ſit in bellis illis Mediolanen. & aliàs, nihil neceſſe eſt commemorare. Recentia adhuc ſunt, & hiſtorijs Galeacij Capellæ mandata. Senſimus huius aliquid nos quoque anno Domini 1529, & annis ſequentibus. Punit, & puniet porrò iuſtus Dominus, orbis grandem ingratitudinem, & uerbi ſui diuini contemptum: ſicuti & in excidio fecit Hieroſolymorum. Vtinam placeret cæciſsimo alioqui mundo, per pœnitentiam conuerti ad percutientem, & animis liberis ſpõtaneisque uerbum amplexari ueritatis: ſic enim plus eſſet felicitatis, minus miſeriæque.

Deus miſericordiæ non obliuiſcitur in pœnis infligendis.

Porrò conſolationis ergò ſub finem huius ſigilli adijcitur, Et oleum ac uinũ non læſeris. Species nominat maximè uſibus humanis neceſſarias, ac intelligit, Deum miſericorditer aliqua, in primis uſibus humanis neceſſaria, maximè propter electos, ſeruare, ne omnes in uniuerſum pereant atque contabeſcant. Vnde intelligimus, Dominũ miſericordiæ ſuæ non obliuiſci, etiam in media afflictione & pœna malorum. Sic olim cum Aegyptum & alias nationes fame uellet cohercere, præmiſit Ioſephum, per quem domum Iacob & innumeras alias gentes conſeruaret. Vides in his luculentiſsimè, ex Deo eſſe, quòd aliquando lædantur ſegetes, & pereant uineæ & oliueta: & ex eodem quoque eſſe, quòd frumenta proueniant, & uina. Sic in lege prius etiam conteſtatus eſt, Leuit. 26. & Deut. 28.

Aperitur ſigillum quartum.

Peruenimus iam ad ſigillum quartum, ad cuius apertionem & operationem contemplandam ab aquila, animali quarto, excitamur. De quo ſuperius ſemel & iterum eſt dictum. Prodit autem equus pallidus, Græcè χλωρὸς eſt: is color refert gramina & herbas flaccidas, *gälgrün*. Solomon Eccleſ. 12. appellat colorem diffuſum per corpora: & uultum mortuorum, liquorem aureum. Poetæ omnes appellant mortem pallidam. Et ſeſſor quidem diſertè uocatur Mors: Germanicè, *der Todt*. Intelligimus curſum peſtis, & omnium morborum, denique ipſius mortis: quam ſequitur infernus, id eſt, fouea uel ſepulchrum. Hebræis enim Scheol, foueam ſignificat. Quod ſi omnino intelligas de loco damnatorum, præcipites aguntur ſanè in tartara. quotquot morbis hic abſumpti, ſine fide & pœnitentia moriuntur. Rectè ergo mortem ſequitur infernus. Sin intelligere malis per infernum, ſepulchrum: ſignificatur, omnia funerib. & ſepulchris complenda.

Equus pallidus.

Peſtis & morbi.

Et quidem afflixiſſe peſtes funeſtiſsimas Romanum Imperium propter ſpretum Dei uerbum, teſtis eſt Oroſius lib. 7. in rebus L. Aur. Veri & Decij imperatorum, atrociſsimorum fidei noſtræ perſequutorum. Euagrius Eccleſ. hiſt. lib. 4. cap. 29 commemorat miranda de peſte graſſante per annos circiter quinquaginta. Sed & nemo ignorat, quanta peſte & morte ſubitanea attrita ſit Italia temporibus Mauritij imperat. & Gregorij epiſcopi Romani. Tempus me deficeret, ſi omnes omnium temporum peſtes & calamitates ex hiſtorijs commemorare uellem. Quid hodie fiat, & noſtra memoria factum ſit, ipſi melius noſtis. Sæuierunt morbi, quorum nomina maiorib. noſtris nunquam fuerunt cognita. His malis calamitatibusque Deus atterit mundum, & attriuit ſemper, ut

plagis reuocaret ad pœnitentiam. Sic ſanè iudicabimus ſemper de calamitatibus. Si quî aliter iudicant, non emendantur: ergo affliguntur hic, & poſthac perpetuis cruciatibus torrebuntur.

Quatuor Dei flagella contra incurabiles.

His præterea adijcitur & aliud, Et data eſt illis poteſtas, &c. Cum enim homines ſimplicibus calamitatibus non emendantur, conduplicantur mala, ſiue flagella Dei. Ea commemorantur eodem ferè ordine & numero apud prophetas, Ieremiam 15. cap. & Ezech. 14. cap. Sunt enim, Gladius, fames, mors uel peſtis, & beſtiæ: ita recitãtur antea in lege quoque. His ueluti à quatuor cardinibus immiſsis iudicia ſua exequitur iuſtiſsimus Deus.

Obſeruemus autem illud in primis, quòd à Deo datur poteſtas interficiendi, & quidem ſuper quartam terræ partem. Diſcimus enim, Deum ſolum eſſe qui uiuificat & cædit, & quòd id operatur iuſtiſsimè per ſua organa: denique quòd numerata ſunt, & ordine geruntur illius omnia. Vnde ſuper tertiam partẽ orbis effundit furorem. Scit enim is, quos puniat, & quos benignè foueat.

Panolethria.

Hiſtoriæ certè teſtantur, deſperatis rebus, & ad extremam corruptelam perductis, Deum induxiſſe gladium peſtem, famem & beſtias, quæ homines afflixerunt. Commodum hic Aretas recitat anteceſſoris ſui S. Andreæ Cæſarien. epiſcopi, ex Euſebij eccleſiaſti. hiſt. uerba, de calamitatibus, hominibus Maximini imperio illatis. Quod ſanè unicũ quidem exemplum pro multis eſſe poterit. Extat apud Euſeb. eccleſ. hiſt. lib. 9. cap. 8. Equidem intra 500 hoſce annos proximos, ſimilia plurima exponunt hiſtorici, & nos quædam uidimus.

Proinde ſi malis tantis liberari cupimus, ſeruiamus Deo in ueritate, & magni faciamus uerbum eius, quod ipſe miſit, ut ſanaret nos. Aequiſsimũ eſt autem, ut qui ſanam doctrinam abijciunt, occupentur uarijs animæ & corporis morbis, &c.

Implicãtur malis & boni.

Dicis, At hæc mala implicant etiam optimum quemq;. Implicant ſanè. Cur hoc Deus permittat, multis oſtendit Auguſtinus lib. 1. de ciuit. Dei. Certè pijs omnia ad bonum cedunt. Eodem crucis ſupplicio affecti ſunt latrones cum Chriſto, & hic cum illis: ſed longè diuerſiſsima eſt horum ratio. Cadunt apoſtoli gladio, & martyres innumeri: cadũt & milites in acie & bello, ſed ſorte impari. Cõſortes fiunt paſsionis filij Dei pij, impij puniuntur propter ſcelera, & ſine gloria ipſorum eſt paſsio: quinimò initium eſt hoc, ni ſi agnoſcant percutientem ſe, perpetuarum pœnarum. Dominus ſeruet nos à malo.

Aperitur ſigillum quintum, & oculis ſubijcitur perſequutio fidelium, & ſtatus martyrum in alio ſeculo.

CONCIO XXXII.

ET cum aperuiſſet ſigillùm quintum, uidi ſubter altare animas interfectorum propter uerbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant. Et clamabant magna uoce, dicentes: Vſquequò Domine, qui es ſanctus & uerax, non iudicas ac uindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra? Et datę ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt eis, ut requieſcerẽt adhuc puſillum temporis, donec complerentur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi eſſent, ſicut & ipſi.

Sigillum quintum adapertum ab agno, exhibet oculis noſtris, imò contemplandas obijcit continuas eccleſiæ perſequutiones: & exponit nobis diligenter, quæ ſit ſors eorum qui cadunt in perſequutionibus. Chriſtus quidem Dominus miniſtros & doctores emittit ad ſalutem hominum. Hi uerò ingrati, omnibus iniurijs adoperiunt fideles Dei nuncios, tandem & atrociſsimè trucidant. De quare cum uarij ſint inter homines ſermones, ipſe Dei filius in præſenti eleganter ſuâ erudit eccleſiam, exponens quid paſſuri ſint pij.

Principiò

Principiò autem in his explicandis, in genere dicemus de perſequutionib. quib. non tam miniſtri, quàm tota fidelis eccleſia, uariè eſt exercitata. Chriſtus Dominus multa de futuris prædixit in Euangelio perſequutionibus nimirum ut animos omniũ fidelium præpararet ad pugnam & patientiam. Loci extant Matthæi decimo, & uiceſimoquarto: Lucæ duodecimo, & uiceſimo primo: Ioan. 14. 15. 16. Sed & Acta apoſtolorum multis commemorant, quæ pij paſsi ſint in primitiua illa eccleſia ſanctiſsima. An mentis compos fuiſſe putandus fuerat, ſi quis tunc dixiſſet: Inde claret, apoſtolicam eccleſiam non eſſe eccleſiam, quòd ſit expoſita omnib. omnium ſannis, iniurijs & cædibus? Cur ergo hodie non agnoſcimus toto errare cœlo illos, qui metiuntur eccleſiam ex pace & tranquillitate externa rerum? Paulus Oroſius hiſtoriarum lib. 7. decem recenſet perſequutiones graues, in eccleſiam commotas à temporib. apoſtolorum ad Conſtantinum uſq; principem: quod quidem tempus trecentorum non pleno abſoluitur annorum curriculo. Primam primus commouit Nero, monſtrum hominis, cuius ipſe etiam Tacitus meminit in Annalibus. Suſtulit hæc Petrum & Paulum, Apoſtolos Chriſti ſanctiſsimos. Secundam intulit eccleſiæ cladem Domitianus, qui & Ioannem illum noſtrum totamq; eccleſiam grauiſsimè ea afflixit perſequutione: adductumque illum Romam, Patmon exilio relegauit. Tertiam concitauit Traianus, cuius & Plinius Aſiæ procos. lib. Epiſt. 10. meminit. in ea beſtijs obiectus, & diſcerptus eſt Ignatius epiſcopus. M. uerò Antoninus Verus quarta perſequutione exercitauit eccleſiam, & Polycarpũ epiſcopũ digniſsimum flãma conſumpſit. Quintam perſequutionem cõcitauit Septimius Seuerus, quã perſequitur Euſebius in 6. hiſt. Eccleſ. lib. Iulius Maximinus Pamphilum martyrẽ occidit, & Sextus in eccleſiam truculẽter ſæuijt. Decius uerò Traianus ſeptimam perſequutionem inſtituit, & plurimos Chriſtum confitentes cæcidit. Iam uerò Licinius Valerianus Imp. capite truncauit Cyprianum, optimum Carthaginen. eccleſiæ præſulem, & octauus ſæuijt in eccleſiam. Aurelianus uerius cœpit nonã perſequutionem, quàm aliquouſq; prouexerit. mox enim à iuſtiſsimo Deo eſt ſublatus. At Diocletianus & Maximianus plus hauſerunt Chriſtiani ſanguinis, quàm ulli ex imperat. Romanis. Legatur obſecro ingreſſus uel principium lib. 8. Eccleſ. hiſt. Euſebij. Confer illa cum noſtro ſeculo, & deinde iudica aut diuina quid breuĩ ſit uenturum, & quę futura ſors noſtra. Renouatæ ſunt rurſus perſequutiones poſt Conſtantinum, ſub Cõſtantio & Iuliano. Omnium uerò grauiſsimè efferbuerunt ſub Antichriſto, & durarunt modò per annos amplius quingẽtos. Quid hodie fiat, cernit totus mundus, madet ſanguine martyrum tellus. Hæc præuidit Ioannes.

De perſequutionibus eccleſiæ.

Cauſſæ uerò perſequutionum exoriũtur partim ex gubernatione Chriſti, qui hic ſigillum quintum aperit: partim ex hominibus. Immittit crucem & ignem ſuis Dominus, ut ceſſantes inſtauret, rubigineque obductos purget, & aurum corruptum excoquat. Sic enim ſcriptura definit Danielis 11. & Apoſtolus 1. Petri 4. cap. Chriſtus ergo nõ ut perdat, ſed ut purget, tyrannis permittit in eccleſiam plurima. Homines etiam pij cõſcifcunt in ſe manum Domini grauem, dum rectè quidem credunt in Dei filium, & ab uno pendent: ſed impediuntur interim uarijs & prauis quidem affectibus, eaq; perpetrant quæ minimè decebat. Videre hoc licet copioſiſsimè expoſitum in principio 8. lib. Euſebij eccleſ. hiſt. quem modò etiam citauimus. Aliud uerò ſpectant tyranni perſequutores: ſicuti & Sanherib & Antiochus, & hodie epiſcopi & principes. Hi enim odio religionis commouentur, & à ſathana inſtigantur. Volunt incolumem omnino religionẽ ſuam idololatricam, & funditùs exciſam religionem euangelicam. Nolunt omnino argui uel idola ipſorum, uel alia peccata: ideo excandeſcunt in fideles, liberè increpantes idola & ſcelera. Sic autem exoritur, progrediturq; & efferueſcit perſequutio.

Cauſæ perſequutionum.

Quam cum fideles incrementa ſumere cernunt, & ſe proteri grauiter ſentiunt, mirantur, quamdiu uelit hoc diſsimulare Dominus. Clamant multi: Negligit res ſuas Dominus, *vnd wirt mengem die hilff zekurtz*. Iniquè uidetur cum ſuis agere Dominus. Videtur omnino ſuorum obliuiſci. Nec dubium, quin grauiter multi murmurando contra Dominum peccent: iam ergo erudimur in præſenti, ut ſpem habeamus, & patientiam.

Murmur ex perſequutione.

Summa eorum quæ hoc sigillo aperiuntur.

Et quidem aperitur in præsenti nobis cœlum, & spectandum exhibetur, ubi sint animæ interfectorũ in persequutionib. quæ sit sors ipsorum ostenditur: item, Deum non obliuisci uindictæ: quare item hanc differat, & quandiu. Dicuntur hæc ad consolationem omnium fidelium, in persequutione iamiam laborãtium. Longè alia nobis hic exhibentur, quàm pictores, à monachis imbuti & corrupti, nobis obijciant: magnam uidelicet monachorum & nonnarum turbam, tectam pallio Mariæ in cœlo, quasi horũ maxima pars saluetur. Ioannes nullum nobis monachum ostendit, sed plures potius martyres, quos monachi hodie præ alijs faciunt. Hinc ergo, ut ex ueritatis doctrina, discemus, quod genus hominum, qui ordo, aut quis status in cœlo sit copiosissimus: non quòd neminem nisi solos martyres saluandum putemus (quotquot enim uerè in Christum credunt, & carnem crucifigunt cum suis concupiscentijs, aggregabuntur cũ sanctis martyribus, & æternùm cum Christo exultabunt) sed quod præcipuè saluantur sancti martyres, quos uesanus mundus credit interire.

Typus eorum qui saluantur.

Animæ à corporib. separatæ, immortales.

Singula porrò nobis diligentissimè excutienda uidentur. Est enim locus hic, ut lucu lentissimus, ita saluberrimis refertus doctrinis. Initiò uidet Ioannes, & nobis ueluti digito monstrat, animas, & quidem interfectorum, substantias utique spirituales & immortales, adeoq; corpore consumpto & perdito superstites. Corpus interfici potest, anima interfici non potest. Id quod Saluator noster disertè expressit Matt. 10. In Luca 12. cap. dicit, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent quod amplius faciant, &c. Proinde tyranni occidere quidem potuerunt corpora martyrum, in animã ipsorũ nullam potestatẽ habuerũt. Manifestè hic locus testatur, animas hominũ non modò immortales esse, sed & uiuas, aut uigiles, nõ dormiẽtes supersesse & uiuere in cœlo. Sunt enim qui fingãt animas à corpore separatas dormire: id quod uanissimũ est.

Martyres causa magis facit quàm supplicium.

Iam etiam ostenditur causa, propter quam sint interfecti martyres: Propter uerbum Dei, & propter testimonium, quod habebant: non propter scelera aut flagitia cæsi sunt, sed propter ueram religionem, qua agnouerunt & prædicarũt uerbum illud Dei, quod erat in principio, & factum est caro: & quod habebant commissum sibi euangelium, testimonium Dei & uitæ æternæ, quod & dispensarunt. De uerbo Dei & testimonio Iesu Christi dictum est cap. 1. Non aliam ob causam occiduntur hodie innumeri à pontificib. regib. & principibus. Si adulteri, usurarij, blasphemi & conscelerati essent, aliqua in existimatione essent: nunc cum solum Dei filium confitẽtur, & euangelium prædicant, sine ulla misericordia trucidantur. Habemus autem hic certò definitũ, qui uerè sint martyres, non qui torquentur cruciatib. sed qui propter uerbum Dei excruciantur. Nam caussa facit martyrem.

Vbi sit locus animarum interfectarum propter uerbum Dei.

Cæterùm ubi ostenduntur nobis animæ interfectorum propter uerbum Dei? Subter altare. Altare mox in 8. cap. ponitur in cœlo, ante Dei thronum. Sunt ergo in cœlo ante thronum Dei animæ omnium sanctorum, id quod superius & in typo 24. Seniorum significatum est. Sed & Dominus dixit, Vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Est autẽ in cœlis Dominus: animæ ergo fidelium, quorum corpora cæsa sunt, aut alioqui citra cædem sepulta, nullibi quàm in cœlo sunt. Interim non caret singulari mysterio, quod subter altare ponũtur, ueluti sub umbraculo, cuius beneficio animabus bene sit. Aram alibi diximus, & hic repetimus, significare Christum. Hic enim & aureum est altare, intercessor & expiatio pro peccatis nostris. Propter Christi expiationem, seu propitiationem & interuentum, recipimur in gaudia cœlestia. Et Christus est uita & salus nostra. Sub illo tanquam latibulo aut umbraculo latemus. Aquinas hunc Ioannis locum enarrans: Per altare, inquit, signatur Christus, in quo & per quem patri offerre debemus, quicquid boni agimus: & per ipsum est acceptabile, quicquid Deo est gratum. Sub hoc altari, scilicet sub Christo, sunt animæ, nõ solum in statu uiæ (dũ scilicet in hisce terris uersamur) sed etiam in statu patriæ (utique in cœlo) sicut sub eo à quo protegũtur, sicut sub umbraculo cõtra omne malum. Hæc ille. Sed & aliud etiam significari arbitror, conformes factos martyres aræ, id est passioni Domini, & ideo nunc sub ara Christo requiescere. Qui enim cum eodem participant in passione, cum eo ipso communicant & in gloria. Vt autem sinus Abrahæ, dictus est receptus & portus ille salutis, in quem

Animæ subter altare.

Ara & sinus Abrahæ.

quem recipiuntur animæ eorum qui fidem Abrahæ habuerunt: ita intelligimus aram locum esse beatitudinis in cœlo, in quo requiescunt, qui aram, expiationem & sanctificationem satisfactionemque Christum agnouerunt uera fide: sed & in passionibus se obtulerunt Deo in Christo, per patientiam, uictimam Deo gratam. Sub hanc aram primus Abel martyr collectus est: collecti postea, quotquot religionis ergò occubuerunt, & colligentur, quicunque crucem baiulando: per tribulationes ingrediuntur cum Christo in gloriam.

Clamant sancti sub ara.

Iam etiam quid subter altare faciant, exponitur. Clamant ipsi inquam martyres, non animalia, sicut hactenus: clamant autem uoce magna. Nemo imaginabitur, animas beatorum in cœlis queri & dolere & accusare & perturbari. Affinguntur hæc in aliũ finem, ut inde colligamus, Deum non obliuisci suorum, non expungere omnem uindictam uel ultionem, uidere, sentire, & requirere suorum iniurias & neces. Cum uindicta non protinus sequitur, uidetur multis dormire Deus, nullamq; suorum habere rationem. Audimus ergo, sanctos martyres clamare, & uoce quidẽ magna. Allusum apparet ad illud Genesis 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, nimirum pro uindicta. Clamantia enim theologi appellant peccata quædam, ueluti ea quæ leguntur in scripturis clamare ad Deum, qualis est in præsenti effusio sanguinis: Sodomia, Genesis 19. oppressio uiduarum & pupillorum, Exodi 22. & merces detẽta laboris, Deut. 24. & Iacobi 5. Vtcunq; ergo differatur à Deo uindicta in annos multos, non tamen uenit sanguis iustorum in obliuionem coram Deo. Clamat Paulus ad Hebr. 12. & dicit, sanguinem Abel loqui. Lucæ 18 ait Dominus, afflictos clamare die & nocte pro assertione. utinam hæc expendãt, quorum pedes ueloces sunt ad effundendum sanguinem. Noluit quõdam populo suo propitius esse Deus, quòd plurimum innoxij cruoris in ipso esset, opera Manasis effusum: quod in 4 lib. Reg. extat. Seriò itaq; cogitemus hodie, quid agamus, fratres, & ne temerè sanguinem effundamus innoxium.

Clamantia peccata.

An uindictam postulent diui in cœlis.

Certè exprimũtur à Ioanne uerba, quę clamauerint ad Dominũ martyres: Vsquequò, inquiunt, Domine, qui es sanctus & uerax, &c. Admonent Deum, non ut ignorantem aut incõstantem, sed ut scientem, & firmissimè sanctitatis & ueritatis memorem. Quia enim sanctus est Dominus, odit omnes prophanos & immundos uel impuros, nec parcit eis. Quia uerax est, tuetur & asserit suos, hostes uerò punit & opprimit, sicuti uerbo suo promisit. Cum ergo talis sis, inquiunt, ô Deus, quare non iudicas & uindicas sanguinem nostrum, de his qui in terra, ueluti in regno suo exercent tyrannidem, & optimum quenq; opprimunt? Id totũ nihil aliud significat, quàm Deum propter seipsum, qui est sanctus & uerax, nunquam obliuioni traditurũ suorum iniurias. Ergo per proso popœiam hæc dicta intelligimus: non quòd sancti in cœlis expostulent cum Deo, sed ut nos per talem figuram intelligamus martyres Deo esse curę, quia sanctus est & uerax. Augustinus in quæst. ex nouo Test. quæst. 68: Cum Dominus docuerit, inquit, orare pro inimicis, quid est quòd animæ occisorum clamant sicut sanguis Abel, & se uindicari postulant? Et respondet: Non impatientes sunt sancti, ut urgeant iam fieri, quod sciunt tempore præfinito futurum, quod nec anticipari potest, nec differri: sed hoc dicto ostendere uoluit, uindicaturum Deum sanguinem sanctorum suorum, ne quia tam patiens nunc uidetur, inultum putaretur impium bellum, quod contra sanctos geritur: ut & terrorem incutiat persequentibus Dei seruos, & exhortaretur patientes ad patientiam. Hæc ille. Et hic quidem sensus uidetur omnium simplicissimus, maximè si spectemus quæ sequuntur in responsione Domini, Et dictũ est illis ut requiescãt, &c.

Primasius Vticensis episcopus hunc locum Ioannis exponens, Non credendum est, ait, carnali sensu & animositate sanctos incendi ad ultionem, cum ab eis, hic positis, per affluentiam charitatis, inimicos quoque diligi nouerimus: sed eos manifestum est, contra peccati regnum orasse, & alia illius regni desiderio postulasse, de quo dicimus, Adueniat regnum tuum. Neque enim fas est, eos credere contra Dei nutum quicquam cupere, cum eorum desideria ex eius pendeant uoluntate, &c. Gregorius uerò: Quid est animas, inquit, uindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum iudicij, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Aretas ex commentarijs Andreæ Cæ-

sarienſis epiſcopi, hæc hic annotat: Etiam per hæc apparēt ſancti, mundi petere cōſummationem. Quare patienter ferre iubentur, uſque ad fratrum ſuorum completionem, ne abſque illis compleantur, iuxta diuinum (Hebræ. 11.) Apoſtolum.

Duplici ratione petitur uindicta.

Aquinas uerò in explicatione Apocalyp. oſtendit duplici ratione uindictā à Deo poſtulari. Principiò quidem ex affectu planè prauo & malicioſo. Ita uerò reprimi hunc quidem inſcripturis affectū. Deinde zelo iuſticiæ, & ſecundū uoluntatē Dei peti iudicium contra incurabiles. Poſtea hæc ſubiungit: Ideo petūt uindictam inimicorum, licet principaliter eam non intendant, quia ex zelo iuſticiæ & ex affectu diuini amoris indignantur beatæ animæ: ſicut & ipſe Deus contra nequitiā perſequutorum, qui ipſum Deum impugnant, & eius cultum impedire ſatagunt, & eius cultores affligunt, unde eorum malitiam & poteſtatē terminari uellent. hæc ille. Cum uerò ſcriptura concorditer ubique teſtetur, doloribus & perturbationibus liberatos eſſe ſanctos in cœlis, & iā nouam uiuere uitam, alieniſsimam à doloribus & perturbationibus, & ſuam illos uoluntatem ſubieciſſe uoluntati Domini, quem ſequantur in omnibus, omnia eius iudicia, dicta & facta approbando, imò & adorando: non puto acutius de his in præſenti eſſe diſputandum, ſed ſimpliciter intelligendū, hac ueluti proſopopœia (ſicuti & alibi tribuitur ſanguini effuſo martyrum clamor) ſignificatum eſſe, ſanguinem oppreſſorum nunquam abire in obliuionem coram Deo, eſſeque coram Deo iudicium iuſtum, & uindictam paratam, ſuo tempore exercendam contra omnes Dei hoſtes atque contemptores: in primis uerò contra perſequutores uerbi, & parricidas ſanctorum. Id quod plenius explicatur per conſequentia.

Quid reſponſum martyrib. uindictam poſcentibus.

Etenim per conſequentia ad querimoniam martyrum ſic reſpondetur, ut intelligamus, quæ ſit ſors aut gloria ſanctorum in cœlis, qui corpora ſua pro teſtamento Dei expoſuerunt: & Deum non eſſe oblitum ſanguinis effuſi, uerùm ipſum ſuo demum tempore ſanguinarijs repenſurum. Hoc tempus cum ſibi reſeruarit, quando ſcilicet ſanguinarijs repēdere uelit, noſtrū nō eſſe curioſius inquirere: ſed apparari potius, ut ſi uelit & nos propter Chriſti Ieſu teſtimoniū pati, accincti & alacres curramus per afflictiones ad gloriam, nihil dubitantes, quin cōiungendi ſimus martyribus in cœlo beatis, & iuſtum iudicem in die illo repenſurum omnibus Dei & eccleſiæ & uerbi Dei hoſtib. pro merito. Quanquam uerò carni ſeculum uideatur tempus, quo patitur: breue tamē hic & alibi in ſcripturis appellatur. Sed uidenda & conſideranda ſunt hæc per partes.

Animarum ſtatus in cœlis feliciſsimus.

Principiò quidem ſtatus animarū in cœlis per omnia eſt feliciſsimus. Id quod adumbratur per ſtolas candidas. Significatur enim gloria beatorum, iam in luce uerſantium, neque quidpiā ſentientiū atri. De hac ueſte dictum eſt ſuperius. Significanter autem dicitur, Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. Singulæ enim animæ ſua accipiunt præmia: ſed & corpus ſub finem ſeculi ſuam quoque peculiarem accipiet ſtolam. Gregorius: Sancti ſola adhuc, inquit, animarum beatitudine perfruuntur: in fine uerò mundi, binas ſtolas accepturi ſunt, quia cum animarum perfecto gaudio etiam corporum incorruptis ueſtientur. De his diligentius differetur ſub finem cap. 7. ubi hic locus copioſius explicabitur. Deinde dictum eſt animabus beatis (ἀναπαύσωνται) ut requieſcant. In quiete ergo uerſantur per omnia, nihil ſentiunt perturbationis. Quod 21. cap. magis explicatè dicetur. quanquam referri poſsit & ad dilationem & reſpirationem, quaſi dixerit: Animabus ſignificatum eſt, ut hactenus differant & expectent. Sequitur enim: Adhúc puſillum temporis. Ergo ſignificat Deus, breue poſt tempus ſe aſſerturum ſuos, & aduerſarios puniturum.

Breue tempus perſequutionis.

Videtur autem temporis notatio ſumpta ex 2. cap. Abacuk, qui locus & ab Apoſtolo citatus eſt ad Hebr. 11. Adhuc enim perpuſillum temporis, quoniam qui uenturus eſt, ueniet, & non tardabit. Iuſtus autem ex fide uicturus eſt, &c. Iſaię 26 in hęc uerba legimus (poſtquam oſtendit reſurrectionem futuram, & finem ſeculi uenturum) Ergo populę mi, & ingredere in penetralia tua, & poſt te claude oſtia tua, lateas paululum uel ad momentum, donec prætereat indignatio. Sed & Petrus totum hoc afflictionis ad iudicium uſque tempus, uocauit breue tempus, ut in eo conſolationem accipere mus. 1. Pet. 1. & 2. Pet. 3.

Addi-

Additur his etiam aliud, quod tempus absoluit plenius, donec complerentur conser
ui & fratres eorum, qui & ipsi propter uerbum Dei sint interficiendi. Ne ergo posthac
interrogauerimus, quis tandem finis persequutionum? quare uindictam differat Domi
nus, & quandiu? Nam audimus, cõplendum esse numerum electorum. Id tempus cum
soli Deo cognitum sit, ne simus curiosi: sed cogitemus ea quæ sunt nostri officij, ut si res
ita tulerit, fortiter & nos moriamur pro Dei nostri testamento, ut possimus sociari fra-
tribus & conseruis nostris, ac frui conspectu redemptoris nostri. Complebitur nume-
rus in fine seculi, ad iudicium extremum. Hactenus ergo durabit persequutio: sed cer-
tò tum rependet Dominus, quod & Malachias testatus est, Malach. 3 & 4. cap.

Quid iudicemus de sanctis in cœlis.

Discimus ex his etiam, quid iudicemus de beatis in cœlo martyribus & animabus
fœlicibus: illud quod hic discimus ex uerbis diuinis. Fratres, συνδοῦλοι, conserui (sicu-
ti & angeli, Apoc. 19 & 22.) diserte appellantur, non domini & patroni. Quanquam e-
nim de nobis adhuc uiuentibus uerba intelligi oporteat, est tamen relatio. Si enim nos
sumus fratres & conserui illorum, certè illi nostri quoque fratres sunt, & nobiscum ser-
ui Dei, adeoque conserui. Iam ut donemus illos orare in cœlis, quid oro hic orant, nisi
ut uindicet & puniat Deus? Quid uerò impetrant? Sicut matri dictum legimus, ninum
postulanti in nuptijs, Quid mihi tecum mulier? nondum uenit hora mea: ita hic quo-
que differre iubentur martyres, & expectare tempus à Deo destinatum. Id quod san-
ctos facere credimus. Quid ergo de illorum intercessione pro peccatorib. apud Deum,
dicere possumus? Vnus est datus intercessor Christus Dominus, illum accedamus in o-
mnibus nostris necessitatibus, hic unus sufficiet omnibus, & in omnibus.

Hæc dicta sunt hactenus de persequutionibus omnium temporum, ut interim con
solationem maximam suppeditarint omnibus persequutionem sustinentibus in finem
usque seculi: quæstiones item curiosiores absciderint, & nos totos in uoluntatem Dei
securos collocauerint, in qua unicè acquiescẽtes, sciamus illam erga nos esse optimam.

Prænotiones in afflictionibus.

Oportet ergo colligere prænotiones aliquot, & his nos ut certissimis Dei pronuncia
tis consolari. Principiò, Deum esse ueracem & iustum: ergo suos non negligere, sed pa-
terna prosequi cura. Quod si coniecerit nos in aliquam difficultatem, id quidem pijs ce-
dere ad utilitatem magnam. Si sustulerit è medio per tormenta, liberare illum nos à ma
lis, à calamitatibus & corruptelis huius seculi, rependere pro his æterna. Deinde cer-
tum est, cum Deus iustus sit & uerax, rependere ipsum impijs pro merito. Si interim fe-
lices reddiderit in hoc seculo, id quidem pertinere ad ipsorum interitum. Quod tardi-
us puniat, id longanimitate fieri diuina: sed Deum grauitate supplicij recompensare tar
ditatem, si sint incurabiles. Hæc cum indubitanter sint certissima, quid restat nisi ut
Deo nostro omnia nostra & nos committamus? Nouit ille tempus & modum quo uin
dicet suos, & affligat hostes suos. Ipsi gloria in sempiternum. Amen.

Aperitur sigillum sextum, & exhibetur corruptela doctrinæ sinceræ.

CONCIO XXXIII.

ET uidi, cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræmo-
tus magnus factus est. Et sol factus est niger, tanquam sac-
cus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis: & stellæ
de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus abiicit gros-
sos suos cum à uento magno mouetur: & cœlum recessit, sicut liber
qui circumuoluitur.

Corruptela doctrinæ sanæ in ecclesia.

Sextum sigillum apertum ab agno, in genere aperit nobis, & omnium oculis expo-
nit cõtemplandam, corruptelam doctrinæ in Ecclesia, cum effectu eius lugubri & ter-
rifico. Neq; aliud hic dicitur in sexto sigillo, ut & in præcedentib. quinq; sigillis, quàm
quod ab eodẽ Domino nostro Iesu Christo est prædictũ Mat. 24. prædicandũ fore Euã-

gelium per orbem: uentura autem bella, fames, peſtes, perſequutiones grauiſsimas: & pſeudoprophetas, qui ſeducant homines, quos & grauiſsimis doloribus immergant.

Chriſtus non eſt author corruptæ doctrinæ.

Cęterùm religioſe hęc ſunt exponẽda. Nõ etenim, quòd agnus ſigillum aperit ſextũ, & ſol protinus nigreſcit, ſentiendum eſt, Chriſtum eſſe authorẽ corruptæ & prauæ doctrinæ. Chriſtus enim eſt, qui ſeminat in agrum ſemẽ bonum, homo inimicus ſeminat zizania: ſicuti ipſe exponit Dominus Matth. 13. Docet ergo Chriſtus ſanam doctrinam per apoſtolos & ſinceros prædicatores: quæ cum mundo ſordeat, & placere non poſsit, iuſto ſuo iudicio relinquit contemptores ſuis affectib. & ut apoſtolus Paulus dicit, Immittit eis efficaciam illuſionis, ut credant mendacio, atque ita iudicẽtur omnes qui ma

2. Theſſ. 2.

luerunt mendacio quàm ueritati credere. Eſt autem ſeductio per doctrinam deprauatã, pernicioſius malum, quàm ſint ſanguinolentæ perſequutiones. Plus ité detrimenti maliq́ue dederunt eccleſiæ Dei, ſeductores uel pſeudoprophetæ, quàm truculẽti tyranni. Denique grauius puniuntur homines, cum relinquuntur ſeducẽdi impoſtorib. quàm cum laniandi obijciuntur cæſoribus. Proinde grauiſsimum eſt Dei ſupplicium, & horrendum planè, propter ueritatem ſimplicem aſpernatam, tradi mendacibus impoſtoribus, qui te pro tuo merito & percacent & permingant, ſit honor auribus. Etenim cum multis prædicetur Euangelium purè, excipiunt iſti, Non intelligo quid iſti nos doceãt ex Euangelio: hoc autem uidere poſſum, ueteres pfaffos nos permerdaſſe, nouos autem nos ipſos & permingere & percacare. Obtingent ergo tibi doctores, qui id tibi pręſtent, quod prædicas. Vtinam careremus exemplis: & non cerneremus gentes aliquot, quæ liberam puramq́ue Euangelij antea quidem prædicationem habuerunt, iam uerò omni ſpoliatas ueritate, gemere ſub libidine & audacia ſceleratiſsimorum pfafforum, qui uerbum Euangelij pedib. calcant, & ueluti hæreſim damnãt, ſtercora autem humana plenis uelis in ora miſerorum infarciunt. Hæc eſt pœna aſpernatæ ueritatis.

Corruptela doctrinæ in eccleſia.

Hic autem locus non de uno aliquo ſeculo exponendus eſt, cum adhuc uniuerſalia commemorentur: ſed de toto illo tempore, quod intercedit inter Apoſtolorũ ſeculum, & iudicium extremum. Comprehendit ergo corruptam doctrinam Valentini, Marcionis, Manichæi, Nouati, Arij, Macedonij, Neſtorij, Eutychis, Donati, Pelagij, Priſcilliani, hæreticorum deniq; omnium, & ex his compoſitam Mahumedis commixtionem, in primis autem Antichriſti & miniſtrorum eius ſophiſticẽ & dogmata impuriſsima.

Terræmotus.

Cæterùm cum aperiretur ab agno ſigillum ſextum, non iam ut antea auditæ ſunt uoces animalium, aut ſeniorum martyrumúe, ſed horribilis terræmotus. Terræmotus in ſcripturis ſignificat uehementem rerum omnium commotionem, turbas, atque rerum permutationes graues. Et quidem non aliunde grauiores oboriuntur tenebræ, quàm ex mutata doctrina pia, & recepta praua. Ita enim exoriuntur ſectæ, ſeditiones, bella. Exempla uidere licet plurima in hiſtoria ueteris populi, qui horribiliter concuſſus legitur, quoties religionẽ & genus doctrinæ mutauit. Proinde ſignificatur per hũc terręmotum, maximas rerum turbas exorituras, ex eo quòd nouũ & alienũ ab Euangelio doctrinæ genus inducendum ſit in orbem, à male feriatis hominibus.

Authores ſeditionum & turbarum.

Habes hic, quid illis reſpondeas qui Euangelio, & eius præconib. imputant, quicquid hodie eſt in orbe turbarum, ſeditionum & motuum. Vnus Helias reſpondit pro nobis ſemel, ut omnibus ſufficiat temporibus. Locus extat 3. Reg. 18. Non ego turbaui Iſraelem, ſed tu & domus patris tui, qui deſerueris Deum, &c. Huc pertinet etiam hiſtoria Ieremiæ 44. cap. ubi doctrinę ſinceræ & Ieremiæ prophetæ præter cauſam impingũtur omnia mala, quæ tunc atterebant impios. Diſce item, quid illis reſpondeas, qui dicunt: An ueriſimile eſt, Deum permiſiſſe eccleſiam in erroribus computreſcere tot ſeculis, &c.

Sol obſcuratus.

Per partes autem deſcribitur doctrinæ corruptela, à uertice ad calcem uſque, & adijcitur etiam effectus doctrinæ corruptę. Et principiò quidem ſol, ſidus lucidiſsimũ, non modò obtenebreſcit, ſed etiã nigreſcit. Additur mox icon uel parabola, ὡς σάκκος τρίχινος, ſicuti ſaccus cilicinus, qui uidelicet conſutus aut contextus eſt ex pilis uel ſetis. Sol illuminat & uegetat orbem. Per Chriſtum autem, qui eſt lux mundi, illuminamur & uiuificamur. Spargit is de ſe illuſtres euãgelicæ ueritatis radios. Et ut Chriſtus in ſeipſo

non

non obſcuratur: ita neque Euangelij ueritas, quæ ſua natura eſt impolluta. Ex atrore nubium obiectarum lux ſolis nigreſcit ac impeditur: ex hominum autem traditionibus & ſcripturæ corruptelis, obſcuritas oritur, atque nigredo in religionis negotio. Euangelium per ſe eſt illuſtre & ſalutare: Chriſtus, lux, plena redẽptio, ſalus & uita perfectiſſima. Cum autem malunt homines ab alijs petere doctrinam, uitam & ſalutem, quàm à Chriſto & ſalutari eius euangelio, oboriuntur in eorum hominum mentib. tenebræ denſiſsimę. Alia enim quàm Chriſti conſtituitur doctrina, iuſticia, interceſsio, expiatio, ſalus & uita. Eam doctrinam qui recipiunt, uidentur ſibi cilicinam induxiſſe ueſtem, quæ pungit & urit & moleſtat perpetuò. Nulla enim tranquillitas, quies, ſecuritas, aut ſpiritualis eſt uoluptas & refectio ex corruptela doctrinæ, ſed duntaxat moleſtia. Chriſtus purus, ſincerè receptus, gaudium eſt hominis ineffabile, & lux ſplendidiſsima, lætiſsimaque. *Saccus cilicinus.*

Deinde additur, lunam totam, non tantum ex parte, factam eſſe ſanguineam. Icon enim iterum apponitur, Sicut ſanguis. Luna accipit lumen à ſole, & uiciſsitudinib. ſubiecta eſt, dum modò creſcit, modò decreſcit, & ſignificat eccleſiam. Eccleſia in petram impoſita, non eſt inſtabilis: ſed propter uariam fortunam, diuerſiſsimis eſt ſubdita caſibus. Iam enim triumphat, mox ueluti oppreſſa luget: iam augetur numero, mox minuitur. Illuminatur autẽ eccleſia à Chriſto. Cæterùm dum ſol ipſe obtenebratus eſt, non poteſt non obſcuriſsima eſſe luna. Sanguis in ſcriptura ſignificat grandia ſcelera, idololatriam in primis & falſum Dei cultum. Dominus Leuit. 17. dicit ſe alienum cultum reputaturum pro ſanguine. Obſcurata ergo in eccleſia Chriſti, fide & cognitione, nõ poteſt non exoriri in uniuerſa eccleſia ſanguis: id eſt, corruptus Dei cultus, quem Dominus ueluti cædem æſtimat: non poſſunt non innumera peccata & ſcelera ſubnaſci. Corrupta enim doctrina uitæ de Chriſto, neceſſe eſt corruptiſsima eſſe omnia, & ſcatere iam ſuperſtitionibus atque iniquitatibus omnia. *Luna eſt ſicut ſanguis.* *Sanguis.*

His accedit aliud, quod iſta quæ diximus, ituat: Stellæ cadunt de cœlo in terrã. Stellas appellauit Daniel doctores, cap. 12. ita & beatus Petrus 2. Pet. 2. Doctores ergo eccleſiarum deficiunt à doctrina cœleſti uel Chriſti, allata & reuelata à cœlis, & reducente ad cœlum, & conſeruante in cœleſti conuerſatione: recipiunt autẽ terrenam, id eſt humanam doctrinam. Qua re fit, ut & ſol obſcuretur, & luna reddatur ſanguinea. Stellæ lucẽt. Doctores Chriſtum lucem toti mundo proponere debebant: ſed hoc neglexerunt, ſuis intenti traditionibus. Additur & his icon, Stellæ ceciderunt ſuper terram, *ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη*, *wie der fygboum abwirfft (fallẽ leßt) die vnryffen fygẽ, wenn er vom groſſem wind bewegt oder gſchütt wirt.* Significatur & corruptela doctorũ, & ipſorum copia magna. Ficus enim creata eſt, ut dulces proferat fructus: ſic & miniſterium uerbi inſtitutum eſt ad ſalutem hominum. Cæterùm non maturuerunt ficus, fiunt ergo uel manent groſsi, id eſt immaturæ ficus. Qua re ſignificatur, doctores nõ maturuiſſe in uera Chriſti cognitione: ergo deiectos quouis uento doctrinę, ut terrena receperint & tradiderint. Copia pſeudodoctorum ſignificatur uentura, quòd in magna decidunt copia groſsi, *alſo dachlet es dohar nitt von nuſſen, ſunder von falſchen lecreren.* *Stellæ de cœlo decidunt.*

Ex his iam aliud ſequitur, Et cœlum receſsit, ἀπεχωρίσθη, ueluti ex conſpectu hominũ refugit, & ueluti cõtraxit ſe. Rurſus additur icon, ὡς βιβλίον ἑλισσόμενον, ſicut liber compli catus, inuolutus: *wie ein yngewicklet bůch.* Cœlum non rarò in Euangelio ſignificat regnũ Dei. Ergo regnum Dei contrahit ſe in terris, Eccleſia ueluti ſe ipſam abſcondit: nõ quòd nulla ſit aliquando futura eccleſia (ſemper enim futura eſt eccleſia in finem uſque ſeculi) ſed quòd in fine ſeculi latebit eccleſia, neque uera putabitur eſſe eccleſia, quæ uera eſt eccleſia. Literæ & uerba non expunguntur ex libro, ſed non uidentur, imò inuoluũtur, quando complicatur. Hodie palàm fit, quid ſenſerit hac parabola Ioannes. Nam omnes ferè iudicant, Romanam illam nuperam eccleſiam, uerã eſſe eccleſiam, quæ reuera Chriſti eccleſia non eſt: hæretica iudicatur eſſe eccleſia, quæ Chriſti ſponſa eſt: itaque contracta, & quaſi inuoluta eſt eccleſia. Dominus Ieſus explicet illam, & ſeruet: Amen. *Cœlum receſsit.*

Expo-

Exponitur effectus doctrinæ corruptæ: & quòd angeli impediunt, ne flet uentus.

CONCIO XXXIIII.

ET omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt: & reges terræ, & principes, & diuites, & tribuni, & fortes: & omnis seruus, & omnis liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium. Et dicunt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam uenit dies magnus iræ illius, & quis potest stare?

CAP. VII. ET post hæc uidi quatuor angelos, stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor uentos terræ: ne flaret uentus super terram, neq; super mare, neq; in ullam arborem.

Montes & insulæ mouentur de loco suo.

Sequitur iam effectus corruptæ doctrinæ in hominibus. Mouentur à loco suo montes & insulæ: quo etiam respicitur ad terræmotum, quasi per terræmotum sint loco suo amotæ. Significant autem mõtes & insulæ, regna, respub. & homines, ita in fide firmos, ut sicut immoti sunt montes & insulæ, procellis maris non concutiuntur, ita isti uideantur immutabiles. Verùm ad mutationem & corruptelam doctrinæ, iam etiam loco dimoti, atque adeò subuersi sunt. Legentibus autem historias, occurrit ubique hæreticorum artibus, Mahumedis potentia & Papæ hypocrisi deceptos esse, quos minimè credidisses decipiendos, atque adeò defecisse urbes & regna. Est enim efficax seductio in ijs maximè, qui à petra ecclesiæ iamiam dimoueri labascereq; incipiunt.

Abscõdunt se in speluncas, &c.

Qui autem concussi, à fundamento solido dimoti sunt, recipiunt sese in speluncas & petras montium. Impossibile enim est, eum qui non tenet firma fide Christum, quiescere posse. Nam ueluti mare æstuans huc & illuc prouoluitur. Cum enim nec sanam & certam rationem uitæ teneat, nec se scripturis duntaxat regendum, ut certum teneat, credat, obuijs quibusuis se ducendum tradit. Proinde uidemus eos, quib. Christus non est unus omnia, salutẽ quærere in passagijs, in uita heremitana, in monachatu, in seuerìore disciplina, in satisfactionibus, & nescio quibus alijs ineptijs, imò blasphemijs. Atque hi reuera dicuntur se abscondere in speluncis & petris montium. Atque in his se tutos arbitrantur delitescere posse, satisfacere pro peccatis, & placere Domino.

Qui se sic abscondant.

Cæterùm multa hominum genera enumerando, comprehendit omnes in orbe ordines. Ex omnibus enim ordinibus reperti sunt non pauci nec obscuri, qui heremitanam & monasticam uitam susceperint, & uarijs se exercuerint seuerioris uitæ rationibus. Numerantur ergo reges, μεγιστᾶνες, magnates uel principes, diuites, χιλίαρχοι, tribuni, uel militiæ præfecti, ἄωατοι, fortes uel potentes in hoc seculo, serui in primis & liberi, quos hodie uocamus nobiles, *Lybeigen lüt vnd edellüt*, &c. Quot uerò reges, principes & clari in hoc mundo homines exponuntur uisendi in templis monachorum, picti in tabulis, & inserti arboribus, qui uitam uixerunt aliquando monasticam?

Cadite super nos montes, &c.

Sed ingressi monasteria, syluas, heremos, & susceptis uitæ seuerioris rationibus, uarijs satisfactionibus, passagijs, alijsque id genus disciplinis, ne sic quidem ad animi tranquillitatem peruenerunt: imò nunc magis quàm antea timuerunt, ac tantum non desperauerunt. In his enim rebus, in quibus isti requiem quæsierunt, non inuenerunt: imò extra Christum nulla quies inuenitur. Quod hic dico, intelligunt optimè, uersati in his angustijs sub infelici papatu. Sunt autem in maximis difficultatibus, atque adeò in desperatione uersantium uoces, quas hic commemorat Ioannes, quòd montibus acclamant, Cadite super nos, &c. Sic enim usurpatur hæc uox etiam apud Oseam in cap. 10. & apud Lucam in cap. 23. Significatur autem conscientia afflictissima & intricatissima,

ma,nihil uſpiam cernens aut ſentiens conſolationis:ſed nihil aliud affectans,quàm exitium præſens,quo preſenti malo,& intolerabili dolore animi liberetur. Tale eſt illud apud Maronem Aeneid.10. Turni:

— *Quid agam? aut quæ iam ſatis ima dehiſcat*
Terra mihi? Vos ô potius miſereſcite uenti,
In rupes,in ſaxa,uolens uos Turnus adoro,
Ferte ratem, ſæuis q; uadis immittite Syrtis,
Quo neq; me Rutuli,neq; conſcia fama ſequatur.

Porrò cauſſæ huius pauoris,deſperationis & abſconſionis ſunt, facies ſedẽtis in throno,ira agni,& quòd ſentiunt ſe in die iræ uel uindictę diuinæ coram Deo ſubſiſtere non poſſe. Fugiunt ergo à facie Dei,ab agno fugiũt,ut uindictam euitent,ſi euitare poſsint. Timor Dei commendatur nobis in ſcripturis, damnantur qui Deum non metuunt:uerùm ſcriptura loquitur de timore coniuncto cum uera fide & dilectione. Ioannes enim dicit, Charitas foràs eijcit timorem. Ita uerò eadem ſcriptura nobis prædicat Deum ut iuſtum,& peccatis iratum oſtendit: interim tamen clementem & benignum peccata agnoſcentibus,& ueniam petentib. Prædicat, à Deo datũ eſſe generi mortalium unigenitum filium,per cuius interuentum liceat accedere ad thronum Dei, alioqui inacceſſum. Prædicat Chriſtum Dei filiũ eſſe agnum,id eſt propitiationem pro peccatis totius mundi: & eundem omnes ad ſe uocare,neminem excludere,omnib. omnia uitæ & ſalutis polliceri & offerre. At cum hanc doctrinam ſimplicem & puram,ſalutarem,& conſolatione pleniſsimam,corrupti doctores, monachi & fex ſacrificum deſeruerint, Deum ueluti inexorabilem Rhadamantum annuncient,& Chriſtum potius iratum quàm benignum exhibeant,hominum certè mentes alienant à Deo:ut diſertè iam dicant, Quis dignus eſt prodire in conſpectum Dei? Nemo ſeruabitur coram Deo hoc ſeueriſsimo,& filio eius iudice iuſtiſsimo. Conuertuntur ergo ad uaria ſalutis media,deligunt ſibi mediatores & interceſſores,quorum interuentu & patrocinijs & meritis fauorem ſibi rediment irati numinis. Cæterùm cum apud Deum ſolius filij ualeat mediatio & interuentus, fruſtrantur miſeri iſti, ac tandem in deſperationem illam deuoluuntur. Cum ſentiunt uitam monaſticam,merita ſua,non poſſe coram Deo ſubſiſtere,refugiunt à facie Dei: & excarnificati conſcientiæ flagellis, quid agant,quò ſe uertant, ubi uera ſalus ſit neſciunt. Beatiſsimos ergo iudicamus meritò illos, qui per Chriſtum,patrem, ut patrem agnoſcunt:& per Chriſtum ad patrem ut fauentem ſibi, amantemque ipſos accedunt:agnoſcentes quidem in timore Dei peccata ſua, ſed interim uera fide ſperantes remiſsionem peccatorum,ſcientes ſe per Chriſtum Deo patri reconciliatos eſſe. Hanc doctrinam non agnoſcit plenè monaſtica & heremitica & ſatisfactoria phariſaicaque factio,ideo non explicandis torquentur doloribus. Non loquor hic de noſtri ſeculi monaſterijs aut monachis, quibus uidemus nullas propemodum eſſe conſcientias,neque aliud propoſitum,quàm ociari,uoluptuari, dominari. Quõdam reperti ſunt conſcientioſi homines,ingredientes monaſteria & ſyluas,non alia de cauſa,quàm ut ita ſaluarentur. De his loquutus Dominus in Euangelio: Cum dixerint,ait, Chriſtus in deſerto eſt, nolite egredi,&c. Nec dubito,quin hodie quoq; ſimplices aliqui hoc cõſilio uitam ſibi ſumant monaſticam:ſed experiuntur & ipſi,quod hic experturos dixit Ioannes.

Cauſſæ deſperationis.

Porrò uideri poterat hic locus exponendus eſſe de ſignis, ultimum præcedentibus iudicium,& horrore impiorum:de quibus in eandem ferè ſententiam concionatus eſt Dominus Lucæ 21. Copioſius uerò & in loco ſuo differetur de iudicio extremo in cap. huius libri 11.& 19.& aliàs. Vt autem illam expoſitionem non condemno, ita mihi quidem contexi uidẽtur in præſentiarum fata generalia Eccleſiæ, in quibus cum non poſtremas partes teneat corrupta doctrina, nihil de hac diceretur in genere, de qua quidẽ ſpeciatum 8.cap.& ſequentib. multa dicentur,niſi eo modo præſens locus exponatur, quo eſt expoſitus. Præterea rectius ſubiungentur illa quæ ſequuntur, quæ locum non habebunt in iudicio extremo:ſicuti res ipſa conuincet.

Locus exponẽdus de ultimo iudicio.

Pertinent autem, quæ ſequuntur in cap.7.ad expoſitionem ſexti ſigilli,uel ad eius tractationem. Tria autem potiſsima commemorat, angelos prohibere uentos ne flent:

ſignatam

signatam esse turbam innumeram in medio corruptelæ, ne periret: & qualis sit sors eorum qui uel martyrio, uel alioqui à corruptela enormi illa uel impolluti, uel liberati & purgati, migrarũt ex hoc seculo: quæ cõsolationis gratia subiunguntur. Est enim hic liber Apocalypseos mirè euangelicus, nõ tantum prophetijs, sed & admonitionibus, exhortationibus, & consolationibus refertissimus.

Ventus quid in scripturis.

Principiò explicandum est, quod dicitur de prohibitione uentorum per angelos, ne flent. Ventus, sicuti & fermentum, in scripturis, in bonam pariter & malam partem usurpatur. Appellatur enim doctrina uana & falsa, & spes cõcepta ex erronea doctrina, uentus: ut Osee 12. & Ieremiæ 5 & 22. Ita & fermẽtum appellatur doctrina pharisaica, & inde enascens hypocrisis. Paulus ad Ephes. 4. prohibet, ne quis circũferatur quouis uẽto doctrinæ. Et Spiritussanctus adumbratur per uentum apud Ioan. in cap. 3. & Actorũ cap. 2. Subtilis est uentus, penetrat, sentitur, non uidetur: magna est eius uis, refrigerat, exiccat, nubes cogit, quæ pluunt & inducunt terræ fertilitatem. Rectè ergo per uentum significatur Spiritus Dei, & doctrina sana, quæ est ex spiritu Dei. Vnus ergo est uentus, spiritus Dei qui spirat: & sunt quatuor uenti, id est multi per cardines cœli, & plagas terræ, id est per totum orbem terræ dispersi doctores. Ab omnibus ergo partibus inspirata doctrina Euangelij flat, uel prędicatur: ita ut plures sint uenti, omnes tamẽ ex uno profecti. Vnus enim & idem spiritus est, qui loquitur per ministros, & confert eis gratias uarias. 1. Cor. 12. Breuiter, per flatum uentorum intelligimus liberam prædicationem, petitam ex scripturis Bibliorum.

Prohibetur uerbi Dei prædicatio.

Deinde sciendum est, bonos pariter & malos esse in scripturis angelos. Angeli, quod superius patuit, ministri appellantur. Sunt autem boni & mali ministri: boni, à bono Deo & angelo: mali, à malo angelo inspirati. Excitat autem hostis ueritatis ubiq; terrarum homines, in aulis regum, in prætorijs, in scholis, in collegijs, in urbibus, oppidis & pagis, qui liberum uerbi Dei cursum impediant. Volitant ergo ultrò citroq;, denunciantur & affiguntur edicta principum & pontificum, inhibentia lectionẽ Bibiliorum, prædicationes euangelij, &c. Vt autem aliquem habeant prætextum sui facti praui, confinguntBiblia esse mille in locis corrupta, hæresim ex illis discI & doceri. Ideo etiam Biblia & libros euangelicos prohibent atque condemnant. De cuius rei indignitate non potest satis dignè dici coram ecclesia. Faciunt, quod olim leguntur fecisse Antiochus Epiphanes, Diocletianus, & alij eius generis homines. Laudem olim meruerunt maximam interpretes Bibliorum: neque dicebat quisquam fidelium, sacrum codicem esse corruptum, quòd uersiones omnes inter se non congruerent. Versamur ergo hodie in seculo corruptissimo & ingratissimo.

Est autem inhibitio lectionis sacræ, fundamentum corruptæ doctrinæ, & intricationis conscientiæ, & desperationis ex illa consequutæ. Per terram uerò, intelligit homines habitantes in terra: per mare & insulas, homines insulares, & in mari agẽtes: per arbores, homines ubique adumbratos in scriptura per arbores. Nisi autem spirent uenti, non florent arbores, neq; uirescit tellus. Propheta dicit, Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Nisi uerò prædicetur uerbum Dei, nõ reuirescunt animi mortalium, non proferuntur ab hominib. fructus bonorum operum. Ideoq; angeli uentũ prohibentes, dicuntur nocere: ut reuera nihil est pestilentius aut perniciosius, quàm oppressio liberæ prædicationis uerbi Dei. Dominus spiritu suo renouet omnes orbis partes: Amen.

Consignantur fideles ad salutem, quam & consequuntur per gratiam Dei in Christo Iesu.

CONCIO XXXV.

ET uidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei uiui: & clamauit uoce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quo-

quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthalim, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecim millia signati. Ex tribu Symeon, duodecim millia signati. Ex tribu Leui, duodecim millia signati. Ex tribu Isachar, duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim millia signati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia signati. Post hæc uidi, & ecce turba multa, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, stãtes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant uoce magna, dicẽtes: Salus ei qui sedet super thronum Dei nostri, & agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium, & prociderunt in conspectu throni, in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes: Amen. Benedictio & gloria & sapientia & gratiarumactio & honor & potentia & fortitudo, Deo nostro in secula seculorum, Amen.

Exitialis res adumbrata parabolis horrendis.

Audiuimus, fratres, sigillo sexto aperto nigrum factum solem, lunam sanguineam, stellas cecidisse è cœlo in terram, & reliqua quæ commemorauimus: quibus omnibus significata sit corruptela doctrinæ. Tristis & horribilis res adumbrata est tristissimis & horribilib. omnino parabolis. Sequutam audiuimus in mundo maximam rerum perturbationem, & apud multos desperationẽ grauissimam: sed & uentos, ne spirent, prohibitos. At experti scimus, quanta sit molestia, imò & pernicies, carere aere aut uento, adeò ut absq; respiratione & refrigeratione marcescere, adeoq; præfocari necesse sit homines. At tanto malo laborant destituti prædicatione uerbi Dei.

An totus mundus pereat in erroribus

Excipiat hæc aliquis, ac dicat: Perit ergo totus mundus in hæresibus, in Mahumetismo, in Papismo, & corruptelis alijs. Vbi ergo credas agere patres nostros? an omnes existimas perditos? Præoccupat illa Ioannes, & uisione prorsus Euangelica, hoc est cõsolatione plenissima ostendit, Deum innumeram habere turbam eorum, qui in medijs illis Antichristianis temporibus uel difficultatibus salui fiant: idque ex mera Dei gratia, per interuentum Iesu Christi, cuius solius sit salus: hoc est, cui soli salutem suam salui acceptam ferant.

Argumentatio ab exemplo et salute maiorum, &c.

Habemus in præsenti, quid nostræ factioni nobis aduersariæ respondeamus, perpetuò opponenti, Aut perierunt unà omnes maiores nostri, aut seruati sunt. Impium fuerit damnare illos omnes, seruati sunt itaque. At nõ audierunt doctrinam illam nostram nouam, tenuerunt ueterem, in ueteri ergo & nos saluabimur. Respondemus: Saluatos esse maiores nostros, libenter cõcedimus, & credimus etiam: sed addimus, ex mera Dei gratia, sicuti mox clarius intelligemus: nõ autem ex superstitione Papistica: ergo ne tu quidem ex ipsa seruaberis: sed per Christum te quoque seruari oportet, siquidem seruari uelis. Quinimò cum hodie singulari Dei bonitate annuncietur uerbum Euangelij, & tibi quidem annuncietur, cui tu te rebellem obijcis, declaras te non esse è numero filiorum Dei, qui audiunt cum gaudio uerbum Dei, & custodiunt illud: neque habebis quod peccato tuo prætexas, & quo te excuses. Si patres tui illam habuissent opportunitatem, quam tu negligis, Deus bone, quot parasangis præcurrissent te? Ergo sciens & *Ioan. 8 & 15.*

uolens, Deo contradicis, & in perniciem temetipsum ultrò conijcis. Morere ergo tua culpa.

Gratia Dei, quouis tempore, plures seruari, in summa corruptela religionis.

Neque uerò hic locus duntaxat testificatur, Dei gratia seruari à corruptione, & in uera fide plurimos, etiam tunc, cum iudicio humano uidentur nulli aut rarissimi esse fideles: adeoque nulli aut pauciſsimi seruari, propter corruptelam quorumque temporum extremam. sed & 3. Reg. 19. audimus & legimus, Heliam de paucitate fidelium grauissimè questum, intellexisse, Deo relicta adhuc esse uirorum septem millia, qui genua sua Baal non flexerint. Semper itaque Dominus habet electos suos, qui in media pernicie & contritione per Christum ex gratia conseruantur.

Author conseruationis Christus.

Ostenditur autem ab initio huius, salutis & conseruationis author unicus angelus, ascendens ab ortu solis: nimirum sol ille iusticiæ Christus Dominus, exoriens in tenebris illis antichristianis densissimis, Deum quærentibus, & hos tenebris discussis illuminãs. Est enim Christus lux uera omnium temporum, omnes illuminãs, quotquot illuminantur. Dat hic etiam populo suo doctores, qui muniant uerbo populum Dei, ne perdatur communi illa pernicie.

De sigillo uiuẽtis Dei.

Etenim diligenter exprimitur, angelum hunc habuisse sigillum: & quidem non modò sigillum, sed sigillum Dei, & uiuentis quidem Dei. Nam Christus, qui est imago Dei incõspicui, id est character uel expressa substãtię eius imago, in quo agnoscimus, ut ipse ad Philippũ dicit, patrẽ, habet sigillũ, quod instrumentũ est, quo obsignamus, quę obsignata; tuta & confirmata uolumus, adeoq; ab adulterinis discreta, & cõtra dolũ malũ munita. Sigillũ uerò tale nullũ habet Dominus, quale nos habemus in hoc seculo: sed per tropũ ita appellatur Spiritus Dei, quo inspirat fideles suos, per quẽ & fidẽ donat uiuificam, per uerbum uiui ac æterni Dei. Sigillũ ergo hoc, uiuẽtis Dei sigillũ est, uerbum

Ephes. 1.

Dei uiuificũ, spiritus uitæ, & fides uiuifica. De hoc apostolus Paulus, loquẽs: In Christo speramus & nos, audito uerbo ueritatis, euãgelio salutis uestræ, in quo etiã, posteaquã credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, &c. Nõ seperantur hæc. Nã fides non est sine uerbo, nec utraq; hæc sine spiritu sancto in fidelibus. Christus enim per legitimum ministeriũ cũ hominibus agit, per homines, inspirãs quosdã, qui doceãt & admoneãt homines. quib. ipse dat fidẽ & spiritũ, mẽtes horũ cõsignãs. Prohibet ergo satha nę ministris Christus, ne prohibẽdo & impediẽdo liberã uerbi prædicationẽ nocere hominib. pergãt. priusquam obsignatæ sint mẽtes electorũ: id est, docet, utcũq; prohibẽda sit ueritas & prędicatio euãgelij obscuranda, multorũ tamẽ animos ita muniendos uerbo Dei, diuinaque inspiratione, quæ ita uiuat uel efficax sit in ipsis, ut seductio uel nullum locum habere: uel si habitura sit aliquem, in finẽ perseuerare aut inhærere nõ queat.

Quomodo ueteres quondam sint cõsignati.

Occurrunt duo alij etiam loci in scripturis, testantes signa data esse hominib. quibus obsignati sint, præsentiq; exempti uel liberati malo: nec pugnant cum hoc nostro sigillo uiuentis Dei. Exodi 12. postes Israelitarũ sanguine agni asperguntur. Nihil per se signum effeciſſet, nisi uis instituentis Dei, & uerbo suo signum consecrantis, auertisset angelum uastatorem: nec caruit fide signũ, à sanctis Dei usurpatũ hominib. Non enim sine fide pij instituta Dei perceperunt. Eadem itaq; Christi uirtus seruauit Israelitas ab interitu, quæ in præsenti uindicat ab antichristianismo fideles. Ezechielis 9. signat frontes fidelium quidam, typum habens scribæ & sacerdotis. Equidem Christus omnibus temporibus suos asseruit. Signat autem impressa aut inscripta nota תּ Tau. Significat ea nota תורה, id est legem, siue directionem uel regulam. Nam cuicunque insculpta est lex Dei, uerbum Dei, adeoq; regula fidei, in ipsum cor, is securus est ab omni malo. Regulam fidei, & directionem olim appellarunt uetusti, ipsos fidei nostræ Christianæ articulos, Credo in Deum, &c. Vides ergo omnia illa signa reipsa in idem recidere. Immunes enim sunt à malo, quos afflauit Dei spiritus, illuminauit fide per uerbum. Hęc de signo.

Qui nam signentur.

Nunc etiam expendamus, qui nã signentur. In Ezechiele legimus, Transi per urbem Hierusalem, & signa Tau in frontibus uirorum gementium & dolentiũ, propter uniuersas abominationes factas in medio eius. Hic autem dicitur, Donec signemus seruos Dei nostri. Serui ergo Dei, & dolentes propter abominationem nephandam, signantur. Cõtemptores Dei porci & canes, negliguntur.

Indi-

Indicatur item, qua ſui parte ſignentur. Olim ſanguis agni illiniebatur ſuperliminari: in Ezechiele infigitur Tau frontibus, imprimitur hic quoque ſigillum Dei uiui frontib. fidelium. Frons autem gerit mentis uel animi, prȩcipuæ & præſtantiſsimæ partis in homine, typum. Spiritus ac fides inditur fidelium animis. Significanter tamen infigitur nota fronti, nón occipiti aut dorſo, uel ſcapulis. Qui enim uerbo & ſpiritu illuminati, fidem habent, confitentur ipſam, nec diſsimulant quicquam: minus uerò erubeſcunt, ſed cupiunt gloriam ſuam, id eſt, fidem innoteſcere omnibus. Nos maximè illuſtria uocamus, *an der ſtirnen gſchriben ſtan*: id eſt, maximè manifeſta, quorum nos minimè pudet aut piget. *Qua ſui parte ſignentur.*

Hæc ſi accomodemus eis quæ olim facta ſunt, & fiunt etiam hodie, miram his lucem inferent. Inuenti ſunt uiri boni, fideles, timentes Deum, lugentes uel dolentes, & ſerui Dei, & inueniũtur hodie quoq; in medio Mahumetiſmo & Papiſmo, qui diſertè genus hoc uitæ dãnant & damnarũt, apertè cõfitentes, non illud uerum eſſe uitæ iter, non uiuere ſceleratius hominum genus, quàm ſint ſacerdotes iſtorum: nolle ſe & ſuam ſalutem iſtis committere, ſed potius miſericordiæ Dei ſe totos conſecrare. Alij uerò qui bonam uitæ partem, bono quidem zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, in iſtis nugis & ſuperſtitionibus conſumpſerunt, ubi ad extremum uitæ terminum peruenerunt, ſpernunt nugas illas omnes: imò & liberè ueritatem confitendo, nugas illas condemnant, & totos ſeſe cõmittunt fidei Chriſtianæ, nihil habentes prȩſtantius & certius, quàm regulam fidei, quam & ſibi recitari ut ueram confeſsionem cupiunt, eidem q; immoriuntur. Hos omnes ſignauit diuina miſericordia ſigillo uiuentis Dei, & eripit eos ex omni Antichriſtiana & ſathanica labe, corruptela & pernicie, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Exempla ſignatorum ſigillo uiuẽtis Dei.*

Imò ne colligeremus quouis ſeculo minutias duntaxat aliquas, init iam ipſe Dominus magnificam ſupputationem, & primò quidem Iudæorum per ſingulas tribus colligit duodecim millia, deinde uerò per multiplicationem, centena quadraginta quatuor millia: gentium autem innumerabilem turbã. Quouis ergo tempore & ſeculo ſalutem conſequuntur innumeri: utcunq; error, ſeductio & pernicies dominetur in orbe. Hæc ualde cõmendant Dei miſericordiam, & conſolantur nos. Quod autẽ hinc quidam colligũt, futura adhuc in hoc ſeculo ante iudicium Saturnia aut aurea ſecula, in quib. hæc compleantur, adeoq; omnes homines perueniant in regnum Dei, nimis alludit ad abſurdum Chiliaſtarum errorem, ex eccleſia Dei dudum exploſum. Completa ſunt hæc olim, & complentur hodie, complebunturq́ue ſimili ratione, donec ſeculum fuerit. Semper ad iudicium uſque durabit regnum Antichriſti & ſathanæ, quod oppugnet regnum Chriſti, adeoq́ue & opprimere propè uideatur: tantum abeſt, ut nobis illi tantam polliceantur ſecuritatem. Cum uenerit filius hominis, inquit ipſe in Euangelio filius hominis an fidem reperturus eſt in terra? Et iterum: Erit ſicut in diebus Noe & Loth. Nota ſunt Euangelij uerba, ſicuti & beati apoſtoli Petri ac Pauli, 2. Pet. 3. & 1. Theſſ. 4. *Magna eſt copia ſeruatorũ in Antichriſtianiſmo.*

Cæterùm quib. hæc noſtra expoſitio uel ſententia non probatur, ſedulò urgent, prophetarum promiſsiones de reſtitutione Iſraelis, nondum eſſe adimpletas: at iuxta æterni Dei ueritatem adhuc impleri oportere. arbitrantur ergo, atque contendunt etiam, tempus oportere certum uel definitum reſtare, in quo iſta omnia compleantur. Ad ea ſimpliciter reſpondeo, erraturos nos non uulgariter cum Papia, Iuſtino, Irenæo, Tertulliano & Lactantio, & cum ijs qui appellantur Chiliaſtę, niſi hic rectè iudicãuerimus. Credo itaque reſtitutionem illam, de qua loquuntur prophetæ, diſtribuendum eſſe in tria tempora: ut primum ſit & uocetur hiſtoricum, quod à Cyro ad Pompeium uſque magnum extendatur, & quod deſcribunt, impletumq́ue docent Ezras, Nehemias, & author libri Machabæorum: ſecundum uerò incipiat ab aduentu Saluatoris noſtri, & progrediatur uſque ad Antichriſtum, eiusq́ue uaſtationem, quod quidem Euangeliſtæ & Apoſtoli diligentiſsimè deſcripſerunt, & in quo permulta adimpleta eſſe teſtantur: tertium uerò tempus incipiat à reſtituto Euangelio, & extremo iudicio, & progrediatur uſque in ſecula ſeculorum: quæ quidem uidetur omnium abſolutiſsima eſſe reſtitutio, in qua pleniſsimè præſtabit homini Deus quæcunq; per ora prophetarum & apoſtolorum *Obiter de reſtitutione Iſraelis diſſeritur.*

ſtolorum promiſit. Meminit eius manifeſtiſsimè S. Petrus in Actis cap. 3. dicens: Oportet Chriſtum cœlum quidem accipere, uſq; in tempora reſtitutionis omnium, quæ loquutus eſt Deus per os omnium ſanctorum ſuorum à ſeculo prophetarum. Et Dominus ipſe in Euangelio, loquens de extremo iudicio, dixit: Leuate capita ueſtra, quia appropinquat redemptio ueſtra.

Aut certè licebit hoc negocium in hunc modum, clarius fortaſsis diſtinguere: Reſtitutio Iſraelis, uel omnium fidelium, aut certè corporalis eſt, aut ſpiritualis. Corporalis, hiſtorica appellari poteſt, ac præſtita eſt per Cyrum, Zorobabelem, Iehoſuam, Ezram, Nehemiam & Machabæos: Spiritualis uerò impleta eſt, uel præſtabitur adhuc per aduentum ſalutaris Meſsiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eſt autem aduentus Domini duplex: prior quidem in carnem, quo credimus à Chriſto, teſtantibus apoſtolis, plurima eſſe adimpleta: poſteriore ueniet rurſus cœlitùs in iudicium. In eo aduentu præſtabit plenisſimè, quæ nondum uidemus eſſe præſtita. Et omnis quidem ſpes noſtra illò ſe confert, & per illum ſe aduentũ conſolatur. quæ ab apoſtolo ad Rom. 11. dicta ſunt de cõuerſione Iudæorũ, impleta ſunt partim, partim implẽtur quotidie, & adhuc cõplebuntur.

Iudæorum ſeruantur multa millia.

Redimus porrò ad copiam ſeruãdorum & ſeruatorũ ex medio Antichriſtianiſmo, explicandam. Diuidit Ioannes uniuerſitatẽ humani generis in Iudæos & Gentes. Iudæorum commemorantur millia centena quadraginta quatuor. Noſtro autẽ iudicio ex mille Iudæis uix unus aut alter ſeruari uidetur: cum autẽ teſtimonio ipſius ſaluatoris Dei, tantus ſeruetur numerus: relinquitur ſanè, ex certo hoc numero, colligendus infinitus numerus duræ ceruicis populi, qui ſeruetur. Non ſeruantur autem per legem, aut circunciſionem, aut pertinaciam ſuam damnandam: ſed per gratiam Dei in Chriſto Meſsia liberatore unico, reuelato ipſis à Deo miſericorditer, receptoque ab eis fideliter. Si enim ſeruari in cruce latro potuit, iam ueluti agens animam, quid prohibebit, innumeros Iudæos eadem ſeruari ratione? Cæterùm modum hic determinare nolo. Miniſterium uerbi & ſacramentorum quoque euacuare hac ratione nolo. Scio autem uera eſſe, quæ hic dicuntur: modus Deo eſt cognitus, neq; apud ipſum quicquam eſt impoſsibile. Et huc facit Apoſtoli doctrina, Rom. 11.

Iſts end gůt, ſo iſts alles gůt.

Dicis: Hæc doctrina negligentes reddet ſuæ ſalutis homines, cum nunc quoque non deſint qui dicant, *Iſt das end gůt, ſo iſts alles gůt.* Quaſi dicant, Qualitercunque uiuas in hoc ſeculo uoluptatibus & ſanguini immerſus, & uentri deditus, crede modò ſub extremo uitæ exitu, & ſaluaberis. Non ignoro ſanè multos eſſe immundos porcos, uerbo ueritatis & conſolationis Euangelij abutentes: ſed nunquid abuſus prophanorum hominum tollet nobis ueritatem? Filij Dei, qui norunt non aliam eſſe propitiationem uel ſatisfactionem pro peccatis, quàm Chriſti hoſtiam, non ideo deſinunt pœnitẽtia quotidie inſtaurare uitam ſuam.

Pij non abutuntur miſericordia Dei ad licentiam peccandi.

Ita quamuis nihil dubitent pij, innumeros ſub extremo uitæ exitu cõuerti & ſaluari à Domino, hac tamẽ Dei miſericordia nõ abutuntur ad licentiã carnis, ſed timent. Sunt enim & alij loci plures, qui ipſos retinent in ordine, uel in officio. Dicit enim Dominus: Sanus factus es, noli peccare amplius, ne quid tibi deterius eueniat. Itẽ, Operemur bonũ dum tẽpus habemus: ueniet tempus, quando operari nõ poterimus. Declarat hoc nobis parabola decem uirginũ. Item: Si iuſtus uix ſaluatur, peccator & impius ubi cõparebit? Item: Ne tentaueris Dominũ Deũ tuum. Et infinita huius generis alia. Cumq; ſancti per omnem uitã in iuſtificationib. Dei inculpabiles ſeſe exhibuerint, in extremo tamen uitæ tẽpore illis minimè nituntur, ſed meræ Dei per Chriſtũ miſericordiæ. Recordantur ſemper, quàm grauiter in Euangelio obiurgatus ſit, primũ quidem ille qui inuidebat felicitatẽ collaboratori ſuo in uinea, quòd tantũ accepiſſet precij, ſub ultimũ diei tempus in uineam accedens, quantũ acceperat ipſe qui tota die laborauerat: deinde frugi quoq; filius, q, doleret fratrẽ decoctorẽ & impurũ receptũ eſſe à patre, & epulas itẽ ipſi exhibitas, ſibi uerò morigero ſemper, & in laborib. conſtituto, nihil tale paratum.

Innumeræ gẽtes ex omnib. mundi plagis ſeruantur.

Porrò gentes nõ redigit in numerum certum, ſed ait ſe uidiſſe turbã multam, quam dinumerare nemo poterat: ſicuti nec ſtellas, harenas, herbas & gramina quiſquã numerauerit. Significat ergo, ex toto orbe, quouis tempore, per Chriſtum ſeruari innumerabiles.

les. Cæterùm ne quis existimaret, sibi prodesse uel obesse ad salutem, de hac uel illa gente, tribu aut lingua progenitum esse: mox addit Ioannes, ex omnibus tribubus, populis & linguis, indiscriminatim saluti esse destinatos. Discrimen ergo hoc nihil impedit salutem: sed inueniuntur in India, Aethiopia, Barbaria, in extrema Lybia, in Scythia, Tartaria, & in extremis mundi terminis, qui per gratiam Christi seruantur.

Fideles in cœlo gaudent.

Quoniam uerò de futuris disputare, plurimum habet dubitationis, Ioannes significantissimè de illis, nõ ut saluandis, sed iamiam salutem adeptis, & in cœlo existentibus, loquitur, ne scilicet dubitaremus de istorum salute. Simul etiam rationem salutis uel beatitudinis æternæ adumbrat. Confutat hæc tractatio illos qui existimant animas dormire, non frui ante iudicium Dei uultu, neq; adhuc esse in cœlo. Principiò dicit, illos stare ante thronũ, & in conspectu agni. Prima enim in beatitudine felicitas est, ipsum Deũ uidere sicuti est, & eius frui gloria, esse cum Christo in gloria. Ioan. 17. 1. Ioan. 3. Stolæ albæ, triumphantium sunt, & mundorum. Sicuti postea copiosius dicetur, & superius semel & iterum annotatum est. Significatur, animas beatas luce esse indutas, &c. Sed & palma, uictoriæ signum est. De palma multis agit Plinius lib. 13. cap. 4. Omnes tradunt, palmam antiquissimum fuisse uictoris insigne. Quamobrem autem hæc arbor potissimum delecta sit ad eum usum ab antiquis, A. Gellius causam reddit Noct. Att. lib. 3. cap. 6. scribens, arbori palmæ peculiare quiddam inesse, quod cum ingenio fortiũ uirorum conueniat. Nam si super eius, inquit, lignum, magna pondera imponas, non deorsum palma cedit, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur. Et huius rei citat authores Aristot. & Plutarchum, quibus addas licet Plinium lib. 16. cap. 42.

Palma.

His omnibus accedit maximus clamor, quo non tantum Deo agunt gratias, & misericordiam eius prædicant: sed etiã ostendunt & testantur manifestissimè, cui ferãt acceptam saluté. Dicunt aũt, Salus ei, &c. σωτηρία, quæ potius est, quod & Erasmus annotauit, Saluatio, *das heyl vnd seligkeit*. Significant enim, non Deum quidem in seipso esse beatum, sed suam saluté ipsis communicasse, & saluasse eos. De throno Dei suprà in cap. 4. dictum est. In throno sedet ipse Deus pater. Loquutio itaq; est, quę hunc habet sensum: Debemus salutem & beatificationem hanc nostrã Deo nostro, qui sedet in throno suo.

Cui sancti salutem suam ferãt acceptam.

Iam hanc salutem & agno, id est, Christo, cõmunicant. Deus enim gratia sua per Christum seruat credentes. Cum aũt agnus appellatur Christus, refricatur in uoce agni totum incarnationis redemptionisq; mysteriũ, quod uidelicet recõciliati Deo per sanguinem hostiæ, nunc simus hæredes Dei, & filij Dei. &c. Testantur ergo, & testificando docẽt sancti in cœlo, patresq; nostri iam saluati, & agẽtes in cœlo, iustificatos & saluatos se esse nõ per Mahumetismum, aut Papismũ, aut ullas alias obseruationes, sed per meram Dei gratiam in Christo.

Ioan. 6. Ephes. 1. Rom. 3.

Confutantur his duæ opiniones, noxiæ admodum orbi terrarum. Prior putat, Papistas seruari propter simplicitatem ipsorum, & disciplinæ acerbitatem. Quia meliora, inquiunt, ignorant: & opera sua quæ faciunt, bona intentione faciunt, seruantur itaq; per illa. Vanissimum id est, & impijssimum. Addunt: Nisi sic iudicemus, nemo sanè ex Papistis saluatus fuerit. Ego certè disertè dico, per Papismum, ut & per Mahumetismũ, neminem seruari. Est enim uia perditionis ab ipso appellata Petro. Sed ideo non puto, neminem ex papistarum turba esse saluatũ. Credo aũt, innumeros, quod & suprà dixi, tandem uidisse papismi fœditatem per Dei illuminationem: & relicto papismo, simplicem Christianismum fuisse complexos, atque ita per solum Christum seruatos.

Errores confutantur.

2. Petri 2.

Posterior existimat, quemlibet in qualibet & qualicunq; sua religione seruari. Contra hos clamant hic sancti: Seruatos, per Dei gratiam in Christo esse seruatos. Nulla ergo alia religio saluat. Nullum aliud est datum hominib. nomen, in quo oporteat saluos fieri, nisi Christi Iesu. Non alius patet in cœlum aditus, non alia est uia, nõ aliud ostium: qui aliud asseruerit, appellatur à ueritate fur & latro. Quinimò abolent funditùs Christum, & omnem scripturam, quicunque contendunt, quemlibet sua seruari religione. Neque scio, si possit aliud excogitari æquè pernicioſum. Teneamus ergo, quòd nos sancti omnes in cœlo docuerunt, salutem esse Dei per Christum.

Non seruatur quisque in sua religione.

Cõfirmatio angelica, exẽplũ & hymnus.

Confirmant hæc omnes in cœlo angeli, ne quid desit, quod ad certum & magnificum

pertinet teſtimonium: ſimul etiam ſuo nos exemplo docent, quid faciamus. Accinunt Amen: quo & ipſi teſtantur, ſolius gratiæ per Chriſtum eſſe ſalutem. Deinde procidunt & adorant Deum. Quanto uerò magis nos illi hunc honorem adorando debemus mortales? Hymno autem adiecto ſuppeditant nobis formam celebrandi Deum, deniq; rectè iudicandi de Deo, ne quid cum contumelia creatoris creaturæ tribuamus, quod ſcilicet ſolius Dei eſt: ſed in ſolidũ omnia Deo. Voces huius hymni expoſitæ ſunt cap. 4 & 5. ut nihil his iam ſit immorandũ. Benedictionem ponunt pro laude. Reliqua plana ſunt.

Diſcamus autẽ, tot teſtimonijs & exemplis ſanctorũ omniũ edocti, relictis opinionibus uanis & impijs, omnẽ gloriã Deo per Chriſtũ tribuere: cui ſit laus & gratiarũ actio, Amẽ.

Explicatur qui nam ſint ueſtiti candidis, unde ſit ſalus, & qualis uera beatitudo.

CONCIO XXXVI.

ET reſpondit unus de ſenioribus, dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde uenerunt? Et dixi illi: Domine tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui uenerunt ex affli ctione magna, & dilatauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas per ſanguinem agni. Ideo ſunt ante thronũ Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in tẽplo eius: & qui ſedet in throno, habitabit ſuper eos. Nõ eſurient amplius, neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper ipſos ſol, neq; ullus æſtus. Quoniã agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad uiuos fontes aquarum. Et abſterſurus eſt Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Occaſio huius expoſitionis.

Vidit S. Ioannes, martyrum animas ſub ara quieſcentes, tegi ſtolis candidis. Vidit idem ille innumeram turbam ex omnibus nationibus & populis, ſeruatam ex gentiliſmo & antichriſtianiſmo, & ipſam albis ueſtitam ſtolis. Ex ea occaſione iam tria nobis explicabuntur, quinam illi ſint amicti ſtolis candidis? Vnde ipſis ſit candor ille, puritas atque ſalus? quæ denique ſit ſors aut fœlicitas iſtorum, quæ ue beatitudo uera?

Infirmitas intellectus humani ſubleuatur expoſitione diuina.

Cum eos uidiſſet Ioannes, proculdubio admiratus eſt, quinam fuerint, nihil interim quæſiuiſſe legitur. Sua uerò ſponte unus ex ſenioribus 24, ſe ipſi offert interpretem, doctor ſanè egregius, patriarcha & propheta, denique magiſter cœleſtis, ut meritò ipſi credamus. Apparet hic humani ingenij ignorantia. Sicut enim Aethiops in Actis apoſtol. cap. 8. profitetur ignorantiam ſuam, niſi ipſi interpres obtingat & doctor idoneus: ita in præſenti beatus Ioannes & ipſe rogatus, an norit albis ueſtitos, fatetur ſuam inſcitiam: defert tamen ſcientiam ſuo doctori, hac ratione per modeſtiam humillimam expoſitionem pleniorem poſtulans. Apparet denique immenſa Dei bonitas, quæ indignos & craſſos nos, erudiendos ſuſcipit. Exempla plurima eius rei occurrunt ubique in prophetis, & ſacroſancto Chriſti Euangelio.

Qui nam ſint, & unde uenerint albis ueſtiti.

Et initio mox exponit Ioanni, & omnibus in mundo fidelibus, quinam ſint illi albis induti: ſimul etiam explicat, unde uenerint. Vtrunque enim eadem reſponſione abſoluit. Breuiter dicit, ueſtitos albis in cœlo, pios eſſe omnium ſeculorum, qui emerſerunt tandem (ἐκ τῆς θλίψεως) ex tribulatione magna. Varia porrò inuenitur tribulatio. Principiò enim eſt tribulatio, quæ exoritur ex inſidijs & perſequutione tyrannorum. Hæc ſolis competit martyribus. de quibus cap. 6. dictum eſt. Hi uerò, quoniam adobruti ſunt contumelijs infandis, propter uerbum Dei, in hoc ſeculo, in alio ſumpſerunt ueſtes cãdidas. Deinde eſt tribulatio alia, quæ exoritur ex timore Dei, & eſt ſolicitudo de conſequenda ſalute. Dolet hæc de humana iniuſticia & corruptione. Dolet de abominationibus Antichriſti grauibus. Atque hi etiam, licet martyres non fiant, ueſtiuntur tamen in alia uita candidis. Poſtremò tribulationes & moleſtias ſecundum carnem habent,

bent, quotquot carnem mortificant cum concupiscentijs. Et quoniam hic lugent, in futuro seculo consolationem accipient.

Vnde sit uita & salus.

Rursus ne quis martyrio ueluti operi nostro, & pœnitentiæ ceu merito nostro ascriberet uitam & salutem, diserte porrò indicat Dominus per Seniorem, unde sit uita & salus, & quomodo nobis obueniat candor uel purificatio illa. Et abluerunt stolas suas, inquit, & dealbauerunt per sanguinem agni. Diuersa hic inuenitur lectio. Et ἐπλάτυναν, id est dilatauerunt stolas suas, ut alluſum uideatur ad familias magnatum, quibus in usu est, ad ostentandam suam gloriam, indui uestibus amplis. & preciosissimis. Mea autẽ sententia rectius & simplicius legere uidetur codex Compluten. & Aretas, Et ἔπλυναν, quod & uetus interpres uertit, Abluerunt. Etenim per expositionẽ mox sequitur, Et dealbauerunt. Primasius legit, Et candidas fecerunt uestes in sanguine agni. Significatur autem, salutem & purificationem fidelium esse ex sanguine Christi, & ex nulla re alia. Et quidem sanguis aspersus non dealbat, sed polluit. Oportet ergo spiritualiter hæc intelligere, nẽpe quòd Christi sanguis uerus, naturalis, & humanus, semel effusus in cruce, spiritualiter nobis aspersus (sicuti exponit ad Hebræos 10. Apostolus) & fide receptus, licet naturaliter & corporaliter nos non contingat, purget nos ab omnibus criminib. Ideo alibi legimus, Christũ nos sanguine suo purgare. Quia solius diuini operis est sanctificatio. Ergo cum sancti dicũtur modò lauisse & dealbauisse stolas suas, per sanguinem agni, significatur, illos per fidem recepisse purgationem sanguine paratã. Hæc autem doctrina est catholica & orthodoxa, quæ tot & tanta habẽt in sacris scripturis testimonia. Deprehendimus deniq;, seruatos ex Antichristianismo, solius Christi merito, & nulla re alia esse saluatos, quod & superius admonui. Quinimò mox infertur: Ideo sunt ante thronum Dei. Qua de causa oro? Quia lauerunt & dealbauerunt in sanguine agni uestes suas: propter Christi ergo meritum ingressi sunt cœlum, ibiq́ue æterna luce sunt circundati, siue uestiti.

Quomodo sanguis aspersus purificet.

Quæ sit sors sanctorum, & uera beatitudo.

Postremò copiosissimè exponit Senior, quæ sit sors sanctorum, & qualis uera beatitudo fidelium. Sunt autem hæc gustus quidam, huc ad consolationem posita. Alioqui quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, id præparauit Deus diligentibus se. Plurima autem commemorat, ex quib. nos uult colligere præstantiam æternæ salutis, & quanta in ea consequamur bona.

Principiò stant sancti ante thronum Dei. In throno est adoranda Dei maiestas, superbenedicta trinitas. Ac stant illi ante thronum, non ut solent qui operiuntur ante fores. Nam ueluti intimi Dei, uersantur in conspectu Dei, & fruuntur eius aspectu. De qua re loquens in Euangelio Dominus: Orate, inquit, ut liceat uobis ista effugere, & stare ante filium hominis. Sed & Dauid: Satietas gaudiorum in conspectu tuo est, & iucunditas in dextera tua in perpetuum. Additur & aliud, quod illud stare explicet: Seruiunt in templo Dei Deo, dies atq; noctes. Seruitus illa uoluptatẽ, nullam molestiá habet. Seruiunt autem Deo in templo, ut solet seruiri Deo in templo. Ferias enim agunt, lætãtur, exultãt, iubilant, laudant: ita uerò immolant, & epulis reficiũtur cœlestibus. Et hoc gaudium erit sempiternũ atque cõtinuũ: id quod per diẽ & noctem significauit. Alioqui in æterna beatitudine nulla est nox, nulla temporis uicissitudo. His accedit, quod qui in throno sedet, id est diuina maiestas, σκηνώσει ἐπ' αὐτοὺς, habitabit in eis: id est, Deus omnia erit in omnibus, uel incumbet eis, & ueluti tabernaculum, obumbrabit eos, proteget, seruabit, & totum sese illis fruẽdum prębebit, familiarissimus & amicissimus eis. Præterea non esurient amplius, neq; sitient. Tollitur enim ab animab. beatis, & clarificatis corporib. quicquid est infirmitatis & miseriæ. Adimplẽtur omni bono citra omne fastidium, cum impletione iucundissima. Iam sol non cadit super illos, neque æstus: quæ quidem loquutio significat, nullis eos affici molestijs, nullis exerceri laboribus, sed semel liberari eos omni incommodo, omniq; molestia, & suauissimè requiescere.

Christus pascit & uiuificat.

Rursus inseritur causa tantæ felicitatis, Christus agnus, id est Christus mediator & redemptor: in medio throni, id est Deus uerus. Hic enim, quod & Ezech. in 34. & ipse Dominus Ioã. 10. testatur, ποιμανεῖ, id est pascet eos, instar pastoris, & deducet uię dux ad fontes aquę uiuę: id est, uiuificabit in æternũ, & cõseruabit in illa felicitate omnes suos.

Vtitur in hac tractatione uerbis apud pphetas usitatissimis, & ubiq; obuijs, ut ad altiora cõscendentes, cœlestia dona aliquo modo æstimemus. His cõiungit adhuc insigne beneficium: Et absterget Dominus omnem lachrymã ab oculis ipsorum. Quæ uerba ex Isaia mutuò accepit. Etenim sancti in hoc seculo uarijs exerciti malis, copiosissimas profuderunt lachrymas: in futuro autem seculo, consolatur ipsos Dominus, gaudio perfundens æterno, neq; ullam usquã obijciens doloris occasionem. Ideo enim in Euange-
Ioan.16. lio dixit, Amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus contrà gaudebit: uos autem mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium. Et gaudebit cor uestrũ, & gaudiũ uestrũ nemo tollet à uobis. Similia his audiemus & Apocalyp. 21. &c.

Contra contẽptores uitæ beatæ. Intelligunt ex his, quàm turpiter præuaricentur, quib. semper in ore est, Si contemnam præsentem uitã religionis ergò, quis mihi dicet, qualis sit futura illa alia uita? Fortasis si hanc spreuero, in alio seculo nihil consequar. Habemus enim hic apertissimum testimonium, ut certissimam esse salutem, pijs à Deo paratam in cœlo, ita etiam amplissimam: adeò ut alibi Apostolus dicat, non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quæ reuelanda sit erga nos. Dominus conferat nobis, ut hæc agnoscamus.

Dum aperitur sigillum septimum, & prodeunt tubicines angeli, Christus intercessor suæ Ecclesiæ, coram patre offert preces fidelium suorum, &c.

CONCIO XXXVII.

Cap. VIII. ET cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, media fermè hora. Et uidi septẽ angelos, qui stãt in conspectu Dei, & datę sunt illis septem tubæ. Et alius angelus uenit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret (de) precationibus sanctorum omnium, super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum (de) precibus sanctorum, è manu angeli coram Deo. Et accepit angelus thuribulũ, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram. Et facta sunt tonitrua, & uoces, & fulgura, & terręmotus.

Præstantia sacræ scripturæ librorum. Non puto ullos in orbe libros extare, à quibuscunq; tandem aut quandocũq; scripti sint, qui certare possint cum libris sacris: quantum uidelicet attinet sinceram ueritatẽ, puram simplicitatem, & perspicuum ordinem. Neq; fortasis mirum id uideatur alicui, scienti ab hominib. quidem illos esse scriptos, sed inspiratos à spiritu sancto. Extant ędificia ab hominib. faberrimè constructa, & pulcherrimo digesta ordine. Sed quid illa iudĩ caueris habere elegantiæ, si contuleris cum opificio mũdi & cum ordine pulcherrimo,
Anacephalæosis. quem cernimus quotidie seruari in omnibus reb. creatis, & temporum uicissitudine? Nihil habent, imò sordent præstantissima hominum opera, si componantur cum opificio Dei conditoris. Cæterùm in ordine dilucidissimo & tractatione perspicacissima habet hic liber Apocalypseos inter alios luculẽtiss. alioqui, eximiam miramq; laudẽ. Sũmam rei præfixit omnibus Ioannes, significans se dicturum de ijs rebus quæ à suo tempore ad iudicium usq; in ecclesia fieri debent. Sciunt autem fideles, in quem finem illa accipiant, non ut curiositas ipsorum nutriatur aut exaturetur: sed ut abundè præmoniti, non impingant, sed sibi caueant, salutemque ueram retineant. Quoniam uerò multus est inter homines sermo, quare Deus ita agat, aut ista permittat, quare hæc & illa non prohibeat: saluberrimam nobis Ioannes uisionem obiecit, ex qua discamus Deo non obloqui, & cum Deo non contendere, sed agnoscere, omnia eius iudicia esse iusta & æquissima. Id certè omnes cùm diuos in cœlis, tum angelicos agnoscere spiritus, Deoque omnem tribuere gloriam. Sic autem paratis auditorum animis, ad rem ipsam accedit, & fata ecclesiæ exponit. Sub sexto sigillo in gene-

reat-

re attingit doctrinæ corruptelam, quæ cum sit periculosior & pestilentior omnibus periculis corporis humani, aut externis, copiosius de hac porrò differit: & singulariter iam sub apertione sigilli septimi commemorat, quàm latè illa pateat. Exponit enim, quot & quantæ & quales sint in ecclesia exoriturę sectæ, hæreses, turbę, quantumq; ecclesiæ nocituræ. Comprehendit autē hic locus historiam corruptæ doctrinæ hæreseωv uel sectarum, turbarumq; iam inde à temporibus Ioannis ad ultimum usq; iudicium. Extenditur per cap. 8. 9. 10 & 11.

Consolatio plānè euangelica.

Priusquam tamen procedant tubicines, consolationis loco ueluti per digressiuncu-lam inseritur remedium, quo omnibus seculis utantur fideles in pestifera illa corrupte la, ad conseruandum animas, earumque integritatem. Subinde enim in hoc libro consolationes inseruntur ualidissimæ in rebus difficillimis. Etenim totū cap. 10. huic etiā seruiet argumento. Remedium autem, quod ostendit, illud est: confugiendum esse ad Christum generis humani redemptorem, intercessorem ac propitiatorē. Tutos nos fore sub eius patrocinio. Huic preces nostras offerendas assiduè. Et quidem Dominus in Euangelio, differens de maximis ex dæmone periculis, apostolorū choro instructis, impendentibusq;: addit tamē mox, quod consoletur mœstas ipsorum mentes: Rogaui pro te Petre, dicēs, ne deficiat fides tua, &c. En Christi patrocinio seruamur in maximis difficultatibus, ne à fide deficiamus. At, quod ubique euangelicæ & apostolicæ literę inculcant, coniungendæ sunt fiduciæ nostræ in Christū preces creberrimæ, quas offeramus Deo per Christū. Breuib. autē in præsenti intercessio Christi ad dexteram Dei, & effectus ratioq; orationis fidelium, hic contemplanda proponuntur.

Diligens ad attentionem excitatio.

Verùm expliçabimus singula ordine. In genere dixit sub 6. sigillo de corruptione doctrinæ, in septimo speciatim & copiosissimè eandem exponet. Dū uerò aperitur sigillū septimū, factum est silentiū in cœlo hora propè media. De silētio hoc uaria legūtur apud interpretes. mihi simpliciter uidētur auditores hoc silētio excitari ad accuratā auscultationem, uel attentionem. Habet enim silentiū admirationem & expectationē rerū maximarum. Solomon Ecclesiast. 9. dicit, Verba sapientum audiuntur in silentio. In rebus grauibus pronunciandis aut denunciandis, solet proclamari, *Schwygend vnd loſend.* Ac reuera magni momenti sunt ea quæ sequuntur, quæ nisi obseruauerimus summa attentione, peribimus in sectis & seductionibus. Spirituales illæ nequitiæ periculosiores sunt corporalibus difficultatibus.

Iam uerò dum in silentio cū admiratione expectatur quid futurum sit, aperto sigillo ultimo, en comparent septem angeli cornicines uel tubicines. De his postea dicemus.

Remedium cōtra omnis generis sectas, seductiones & turbas.

Inseritur modò, aut præmittitur remedium in tantis malis sumendū, ut dixi. id quò uiuidius sit, & altius insideat pectoribus nostris, elegantissima uisione contemplādum traditur. Ante thronum, & quasi in continentia throni, apparet altare aureum. Venit autem angelus, & assistit huic aræ: habet idem ille in manu sua acerram, uel thuribulum aureum. In hoc conferūtur à sanctis incēsa. Hæc offert ante thronum, ascenditq; fumus incensorum è manu angeli coram Deo.

Altare aureū, Christus. Malach. 3.

Diximus alibi, aureū altare thymiamatis, esse ipsum Christū Dominū, qui est & ara & hostia & sacerdos: id quod Paulus testatur ad Hebræos. Idē appellatur angelus, nimirū ille cuius & Isaias meminit in cap. 9. & Malachias dicēs: Ecce ego mitto angelū meum, qui parabit uiam ante me, subitoq; ad templum suum ueniet Dominus, quem uos quæritis, & angelus fœderis, quē uos desideratis: ecce uenit, dicit Dominus exercituū. Prior angelus, id est nuncius uel legatus, erat Ioannes baptista, qui parauit uiam Domino. Is, posterior angelus, mox à prædicatione Ioannis uenit, & fœdus illud æternum consummauit. Idem iam apparet in dextera Dei in cœlis.

Marci 1.

Quid Christus faciat ad dexteram patris.

Duo autem de hoc commemorantur. Prius, quòd stetit ante altare, uel in, aut super altare. Nihil hic imaginandum corporaliter: sed cogitandum, hac forma loquendi notari sacerdotium Christi. Apparet ille semper in cōspectu patris, pro nobis: quod & Paulus docuit Roman. 8. & ad Hebræos cap. 9. Agit ergo coram Deo causam suæ ecclesiæ, & patrocinatur fidelibus. Idem porrò stat ante altare, idem stat in medio throni. Nam patri coæqualis est iuxta diuinitatē, secundum quā stat in throno: nobis autē, secundū humanitatem,

nitatem, est consubstantialis, secundum quam dispensationem legitur ueluti pontifex & homo uerus astare ante altare. Posterius, quod obseruandum uenit, illud est, Christũ manu sua tenere thuribulum aureum. Nam assumpsit naturam nostrã ueram absq; peccato, ut intercedat pro nobis, & preces nostras Deo patri offerat.

Christus offert preces nostras.

Ne quis autem dubitaret, illum nostras preces susc ipere, & Deo offerre, deniq; ut appareret etiam uerũ ecclesiæ officium, offerentis omnia per Christum, additur: Data sunt illi incensa multa. Sed in quem finem? Vt daret super altare aureum, idq; ante thronum: quasi tu dicas, Vt afferat in conspectu Dei.

Vera incensa, sunt orationes sanctorum.

Expositionis aũt gratia, ne ignoraremus uera incensa quænam Deo placeant, & fideles Deo per Christum offerant: semel & iterum subiungit, preces sanctorum esse illa incensa. Sanctos autem intelligit, non cœlum inhabitantes, sed nos in terris, qui sanctificati sumus spiritu Dei nostri, sanguine Christi, baptismo, fide & uerbo. Ioan. 13. Preces autem sunt inuocationes, & gratiarumactiones. Significanter autem dicit, Omnium sanctorum, ne quis se & suas preces per Christum oblatas metueret excluſas. Si credis, sanctus es, & accepta est Deo oratio tua. Quales sint preces sanctorum, apparet in oratione Dominica, quam offerimus patri nomine & uerbis Christi: Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum. Et reliqua, quæ omnia pugnant cum sectis illis & corruptelis doctrinæ ueræ.

Philip. 4.

Hunc locum citat Irenæus lib. 4. cap. 31 & 32. & hac ratione appellat Eucharistiam, quæ est gratiarumactio, sacrificium Christianorum. Corrumpunt eum locum Papistæ propugnatores, & ita proferunt, quasi senserit sacrificum sacrificare reale corpus pro uiuis & defunctis. At nesciuit fœdum hunc errorem antistes sanctissimus. Abeant isti cũ sua sophistica, quò digni sunt. Dixi superius quoq; aliquid eadem de re.

Ascendit fumus incensorum.

Vt autem omnibus liquidò appareret, preces fidelium Deo, per Christum oblatas, esse gratas uel acceptas, additur: Et ascendit fumus incensorum, id est preces fideliũ gratæ fuerũt Deo: offeramus ergo sedulò preces nostras Deo per Christũ. Nã audit nos, & liberat à malo. Scriptura alioqui crebrò appellat orationes nostras, acceptum Deo sacrificium. Loci extãt Osee 14. Psal. 50. & aliàs sæpe. Psal. 141. dicit propheta, Dirigatur oratio mea sicut incensum in cõspectu tuo, eleuatio manuũ mearũ sacrificiũ uespertinũ. Primasius hũc locum enarrãs, Accepisse, inquit, de orationib. sanctorũ dicitur Christus. Quia

Hebræ. 13.

per ipsum omniũ possunt preces ad Deũ suauiter peruenire. Hinc Apostolus: Per ipsum offerimus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorũ confitentiũ nomini eius.

Contra intercessionem sanctorum.

Confutatur his eorũ opinio, quib. uisum est, diuos cœlites fideliũ esse intercessores, qui cõmendent preces ipsorũ Deo, & aditũ patefaciant ad Deum. Nã quid necesse est alios sibi ascisc ere intercessores uel patronos? Quid desiderant in Christo? Aut quos præferent aut æquabũt Christo? Quid quod in præsenti incensa per manũ angeli offerũtur? Aderãt Domino, & circũ thronum uisebantur diui cœlites: sed quis istorum thuribulo accepto, collectisq; precibus fidelium, eas Deo obtulit? Pessimè cesit Ozię uel Asariæ regi, quòd apprehensa acerra sacrificare uellet, & uti munere pontificio: peius cederet id ipsum cœlitibus. imò cœlites non essent, si usurparent sibi unici pontificis munus, &c.

Implet thuribulum igni, & mittit in terram.

Post hæc audimus, Christum oppleuisse thuribulum igni de altari accepto, ac ignem misisse in terram. Qua narratione in uiam redit, ad explicationem cornicinum absoluẽdam. Ignis, spiritussancti gratia est. Is colligitur in thuribulum, accipitur ex ara, demittitur in terram. Christus enim plenitudinem spiritus accepit, quod Ioan. 1 & 3. cap. ostenditur. Christus est ara & thuribulum. Ex ara hic petitur ignis. Nam spiritussanctus & patris & filij est spiritus. Quẽ, inquit, mittam uobis à patre. Hunc sub specie ignearũ linguarum misit in terram: mittit & hodie in corda fidelium, ut ea accendat. Hic est ille ignis, quem in Euangelio Lucæ dicit Dominus, se missurum esse in terram, ac uelle ut ardeat.

Lucæ 12.

Sed & effectus huius ignis mox sequitur. Facta enim sunt tonitrua, & uoces, & fulgura, & terræmotus. Per spiritum sanctum ueluti tonitruis perterrefacta sunt sceleratorum corda. Vocibus euangelicis sanata sunt peccatorũ uulnera, corda itẽ illustrata hominum per illuminationem spiritus, &c. De quib. dictum est & cap. 4. cõcione 24. Ex euan-

Ex euangelica prædicatione, quod & Haggęus prædixit futurũ, mira omniũ gentium consequuta est cõmotio,&c. Cõmotus est & satan, qui per orbẽ sua organa excitauit cõtra salutiferam Euangelij prædicationem. Exortæ enim sunt sectæ, quib. se obiecerunt pietatis assertores, pugnantes cum eis. De quib. iam copiosè disseret. Dominus cõcedat gratiam, hæc multo cum fructu & dicendi & audiendi.

De septem angelis tibicinibus, & tubis: & prima, secunda, & tertia tuba.

CONCIO XXXVIII.

ET septem angeli qui habebant septem tubas, præparauerunt se ut tuba canerent. Et primus angelus tuba cecinit: & facta est grando & ignis mixta sanguine, & missa sunt in terram. Et tertia pars arborũ concremata est, & omne fœnum uiride combustum est. Et secundus angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens proiectus est in mare. Et facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturarum quæ erant in mari, quæ habebant animas, & tertia pars nauium interijt. Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit è cœlo stella magna, ardens tanquam facula: & cecidit in tertiam partem fluminũ, & in fontes aquarũ, & nomẽ stellæ dicitur Absinthium. Et fit tertia pars in absinthiũ, & multi homines mortui sunt ex aquis: quia amarę factę sunt.

Accendit in hisce terris clarum & salutiferũ ignem Dominus noster Iesus Christus, quem subinde magis magisq; excitarũt apostoli, & apostolici uiri. Contrà uerò satanas hunc salutarem ignẽ extinguere, & doctrinam salutis non tantũ corrũpere, sed & abolere adobruereq; mendacijs contendit. Modus & ratio eius rei in præsenti describitur, adeoq; & depingitur elegantissimè, non in alium finẽ, quàm ut fideles admoniti & edocti plenè, à pernicie illa sibi diligenter caueant. Scopus enim totius libri est, seruare ecclesiam integram à corruptionibus, aut certè corruptam reparare.

Angeli septem stant in conspectu Dei.

Vidit ergo Ioannes stare in conspectu Dei angelos septem. Stare significat ministrare, & comprehendit ministrorum fidem & diligentiam. Stant ante reges, serui, parati facere obsequia, & quęlibet regum mandata. Iob primo capite legimus, Veniebant filij Dei, ut starent coram Domino, & uenit etiam sathan in medium illorũ. Filij Dei appellantur beati angeli. ueniunt hi ad obeunda coram Deo ministeria: immiscet se hisce sathanas, quia & ipse minister Dei est in, expediendis illis quæ ad iram & indignationem Dei contra impios pertinent. Ministri Dei sunt omnia elementa, denique omnes Dei creaturæ. Est enim Dominus Sabaoth, Deus exercituũ, qui in salutem & in iudiciũ hominum omnib. suis creaturis bene & rectè utitur: quibuslibet autem pro suo ingenio, & sua natura. Angelorum enim ministerio ut angelorum, sic dæmonum seruitio ut dæmonum utitur. Porrò cum septenarius plenitudinis sit numerus, omnia in se comprehendens tempora: sunt enim dies & creationis & quietis septem, sunt ætates uel secula septem: certè septem comparent coram Deo angeli, quòd hi prælia omnia ad finem usque seculi decertanda significent.

Tubarũ usus.

Et enim datæ sunt his septẽ angelis, septem tubę, & angeli iã habebãt tubas atq; adeò & præparabant se ut classicum canerẽt. Vbi tubarum in primis usus inquirendus erit. Describitur hic copiosissimè à Mose, Numeri 10. cap. Fuit usus tubarum uarius, sicuti hodie quoque. Principiò cõuocabatur ijs cœtus populi Israelitici, ad consultandum de repub. Coibat deinde ad signũ earũ Senatus principũ populi. Præterea signũ dabatur tubis, quando & quibus mouenda castra. Iam & ad bellum concinebatur tubis, ijs canebatur in acie, sicut uidere licet Deut. 20. Cõuocabatur prętera populus dieb. festis ad sacra publica & diuina, tubis. Clangite tuba in Zion, indicite cœtum, ait Iohel, congregate

populum. Erat præterea festum Tubarum, & Iubileus, nomen habens à iubilo & clangore tubæ uel cornuum: sicut extat Leuit. 25. Quid quod & tubarum clãgore adumbrata est prædicatio ueritatis? quod colligi potest ex 27 & 58. cap. Isaię. Sic subsiderunt mœnia Iereho, ad concentũ tubarum. Nec alijs illas quàm sacerdotibus inflare licebat. Permultum enim refert, quibus signa permittas aut concedas publica.

Tubam inflare, bellum denunciare.

Ex hoc uario tubarum usu, nostro negotio nullus quadrabit melius, quàm bellicus. Habet enim hic mũdus castrorum figuram. Sunt in hoc castra bonorum, & castra malorum: castra catholicorum, & castra hæreticorum. Horum caput est Sathanas, illorum uerò Christus: horum dux & imperator diabolus, illorum Dei filius. Iam uerò concinitur ab angelis, & canitur classicum: non quòd boni angeli & Deus ipse author sit hæresum & hæreticorum, quorum origo deputatur ad Sathanam atque peccatum: sed canentes tubis, signum reuera dant omnibus, & significant grauissima in orbe, atque adeò in ipsa Ecclesia, exoritura bella. Porrò alij aliter in bello pro ratione sui ingenij mouẽtur & agunt. Catholici tuba admoniti, sibi cauent, orant, denique arma spiritualia capientes, pugnæ se præparant, & fortiter pro Christo & ueritate asserenda retinendaq; pugnant. Hæretici, sectarij, & corrupti animis homines, pro sua malitia, correptis & ipsi armis, procurrunt, Christum & ueritatem oppugnant, mendacia propugnant, & parum firmos capiunt, spoliant, sternunt, concidunt. Boni pastores, sunt tubæ Dei & Christi: hæresiarchas & sectarios homines inflat diabolus, *die sind des tüffels pfiffen vnd trumeten.* De bonis, & pugna eorum, audiemus in cap. 11. & sequentib. Subinde tamẽ in singulis pugnis intelligendum est, sanctos non dormitare, nullibi cessare, sed ubiq; suũ facere officium. Satis nunc quidem fuit Domino nostro, pugnantes nobis ostendere hæreticos & sectarios, quantumq; noceant, exhibere: ut uigilemus accuratius, & caueamus nobis ab omni corruptione.

Prima tuba uel pugna.

Primus angelus prima tuba canens, denunciat nobis pugnam primam. Omnes & singulę pugnæ simile quiddam habent, & diuersum. Simile est, quòd omnes hæreses Christum oppugnant, ueritatemq; euangelicam uel extinctam uolunt, aut cõuulsam. Singulare aut diuersum illud est, quòd alio tempore alia adortus dogmata Sathan, uarias per ecclesiam sparsit hæreses. Ergo dum angelus canit tuba, id est, bellum fore denunciat, admonet sanctos ut uigilent. Canente ergo illo, facta est diuina permissione, secundum iustum suũ iudicium, opera & instinctu Sathanæ, grando & ignis mixta sanguine, eaque sic temperata, missa est uel decidit in terram. Nam Paulus spirituales astutias in cœlestibus agnoscit. Et scriptura alibi pulchrè adumbrat, sanam salutaremque doctrinã per rorem & imbrem cœlitùs terram fœcundantẽ: rectissimè ergo Ioannes falsam & hæreticam doctrinam comparat grandini. Ea enim fœcunda terræ loca atterit, & uberem terræ prouentum penitus perdit. Proinde sicuti alibi peruersa doctrina appellatur zizania, fermentum, palea, &c. ita hic grando. At est hæc temperata, & mirę mixtionis grãdo. nam ignem sibi adiunctum habet, & sanguinem. Iuxta allegoriam, non iuxta literam, hæc explicanda sunt. Grando, est aqua frigore congelata. Aquam uerò appellarunt sapientiam scripturæ: proinde grando erit falsa sapientia. Coniungitur tamen ei ignis, prætextus scripturarum & inspirationis sancti spiritus: cui accedit sanguis, affectio hominis praua, uicium uidelicet ambitionis, iræ, cõtentionis, odij & similium affectuum. Ex his componitur doctrina grandinea, sanè noxia & pestifera. Cum enim falsa sapientia regit scripturas, aut corrumpit, acceduntq; praui doctorum affectus, nascitur doctrina pestilens. Talis erat ab initio Nazaræorum, uel Mimeorum ac Hebionitarũ, contendentium non sola fide Christi, sed per legem obuenire iustitiam. Pugnatum est acriter à nostris, nempe à Paulo & reliquis apostolis, contra hanc pernicioſam doctrinam. Ac ab initio multi philosophia corrupti, alij traditionibus humanis dementati, corruptissima protulerunt dogmata. Testantur hoc historię. Et Tertullianus non frustra philosophos appellauit hæreticorum patriarchas. Nam & Paulus diligentissimè monuit, pij sibi cauerent à philosophia. Qui sibi ab illa non temperarunt, & pluris fecerũt philosophiam, & nescio quas traditiones, hi pro rore & salubri imbre cœlesti, deiecerunt in ecclesiam lapides grandinis talentares.

Grando, doctrina corrupta.

Theologia per philosophiam corrupta.

Et

Et quidem nocuerunt ecclesiæ plurimùm. Nam tertia pars arborum cõcremata est, & omne simul fœnum uiride. Inculcatur hic numerus in quatuor tubis, & in sex similiter. Videtur autem significare, seduci & perdi bonam partem hominum instabilium, præbentium sese perdendos deprauatis hominibus: rursus seruari optimam partem fidelium. Numerũ ipse Dominus exactè nouit. Nobis satis est nouisse hæc, & tenere quæ ipse nobis reuelauit, neque curiosius uelle plura scrutari.

Arbores.

Per arbores significari homines, claret ex 9. cap. ubi dicitur, Et præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non, &c. Vbi dixisset, Nisi tantum illas arbores, quæ non fuerunt signatæ: sed maluit dicere, Homines, ut hac ueluti claue mysterium referaret. Nec rarum est, homines adumbrare in scripturis per arbores, flores & gramina: sicuti colligere possumus ex Psalm. 1. Isaiæ 40. & Matth. 12. cap. Cæterùm posterius illud, Omne fœnum uiride esse adustum, commodè est exponendum. Quis enim credat, omnes homines perditos esse primis illis hæresibus? Intelligimus ergo, afflictos & exercitatos uariè esse illis erroribus & turbis animos fidelium: sed tamen ut aurum igni probatum, non absumptum esse penitus.

Secunda tuba.

Secundus angelus tuba canit, significans noua iam exoriri bella: ideoq; hortatur, ut omnes se armis muniant pij. Proijcitur autem in mare non mons, sed quasi mons igne ardens. Mare typum gerit mundi, quo nihil sanè est instabilius. Frequentissimum est prophetis, hoc nostrum seculum, in quo agimus mortales, appellare mare. Per montes regna adũbrari, testis est Isaias in cap. 2. Daniel in cap. 2. & Zacharias in cap. 4. Imò Christus Matth. 17. per transpositionem montium, significat rem quamlibet difficilẽ, & multorum existimatione impossibilem. Iam itaque exoritur hæresis & doctrina in ecclesia, ueluti mons ardens, utpote quæ instructissima erat, ut uideretur inuincibilis. Talis fuisse legitur Valentinianorum, quorum sectam in plures dispersam esse, docet Ireneus martyr. Talis fuit furor Manichæorum & Montanistarum. Videbantur multis ardere spiritu diuino, & toti nihil aliud esse quàm spiritus, omnia ipsorum esse spiritus diuini oracula. Manichæus appellauit se apostolum Iesu Christi. Montanistæ nouum iactarunt paracletum. Maxima fuit copia huius lolij per uniuersam ecclesiam. Neque uerò exiguus fuit eius profectus. Nam tertia pars maris facta est sanguis. Conscelerationem denotat apostolus sectarum. Nam quàm impuri & impudentes fuerint Gnostici, soboles Valentiniana, & Manichæi, testantur Irenæus, Augustinus & Epiphanius. Perijt & bona pars creaturarum in mari. Loquitur autem de animas habentibus, non piscibus quidem, sed hominibus. Perierunt item naues multæ, nauiculatores nimirum & insulares homines, corrupti istis hæresibus.

Mons ardens.

Valentiniani, Manichæi, Mõtanistæ.

Exortæ sunt tunc quidem illæ hæreses ab illis, quos dixi, authoribus: sed nondum omnino extinctę sunt, suppullulantibus quouis propè tempore hominib. corruptis, restaurantibusque ueterum errorem. Vnde durat uel hodie acerbum certamen in ecclesia: & admonemur quotidie, ut caueamus nobis ab illis corruptelis.

Tertia tuba.

Tertius angelus tuba canit, noua prælia cãtans: & ecce decidit de cœlo stella magna, ardens ueluti facula, & inficit tertiam partem fluminum & fontium aquarum. Stella illa dicitur Absinthium. Diximus autem primo capite, stellas appellari doctores & episcopos, uiros in ecclesia illustres. Significat ergo, insignem uirum defecturum à uera fide ad hæresim, qua inficiat bonam partem orbis, corrumpendo scripturas, & fidei doctrinam sanam. Hæc autem completa uidentur in Paulo Samosateno & Ario. Arsit hæc facula horribiliter, & inflammauit orbem irrecuperabiliter. Negauit pestis illa diuinitatem Christi, adeoq; totum Euangelium nobis amarissimũ fecit. Si enim Christus Deus uerus non est, quomodo saluator, rex, pontifex, intercessor, auxiliator & salus est fidelium? Lucem extinxit, qui diuinitatem Christi negauit. Ideo appellatur nomine absinthij usus est illa eadẽ allegoria, aut metaphora, allusionéue, Ieremias propheta cap. 9. & 23. & Amos sexto, dum dicit, iudices iudicium conuertisse in absinthium.

Facula ardens.

Arius.

Scriptura & doctrina, quæ pulchrè per flumina & fontes adũbratur, corrupta ab Arianis multis fuit occasio mortis. Scriptura & doctrina euangelij per se quidem nemini est lethalis, sed omnibus potius uiuifica: corruptela facit mortiferam. Venenum infusum

uino, uinũ reddit lethiferũ: uinum per se neminẽ occidit, sed omnes potius lætificat. Legãtur autem historiæ ecclesiasticę apud Euseb. Theodoretum, Socratem, Sozomenum, atq; alios: & intelligetur, quàm propriè hæc omnia scripserit S. Ioannes, & quàm propriè impleta sint omnia. Defluxit illius amaritudinis ad nostra usque tempora non parũ, dum inueteratus error subinde diabolo instigante restauratur. Quid enim euomuerit impurus ille Michael Seruetus Hispanus contra Dei filium, propter impietatem incorrigibilem & blasphemiã cõtinuam Geneuæ combustus, nouit orbis. Orandus est ergo Dominus, ut nos in huiusmodi periculosis certaminib. seruet incolumes: Amen.

Michael Seruetus.

Exponitur tuba quarta & quinta, de aperto puteo abyssi, & locustis prorepentibus in terram.

CONCIO XXXIX.

ET quartus angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter. Et uidi & audiui unum angelum uolantem per medium cœli, uoce magna dicentem: Væ uæ uæ habitantibus in terra, à cæteris uocibus tubæ trium angelorum qui erant tuba cantaturi.

CAP. IX. ET quintus angelus tuba cecinit, & uidi stellam de cœlo cecidisse in terram: & data est ei clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnę, & obscuratus est sol, & aer à fumo putei. Et de fumo exierunt locustæ in terram: & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne uiride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui nõ habent signum Dei in frontibus suis. Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarentur mensibus quinque. Et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpij, cum percusserit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

Quarta tuba.

Pelagianum dogma.

Quarta tuba annunciat noxium & diuturnum certamen, quod in ecclesia exortum est ex dogmate Pelagiano. Pelagius docuit peccatum Adam, ipsum solum, non genus humanum læsisse, ideoque in ipso non omnes homines mori. Hominem esse liberi arbitrij, ut facere possit bonum: nec liberum fore, si Dei indigeat auxilio. Quod si quidem accedat, facilius bonum perficiat: si non accedat, nihilominus uirtute sua perficiat, uitamque mereatur æternam. ergo uictoriam nostram non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio: & quòd pœnitentibus uenia non detur secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum meritum & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia Dei. Et reliqua quæ commemorat S. Augustin. epist. 106. ad Bonifaciũ, anathematisasse Pelagium: quæ tamen alibi eundem docuisse, & ad uomitum redijsse tradit: ut in Catal. hæresum, 88 hæresi ad Quoduultdeum. Idem contra duas Pelagianorum epistolas, ad Bonifacium lib. 2. cap. 2. Manichæi negant, inquit, homini bono ex libero arbitrio fuisse initium mali. Pelagiani dicunt etiam, hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum. Catholica doctrina utroq;

Dum uitant stulti uitia, in contraria currunt.

troſque redarguit, & illis dicens, Fecit Deus hominem rectum, &c. & iſtis dicens, Si uos filius liberauerit, uerè liberi eſtis. Et cap. 9. idem: Quod arbitrium ſui in malum liberum dicimus, ad agendum bonum gratia Dei eſſe liberandum, contra Pelagianos eſt. Quod autem dicimus ab illo exortum, quod antea non erat malum, cõtra Manichæos eſt. Item cap. 8. Pelagius dicit, facilius impleri quod bonum eſt, ſi adiuuet gratia. Quo additamento, id eſt, addendo Facilius, utique ſignificat hoc ſe ſapere, quod etiamſi gratiæ defuerit adiutorium, poteſt, quamuis difficilius, impleri bonum per liberum arbitrium. Rurſus idem Epiſt. ad Valent. 47. In Pelagianorum errorem, inquit, cadit, qui putat aliquo merito humano gratiam Dei dari, quæ ſola hominem liberat, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Sed rurſum qui putat, quando ad iudicium Dominus uenerit, non iudicari hominem ſecundum opera ſua, qui iam per ætatem uti potuit libero arbitrio uoluntatis, nihilominus in errore eſt, &c. De peccatorum meritis & remiſs. lib. 2. cap. 18. idem propemodum dicit.

Qui incidant in errorem Pelagianum.

Hac doctrina Pelagij percuſſa, id eſt, obſcurata (ſic enim ipſe Ioannes paulo pòſt ſe exponit, dicens: Ita ut obſcuraretur tertia pars eorum, &c.) eſt ſolis pars tertia, nimirum Chriſti, qui eſt uerus ſol iuſticiæ. Nam Pelagianica doctrina gratiam Chriſti negauit, meritoque humano meritum Chriſti conculcauit. Inde & tertia pars, id eſt, bona pars lunæ, nimirum eccleſiæ, percuſſa & obſcurata legitur: adde & tertia pars ſtellarum, doctorum inquam, & miniſtrorum ſaucia, non ea qua decuit, luce docuit. Hiſtoriæ enim teſtantur, hanc hæreſim infeciſſe grauiter uarias terrarum orbis partes, ſed & epiſcopos, & uiros doctos ſequutos fuiſſe errorem noxium. In Oriente apud Palæſtinam coacta eſt ſynodus epiſcoporum, quæ adegit ad palinodiam Pelagium. Diſputatum eſt & Romæ acriter contra dogma Pelagianum: & coierunt concilia, quæ illud anathemate percuſſerunt. Coierunt ſynodi in Aphrica, & diſputatum pronunciatumque eſt contra Pelagium. nam plurimi hac lue indies corripiebantur. Plauſibile enim dogma eſt, quod ne hodie quidem ſuis caret defenſoribus. Videtur enim pium, & ſtudio uirtutis neceſſarium, aſſerere liberũ arbitriũ, & meritum humanum: contrà apparet laſciuum eſſe, omnia diuinæ gratiæ tribuere.

Solis, lunæ & ſtellarum tertia pars percuſſa.

Addit, nec diem tertia ſui parte, neque noctem tertia ſui parte luxiſſe. Nam ut nec gratia plenè ex Pelagiano dogmate agnoſci potuit, ita neque peccatum. Dicit autem Auguſt. lib. de originali peccato 2. cap. 23 & 24. in duorum hominum cauſa propriè fidem Chriſtianam conſiſtere. Nam per unum nos uenundatos eſſe ſub peccatũ, per alterum redemptos à peccato: per unum præcipitatos in mortem, per alterum uerò liberatos ad uitam, &c. Hæc autem omnia dum dicuntur, in hoc dicuntur, ut nobis ab omnibus illis hæreſibus caueamus.

Nec dies nec nox tertia ſui parte luxit.

Hæc hactenus de quatuor tubis & certaminibus in eccleſia maximis diximus, reſtant adhuc tubæ tres: quibus iam præfatiuncula præmittitur, qua animi auditorum excitantur.

Dicit autem Ioannes, ſe uidiſſe angelum uolantem per cœli medium, audiuiſſeque eundem clamantem: Væ, uæ, uæ, habitantibus in terra. idque ex ijs quæ obuentura ſint hominibus tunc, quando reliquæ tres tubæ inflandæ ſint. Iunguntur itaque ſingulis tubis ſingula Væ. Quæ Germanicè pulchrè exprimimus per *owe, owe, owe*. Nam Græci dicunt, & Græcè ſcripſit Ioannes, οὐαὶ, οὐαὶ, οὐαὶ. Significat autem, aſpera quidem fuiſſe tempora ſuperiorum certaminum: ſed multo aſperiora futura, atrocioraque conſequentia. Alibi enim diximus, uocabulum Væ comprehendere mala cùm præſentis tum futuræ uitæ, tum corporis cùm animæ. Erunt ergo difficillima tempora Papatus, Mahumetiſmi, & extremi iudicij.

Væ habitantib. in terra.

Codex Complutenſis Aquilam habet, ubi nos angelum legimus uolantem per medium cœli: fortaſsis quòd ita legiſſet apud Aretam. Sed & uulgata uerſio, dicta ferè Hieronymiana, habet Aquilam pro angelo. Et ideo eandem lectionem reddit & Primaſius, qui uidetur uererem uerſionem per omnia ſequutus. Porrò aquila pernix eſt, & acie oculorum acutiſsima, ſignificans Dei omniſcientiam & celeritatem inexplicabilem in rebus gerendis.

Aquilam alij legunt pro angelo.

Tuba quinta. Tuba quinta comprehendit atrociſsimum certamen, quod Papa excitauit erroribus in orbem admiſsis, imò inductis, propagatis & defenſis per infelices & omnia depaſcẽtes locuſtas ſuas. Extenditur ad finẽ uſq; ſeculi. De quo iterum copioſius & ſignificantius diſſeret cap. 13. 14, &c.

Stella cadit è cœlo in terrã. Origo huius mali refertur ad caſum ſtellæ. Cecidit enim ſtella è cœlo in terram. Stellæ, quod initio huius libri diximus, circa finem cap. 1. ſignificant nobis ordinem miniſtrorum, uel epiſcopos. Vt enim in cœlo fulgent ſtellæ: ita lumine cœleſti illuſtrati epiſcopi, doctrina rutilare, & uita proba lucere debent in eccleſia. Hactenus autem in cœlo ſtant, dũ officiũ ſuũ faciũt: in terram cadunt, cũ obliti cõuerſationis & doctrinę cœleſtis, terrena cogitant, loquuntur & ſectãtur honores, uoluptates, & ſimiles corruptelas. Paulo pòſt appellabit angelum, quẽ modò ſtellam dixit. Inſignis & pura fuit Romanorum eccleſia, etiam Apoſtolorum præconio celebrata aliquando. Habuit epiſcopos, id eſt miniſtros eccleſiæ, ad Conſtantinum uſque imperatorem, circiter x x x ij. pleroſque doctiſſimos, ſanctiſsimos (homines tamen) & martyres Chriſti Domini glorioſiſsimos. A Cõſtantino imperatore rurſus numerantur pontifices, id eſt paſtores Romanæ eccleſiæ, ad Gregorium uſq; magnum, circiter xxxij. inter quos extitere non pauci ſatis diligentes, docti & pij: ſed in his tamen reperti ſunt etiam, qui ambitionis malo cæcati, plus cœperunt declinare ad captãdos honores & titulos ambitioſos, quàm doctrina Chriſti de humilitate & ſimplicitate, & exemplum Chriſti apoſtolorumq; permiſerit. Fugit Chriſtus, cum ipſum populus uellet deligere & creare regem. Dixit, reges regnaturos, apoſtolos & apoſtolicos uiros ſeruituros. Si itaque reges, regna & opes obtuliſſent, non recepiſſent illas apoſtolici. Quid aliquot Romani pontifices cũ Aphricanis eccleſijs inſtituerint, & quomodo ijs dominari uoluerint, claret ex hiſtorijs. Inuẽti tamen ſunt inter poſtremos, ut Pelagius, & Gregorius ille magnus appellatus, qui præſules Cõſtãtinopolitanos grauiter accuſarũt, quòd conarẽtur Cõſtãtinopolitanã eccleſiã omnium in orbe primã, & ipſius præſulẽ uniuerſalẽ cõſtituere epiſcopũ. Nec piguit Gregoriũ diſertè dicere, eum eſſe Antichriſti præcurſorẽ, quiſquis uniuerſalis epiſcopi nomen uel titulum ambiat. At his nihil commotus Bonifacius, eius nominis 3, poſtulauit & impetrauit à Phoca imperatore nõ multo poſt fata Gregorij tẽpore, ut Romana eccleſia diceretur & haberetur pro prima, & omnium eccleſiarum capite. Qua re detracti pontifices Romani, & terræ illiſi, prorſus terrenis adhærere, & terrena curare, imò ad imperium & dominatum aſpirare cœperunt. Habes, quę nam è cœlo in terram ceciderit ſtella.

De Romana eccleſia.

Romani pont. ſtella è cœlo delapſa.

Huic autem ſtellæ (poſtea appellat angelum abyſsi) uel pontifici (unum nomino, omnes huius ordinis & ſucceſsionis in ſede illa intelligo) data eſt clauis putei abyſsi. Clauem quidem Dauidis retinet Chriſtus: quod 2. cap. huius libri expoſui. Idem claues regni cœlorũ dedit apoſtolis, poteſtatẽ aperiẽdi recludendiúe cœli: id eſt, miniſteriũ prędicandi euangelij, quo annũciatur & certò promittitur remiſsio peccatorũ, ac uita æterna credentibus: retentio autem peccatorum, & indubitata condemnatio, incredulis cõminatur. Has claues & Romanis epiſcopis datas eſſe, nemo pius addubitat: rurſus nemo neſcit poſteriores Papas ijs noluiſſe uti legitimè, quin & adulterinas ſibi, corrupta ueritate euangelica & uitiato miniſterio legitimo, parauiſſe claues. Iccirco data eſt illis à principe tenebrarum clauis putei abyſsi, nimirum doctrina corrupta & adulterata, miniſterium item apoſtaticum, non apoſtolicum, quo ueluti ex inferis patefactis produxerunt errores enormes & ſuperſtitiones, & omnis generis impietatem. Neq; ſine diuina prouidentia factum arbitror, quòd pontifices Romani appellantur Clauigeri, & in inſignijs ſuis claues præferunt. Non intelliges claues regni cœlorum, ſed abyſsi potius: cum hic ſit doctor errorum, & omnis abominationis: author item omnium bellorum & diſſenſionum, ad ipſos deducens inferos.

Clauis datur ſtellæ uel angelo.

Claues papæ.

Deus quidem eſt fons perennis boni, & omnis ueritatis: qui in Chriſto per apoſtolos in prædicatione euangelij apertus, refocillat aqua ſalutari omnes ſitientes ſaluté æternam. De hoc fonte mentionem facit Iſaias in cap. 55. & Ieremias in cap. 2. Dominus ité in Euangelio ſecundum Ioan. cap. 4 & 7. & aliàs ſæpe.

Deus fons uiuus.

Puteus abyſsi.

Huic fonti uiuo aquarum perennium opponitur puteus abyſsi, *Der ſood des abgrunds*, imper-

imperſcrutabilis inquam malitia ſathanica, referta impietate, abominatione & mendacijs omnigenis. Inde ebullit in orbem per pſeudodoctores uel antichriſtiana organa, quicquid uſpiam eſt erroris & abominationis. Sathan enim, mendaciorum parens, ſpargit in orbem per ſua inſtrumenta quicquid eſt tenebrarum.

Aperitur puteus abyſſi.

Proinde ſtella uel angelus abyſsi, id eſt Papa aut pontifex aperit claue puteum abyſſi, ac protinus aſcēdit fumus putei. Hactenus enim dixi de origine mali: iam de progreſſu & propagatione ſequetur.

Fumus ex puteo abyſſi.

Papa per miniſterium ſuum corruptum inferos, non cœlū aperit. Ex inferis aſcendit uel excitatur fumus. Fumus alicubi in ſcripturis præſentiæ & irę atq; uindictæ diuinæ typus eſt: ut cum in templo Solomonis & Iſaiæ tēpore oboritur fumus, 3. Reg. 8. Iſaię 6. Exodi 19. legimus, Fumus à mōte, ut ex fornace aſcendit. Pſal. 18. legis: Fumus aſcendit in ira Dei, ignis à facie eius exarſit. In præſentiarum uidetur ſignificare fumus opiniones noxias infernalesque. Nocet oculis fumus, nec ſinit liquidò cernere uerum. ſic facit deprauata doctrina quoque, præſtringit oculos, eripit iudicium, & excęcat errore. Meritò autem hæc patiuntur à fumo iræ Dei, & à mendacijs impoſtorum homines, qui lumen euangelij, gratiamque & perſpicuitatem ueritatis diuinæ reſpuerunt. Fumi huius infernalis titulo comprehenduntur opiniones, imò dogmata hæc abominanda, Romanum pontificem, ut primæ eccleſiæ ſedisq; Apoſtolicæ antiſtitem, ita uniuerſalem eſſe paſtorē, apoſtolicū: quinimò eccleſiæ militantis caput, uicariū Chriſti in terris: cuius uox perinde audienda ſit, ac Chriſti ipſius: habere illum plenam in eccleſia poteſtatem, claues regni cœlorum, &c. Et reliqua huius generis. Hunc eundem ordinare & dare omnibus eccleſijs paſtores, qui ad præſcriptum Romanæ eccleſiæ omnes alias cōforment eccleſias, &c.

Quantus fumus, & quid efficiat.

Quantus uerò hic fumus ſit, & quàm efficax, ſignificanter exprimitur: Aſcendit, inquit, ſicut fumus fornacis magnæ: *als ein rouch der vß einer groſſen eß kumpt.* Significat opiniones & dogmata Papiſtica admodum eſſe denſa, multiplicia & apparentia: cum reuera nihil ſint quàm fumus, inflata & inanis uanitas. Tantæ uerò potentiæ eſt, ut ſolem obſcuret, & aërem. Sæpe diximus iam Chriſtum eſſe ſolem iuſticiæ. aërem dicimus eſſe ſalutarem doctrinam, qua refocillantur animæ fidelium. Doctrina ergo Papiſtica obſcuratur ſol & aër, Chriſtus & Euangeliū. Chriſtus eſt paſtor uniuerſalis, pōtifex ſummus & unicus, caput & ſalus fideliū, qui gratis remittit peccata: id quod prędicatur per euangelium. Vileſcit hæc doctrina, cum admittitur Papa pro capite eccleſiæ, cū plenaria poteſtate concedendi indulgentias peccatorum omnium. Ita obſcuratur ſol.

Ex fumo exoriuntur locuſtæ.

Porrò longius procedit malum, & exerit ſe in eccleſia longè efficacius. Nā de fumo exierunt locuſtæ in terram. Etenim cū falſa perſuaſione doctrinæ adulteratæ oculi omnium eſſent excæcati, nec rectà in unum Chriſtum, & ſolum eius euangelium intuerentur, omnesque Papam pro Chriſti uicario, pro capite eccleſiæ, & apoſtolico, & ueluti pro ore Dei uenerarentur, & ipſe iam crearet epiſcopos & ſacerdotes, atq; monachos aleret, proueheret, cōfirmaret: prouenit feliciſsimè, prouentu inquā uberrimo, & numero innumerabili, infinita clericorum turba. Etenim ipſe mox conſequentib. uerbis, plenioreq; expoſitione declarat, ſe nihil loqui de animalculis iſtis locuſtis. Nā dicit, Et prę ceptum eſt eis, ne læderent fœnū terrę (& quidem fœno non uictitat clerus) neq; omne uiride, neq; omnem arborem, niſi tantum homines. Quaſi dicat, Nihil loquor de locuſtis, quales deuaſtarunt quondam Aegyptū: de hominib. loquor peſtiferis, homines uenenata doctrina affligentibus. Sed & paulo pòſt ita deſcribūtur omnib. ſuis partibus, ut nemini dubiū ſit pſeudoclerū deſignari. Id quod & Primaſius uidit, qui in ſuis in hūc librum Commentarijs dixit: Malarum doctrinarum ponit authores. Quia ſicut locuſta ore nocet, ita illi ſuis prædicationib. lacerant: ſicut legimus, Lupi graues non parcentes gregi, &c. Hæc ille. Sunt & aliæ cauſſæ, cur pſeudoclerum aſsimulauerit locuſtis. Locuſta ſi ſola ſit, cōtemptiſsima uidetur: ita nihil uilius ſolitario monacho, aut ſacrifico, aut ſophiſta: ſi uerò turmatim uolitent, horrori ſunt hominib. neq; ulla ui depelli poſſunt, depaſcunt & perdunt omnia. Ioel dum ingens malum uellet nunciare uenturum, dicit locuſtas affuturas. Aeſtate cantillant, ſaltitant, ocio & uoluptate fruuntur, cū detrimē-

Quid locuſtæ.

Excusatio & exceptio.

to agricolarum. Eadem uideas & in clero. Nihil hic loquor de sacerdotib. sanctis, id est legitimis ecclesiæ ministris, de uiris bonis, honestis & doctis: nihil loquor de antiquis & sanctis monachis, qui nemini fuerunt oneri uel molesti, neq; doctores, sed laici planè, suis manibus sibi uictum quærentes, subditi in ecclesia unà cum alijs fidelibus ecclesiæ pastoribus, &c. de illegitimis, inertibus, & fruges consumere natis loquor, maximè uerò de falsis doctoribus.

Clerus est innumerabilis.

Et rectissimè quidem locustis comparatur clerus Papæ. Nam & innumerabilis est, & occupauit depasciturque omnia. Quondam numerari potuerunt ministri ecclesiarum. Erat enim numerus astrictus: neque inutiles aut non necessariæ alebantur ex facultatibus ecclesiasticis personæ. Extat in Nouellis Iustiniani Imp. constitutio, ordine 3. in qua inter alia: Sancimus, ne quando in sacrosancta maiore ecclesia ultra 60 presbyteros, diaconos uerò mares centum, & Subdiaconos nonaginta, Lectores autem ultra 110, Cantores ultra 25 existant: ut uniuersus reuerendissimorum clericorum Maioris ecclesiæ numerus in 425 personis, & 100 præterea Ostiarijs, ut uocant, consistat. In sanctissima igitur maiore almæ huius urbis nostræ (Constantinopoleos) & tribus illis sacris ædibus ei coadunatis (uidelicet in æde diuę Virginis, S. Theodori, & S. Irenes) tanta clericorũ multitudo esto, &c. Cõstituit hæc summa ministrorum huius regiæ urbis, & amplissimæ ecclesiæ personas 525. At quot hodie inuenias Romæ, aut in alia urbe ampla sacerdotes, monachos & nonnas? Excellent hunc numerum quadruplo, & amplius. Et ut multa quæ hic adduci poterãt, omittam, sub Papa Pio refert Sabellicus, Enneade 9. lib. 6. Minoritarum, quos & Cordigeros uocant, sectam, usqueadeò per totum orbem pullulasse, ut tũc 40 prouincias obtinuerint, & sub qualibet plures Custodias uel Cõuentus (Guardianos uocant præsides) & sexaginta hominũ millia excessisse: adeò ut magister uniuersi ordinis, quem generalem uocant, sæpius auditus sit Papæ, expeditionem in Turcas paranti, polliceri ex Seraphici Francisci familia, triginta bellatorum millia, qui bellica munera gnauiter obire possint, nihil sacrorum cultu interpellato. Iam uerò quis nesciat quot sint ordines monachorum? supputes itaque licebit ad Seraphici ordinis numerum ordines alios, tribuasque singulis partem numeri mediam, ad quantam oro summam peruenies? His si addas collegia maiora & minora, per tot diœceses, uicarios item & sacellanos, fateberis non temerè locustis comparari clerum Papisticum.

Locustæ uastant omne uiride.

Quomodo uerò occupauerint & depascantur omnia, non est quod multis explicem. Vulgo dici solet *die geistlichẽ habind die drei gyppffel vom bett in ire hând gebracht, vnd ryßendt sich ietz ouch vmb den vierden.* Vbicunque locus amœnus, salubris & fertilis se offert, quocũq; terrarum peruenieris, cernis eum scatere clero, ędificijsque sacris occupatum esse.

De potestate locustarum.

De potestate quoque harum locustarum diserte disserit. Adumbrat illã per icon uel per parabolam: Et data est illis, inquit, potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. Scorpio blandum & domesticũ propè est animal, quod mox cauda, uel caudæ potius aculeo ferit, & uenenum infundit. Blandis ergo uerbis clerus Antichristi decipit, & uenenum prauæ doctrinæ infundit. Sic loquitur Apostolus etiam de pseudodoctorib. in 16. cap. ad Rom. Per blandiloquentiã, ait, & assentationẽ decipiunt corda simpliciũ. Potestas ergo non alia est quàm praua doctrina, qua ceu scorpiaco ueneno inficiunt simplices Christianos, maximè uerò illos qui euangelicam doctrinam contemnunt.

Quibus nocerant locustæ.

Sequitur enim explicatio, quib. nocere possint hæ locustæ. Sunt duo hominum genera. Alij quidem scientes & uolentes perire uolunt, & aperti professique sunt hostes sancti euangelij: quos iusto Dei iudicio perimunt suo ueneno scorpiolocustæ. Alij uerò simpliciores, ignorantia aberrant potius quàm pertinaci malicia: hi cum habeant signũ in frontibus suis (de quo dictum est cap. 7.) non percutiuntur à scorpiolocustis. Nam limitata, non immensa est huius mali potestas. Datum est ergo locustis, ne occidant (non impios illos qui mori quàm uiuere malunt) simplices illos. Lædunt quidem, sed non ut infideles ad mortem. Cruciant autem mensib. quinq;. Cruciatus uerò ille, tormentũ est conscientiarũ, quas isti excruciant minis, hypocrisi, & mirificis terroribus.

Menses quinque.

Consolationis causa additur, Mensibus quinq;. Locustæ quidem prodeũt mense Aprili, & uiuunt in Septembrem usque, quinque in uniuersum mensibus, mox pereunt.

Signi-

Significat ergo, tormenta ista sensuros pietati consecratos pauculo tempore: nec seductores illos semper profecturos: sed futura interualla, quibus pij per ueritatem sint asserendi. Non enim toto anno uastant & uidentur locustæ. Comparatio ergo subesse uidetur in hoc determinato numero. ut sit sensus: Sicut locustæ non diutius uiuunt quàm ab Aprili in Septembrem, ita certè præfixum est tempus illis seductoribus & pseudoclero Papæ. Sic consolatus est ecclesiam ipse quoque apostolus Paulus: qui cum prædixisset, mirificè diuexandam ecclesiam ab hypocritis & pseudodoctoribus, mox subijcit: Quemadmodum autem Iamnes & Mambres resistebant Mosi, ita & hi resistunt ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: sed non proficient amplius. Siquidem amentia istorum euidens erit omnibus: quemadmodum & illorum fuit. Et Primasius: Illi hic intelliguntur, inquit, qui licet falsis fuerunt irretiti doctrinis, circa finem tamen uitæ compuncti, diuinam recipiunt ueritatem. Rursus ergo uidemus, quod & septimo capite monuimus, non omnes perijsse, qui aliquando Antichristi laqueis fuerunt irretiti. Tandem enim per Dei misericordiam emerserũt, & gratiam Dei per Christum sibi concedi postularunt, præteritis omnibus superstitionibus. Videmus præterea, historias legentes, subinde per interualla certa Deum aperuisse ueritatem per ministros suos fideles, quorum prædicatione interrupta est locustarum improbitas, ut homines ipsas nosse cœperint, & uitare: renati tamen, subinde redierunt, &c. redierunt item & ministri alij, &c. 2. Tim. 3.

Amplius uerò explicat, quanta fuerit aut sit uis huius mali. Cruciatus eorum, inquit, ut cruciatus scorpij, cum percusserit hominem. Ab initio dolor non adeò magnus sentitur, sensim uires acquirit, & tandem mirificè torquet. Si in tempore adhibeatur remedium, lethiferum non est uenenum: si nõ adhibeatur, perit percussus aculeo. Ad explicationem huius tormenti, quod homines in conscientijs sentiunt, pertinet quod sequitur, Et in diebus illis quærent homines mortem, &c. Est autem talis loquutio, qualis fermè illa, Cadite super nos montes, & adoperite nos, &c. De qua dixi cap. 6. Est autem uox uehementer afflicti, & quasi in desperatione constituti. Certè doctrina Papistica de meritis, de perfectione monastica, & de alijs id genus dogmatibus, tantum non præcipites in desperationem egit plurimos. His accedit, quòd tempora locustarum fuerunt doloribus refertissima: de quibus omnes historiæ conqueruntur. Vita non fuit suauis, sic commiserunt locustæ inter se homines, &c. Breuiter uerò adegerũt homines, ut mori optauerint. Dominus Iesus liberet nos à ueneno locustarum istarum. *Quanta uis ueneni.*

Describuntur mira hypotyposi locustæ, clerus pontificalis: & ostenditur, quale prælium Antichristianum futurum sit.

CONCIO XL.

ET similitudines locustarum similes equis paratis in prælium: & super capita earum tanquã coronæ, similes auro: & facies earum tanquam facies hominum: & habebant capillos sicut capillos mulierum: & dentes earum quasi leonum erant: & habebãt loricas sicut loricas ferreas: & sonitus alarum earum sicut sonitus curruum equis multis currentibus ad bellum: & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum, nocere hominibus mensibus quinque: & habent super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abbadon, & Græcè Apollyon.

De origine & potẽtia locustarũ dictũ est: cæterùm ne quis ulla impediretur obscuritate, quo minus agnosceret locustas, atq; caueret (hic enim totius prophetiæ scopus est, intelligere mysteria Antichristi, & cauere) iã etiã mirifica hypotyposi describit locustas, *Intelligere & cauere à locustis.*

& pugnâ ipſarum contra Chriſtum, & pietatis doctrinam omnium periculoſiſsimam.

Exercitus Papæ ſpiritualis deſcribitur.

Dubium autem non eſt, quin deſcribatur totus Papæ exercitus, ſpiritualis maximè, ut uocant. etenim ſeruiunt ei & Cæſaris, & regum, omniumq; principum milites, quos appellant ſeculares. In caſtris uerò Papæ ſunt ſpiritualis militię Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Prælati. Nec eſt ullus numerus ſacerdotum ac monachorum utriuſque ſexus. Huc pertinent ſcholæ pleræque, & doctores atque magiſtri, promachi magni Papæ: hi reuera ſunt locuſtæ illæ, de quibus Dominus Ieſus in præſenti loquitur. Scio, quàm indignè multi ferant hanc meam expoſitionem. Ego uerò libenter (Deus mihi teſtis eſt) illis parcerem: ſed culpa omnis in eis hæret, qui dictis & factis ſuis ſemetipſos produnt, & ſe locuſtas eſſe declarant. Niſi enim res ipſa clamauerit, illa fieri ab eis, quæ per expoſitionem in præſenti in medium proferuntur: nolo mihi adhibeatur fides. Nihil hic in cuiuſquam dico gratiam, nihil odio. Iudicet hic inter nos Deus ipſe, iudicet ipſa ueritas. Omnes certè interpretes unanimi conſenſu per locuſtas intelligunt pſeudodoctores.

Parabolis omnia illuſtrantur.

Sed uideamus deſcriptionem Ioannis apoſtoli ex reuelatione Ieſu Chriſti, qui nemini facit iniuriam, nemini per calumniam inurit maculam. Dicit autem locuſtarum ὁμοιώματα, ſimilitudines inquam, per quas ſuffigurari, & ueluti ante oculos collocari poſſunt, ſimiles eſſe ijs rebus quas producit. Singulis enim partibus adijcit icones uel parabolas, quibus ingenium & mores locuſtarum quàm proprijſsimè exprimit.

Equi parati ad prælium.

Principiò dicit, locuſtas ſimiles eſſe equis paratis ad prælium. Multa ſimul hac parabola adumbrat: clerũ non tantũ fore ambitioſum & ſuperbum (equi enim ſunt typus quidam ſuperbiæ) ſed inſuper contumacem & audacem, adeoq; truculenter ferocem, & in crudelitate, omnibusq; ſuis errorib. pertinaciſsimum, ignarũ prorſus reuerſionis, id eſt pœnitentiæ. Videtur enim Ioan. alluſiſſe ad hæc Ieremiæ uerba: Quî fit quòd populus hic non auertatur à tam pertinaci auerſione? Pertinaciter dolo hærent, renuunt reuerti. Attendi & audiui, & non loquebantur rectum: nemo erat quem pœniteret mali ſui, & qui diceret, Quid feci? Quiſque illorum ad ſuum curſum tendit, perinde ac equus in prœliũ effuſus. Certè apud hoc hominum genus nulla eſt reuerſio. cogitant potius omnes, quomodo alios ſecum in errores pertrahãt. Significat item, clericos bellicoſos & authores bellorum futuros, bellaq; pijs Dei illaturos cultoribus. Etenim paratũ habent brachium, quod uocant, ſeculare. A' ſeculis certè aliquot nulla propemodũ bella ſunt exorta, quæ non fuerint ab hoc genere hominum excitata. Teſtantur hoc hiſtoriæ. Quinimò præfuerũt noſtro ſeculo Cardinales & Epiſcopi exercitibus, &c. Significatur denique clerum perpetuo bello ſpirituali etiam fatigaturum ueram Chriſti eccleſiam. Vnde in 11. cap. audiemus beſtiam ex abyſſo aſcendentem, prælium facere cum eximijs Dei prophetis. Miſcent itaq; tam ſpiritualia quàm corporalia bella. Significatur poſtremò, clerum Papæ futurũ bene curata cuticula, ualentem, formoſum, & libidinib. appoſitum. Etenim non ſtrigoſos, & macie cõfectos, aut plauſtrum & aratra trahentes, referunt hoc genus hominũ: ſed ſunt bene curati, uel præpingues. *Sind nit arme ackergurli, oder ellende karrenroß, ſonder glatt wol geſtriglet kürys oder reyſige gül.* Contẽplare enim mihi, & expendito qualis ſit (bona ſui parte) clerus, & dices ſuis colorib. hic expreſſum.

Coronæ.

Deinde ſuper capita earũ, inquit, tanquã coronæ, ſimiles auro. Rabanus Maurus lib. de Inſtit. clericorũ 1. cap. 3. uocat raſurã uerticis ſacerdotalis regnum, ſignum utiq; regiæ & ſacerdotalis dignitatis. Etenim ſacerdotes & monachi iactãt ſe eſſe reges & ſacerdotes, reuera tamẽ neutrum ſunt. Veri enim fideles coram Deo ſunt reges & ſacerdotes. 1. Pet. 2. Cæterùm ex ordinatione & raſura Põtificis, nihil uel regni uel ſacerdotij acceperunt. Rectè ergo Ioannes ſuper capita earum, inquit, tanquã coronæ ſimiles auro: nõ enim dicit, Erant coronæ, ſed tanquã coronæ ex auro. *als werents kronen vß gold*, ueræ non erant, nec ipſis debebantur. Et tamen in fine ſeculorum ſumpſerunt ſibi & diademata, ſiue infulas & coronas etiam aureas, & precioſiſsimas. Nullo tamen iure ſumpſerunt. Olim pontifices gerebant albas tiaras, ſymbolum puritatis & ſinceritatis, denique ſcientię utriuſque Teſtamenti: ſed nemo apoſtolorum uel apoſtolicorum uirorum illas geſsit. Proinde ueluti ſorex ſuo ipſius produntur indicio, idque diuina proui-

prouidentia fieri credo,ut cognoscátur,& ab ouib.Christi ueluti coronati lupi uitétur.

Facies earum erant hominũ,non locustarũ facies.Ita & in Daniele Antichristo oculi tribuuntur hominis,industria nimirum & solertia.Homines isti magnam simulant humanitatẽ,blandissimis sunt instructi uerbis,dixeris ipsam esse humanitatẽ: sed simulát hæc,ut se insinuando in pectora hominũ,res suas conficiãt ac decipiant.Artib.dolo,astutia & practicis,ut uocant,superant põtificij legati,oratores,sacerdotes & monachi,omnes alios mũdi sapientes.Immiscent se omnib. omniũ comitijs, explorant omnia, omnia rapiunt ad res suas conficiendas,omnia simulant & dissimulant, facilè supplantant etiam prudentissimos.Præterea docti sunt,acuti,eloquentes,& mirificè in reb.omnib. uersipelles.Res ipsa loquitur atq; testatur,me scribere uera. *Facies hominum.*

Et habebant capillos,sicut capillos mulierũ:quo icone notat ipsos molliciei,ocij,cultus meretricij,& effœminati animi.Sunt enim comatuli,utiq; bene culti,muliebri mundo gaudentes, preciosis uestibus ornati,in templo maximè, ubi maximè humiles frugalesq; esse oportuerat.Quis apostolorũ unquam sic redimitus in templo aut extra tẽplum incessit?Luxus & mollicies uestiũ sacerdotum & monachorũ,ne principum quidem Persicorum cultui cesserit.Res ipsa rursus loquitur.S. Augustin.homelia in Apoc. 7. In capillis,inquit,non modò sexum effœminatum,sed utrunq; sexum uoluit intelligere & ostendere.Hæc ille.Id quod alijs exponendum relinquo. *Cincinni mulierum.*

Dentes etiam leonum ipsis tribuendo, designat truculentam eorum cõtra pauperes & fidos Christi confessores crudelitatem. Atrocissimi sunt in persequutionibus,sanguinisq; sitientissimi,nec ulla hic flectuntur misericordia. Ferro & isti uastant omnia: tormenta nõnulli excogitant uaria. Busiides & Phalarides superãt. Res ipsa rursus loquitur.Si enim reges,principes & magistratus miseris uelint parcere, sacrifici & monachi nefas id esse clamitant: omnium deniq; principum & magistratuũ animos incitant in Euangelicos,formas inquisitionũ & oppressionum præscribendo. His accedit,*das sy vnersettiget vnd verthůgig sind.* Alij ex ijs condi sunt,insatiabili auaritia, & religiosa rapina regias condentes opes.Alij rursus succedunt promi, qui malè repostas opes proferunt & prodigũt,luxu,alea,scortis,practicis aut bellis. Rectè ergo dentes leonũ ipsis attribuuntur:sicuti & Amos pseudoprophetis attribuisse legitur. *Dentes leonini.*

Iam etiam habebant θώρακας thoraces (munimentum est pectoris,quod Germanicè appellatur *krâbs*) sicut thoraces ferreos. Alij loricas exponunt: sed illę totum corpus tegũt,thoraces propriè pectus muniunt. Significatur autem,cor illorum fore obstinatum & inflexibile. Pertinaces sunt, nec uel latũ pilum discedunt à suis erroribus,imò fingunt sedem illam errare non posse: quinimò pontificem errare nõ posse.Neq; enim doceri aut admoneri sustinent,sed simpliciter,Romana(inquiunt)ecclesia nunquã errauit:nihil ergo restat aliud,quàm ut ei subscribas,aut notam feras hæreticorũ,ac moriaris.Significatur præterea, istos futuros aliena protectione tutissimos. Habent enim suam immunitatem, habẽt sua priuilegia, habent brachiũ seculare,semper ad feriendũ pro ipsorum uoto paratũ, habent suas concatenationes,societates,fœdera,affinitatesq;. Quid quod abbates & episcopi principũ sunt filij,fratres & necessarij? Quisquis ergo hos attigerit,is attigit pupillã oculi principis.Pro his enim,eorũq; statu incolumi seruãdo,pugnãt omnes tanquã pro focis & aris. *Thoraces ferrei.*

Præterea tribuuntur locustis alæ.Efferuntur enim ultra cõmunem hominũ sortem, dum habentur pro beatissimis & præstantissi.in orbe, &c. Quid quod impudenter iactitant,se in eo esse digniores & maiores diua Virgine, quòd hæc semel in utero gessit Dei filium,illi uerò ipsum quotidie euocare possint in arã?&c.Dum aũt uolant,eiusmodi sonitũ edunt, qualẽ equi,currus falcatos trahentes,& iam in hostiũ itruentes aciem: id est,uehemẽtissima sunt istorũ omnia,& pugnacissima,horrẽdá hominib. & lethalia. Huc pertinẽt clamosæ Scholarũ disputationes, excõmunicationes,sedis latæ sentẽtiæ, diplomata & bullæ perstrepentes,iactationes decretorũ,quodq; pertinacia sunt inuincibiles.Omnia hæc cõclamant,& horrendũ intonãt, *als wenn ein reysinger zůg am angriff anrhendt.* His accedit, quòd institutis & consilijs suis perrumpũt.Vnde & Daniel Antichristianis attribuit prosperitatẽ:Faciet,inquit,& ꝓsperabitur.Ita uerò perrũpunt,ut quod prius quoq; dictũ est,homines mori cupiant,existimantes nullam esse liberationẽ, &c. *Locustæ alatæ.* *Currus falcati.*

De

Aculeatæ caudæ ſcorpionũ. De caudis ſcorpionum, & menſibus quinq; dictum eſt concione ſuperiore. Venenata notatur doctrina, quæ tamẽ per interualla temporum redarguetur, ut ſibi caueri poſſint pij homines. Quis autem non uideat, imò etiã ſentiat, quàm grauis aut difficilis ſit hęc, quæ à talibus locuſtis exhibetur, pugna? Rectè ergo coniunxit locuſtis Væ, os Domini. Rectè optant mori homines, quo tantis ſubtrahantur diſcriminibus. Expendamus hæc hodie, & oremus ut liceat uincere & effugere uenenum perniciosiſsimum Antichriſti.

Rex locuſtarum. Nunc enim & rex locuſtarum iſtarum protrahitur in medium, & ueluti digito oſtenditur à Chriſto. Inſignit eum tribus epithetis, quo rectius agnoſcatur. Habent locuſtæ ſuper ſe, inquit, regem. Non eſt illis datus legitimè hic rex, ſed ipſi habent illum ſuper ſe regem, *Sy habend inn vffgeworffen.* Quis enim neſciat, artib. ſpiritualium patrũ effectum, ut Papa exemptus iuri principum, cunctis etiam ſit præpoſitus clericis? Nec enim agnoſcunt hi alium magiſtratũ, quàm Romanũ: principesq; ſeculares (ſic enim uocãt) inceſſunt conuicijs, ac his obtemperare nolunt. Omnes obſtringunt ſe ſedi Romanæ, quam oppreſsis omnibus ſaluã uolunt, & incolumem. Nota eſt formula iuramenti, quæ præſtatur Papæ ab epiſcopis, abbatib. & doctorib. Si uerò reges & principes delibutũ oleo ab epiſcopis uel digito contingant, licet ſacrilegus ſit, latro, fur & parricida, excommunicati habentur. Sic inquam Papam ſuper ſe habent regem locuſtæ.

Angelus abyſſi. Idem ille appellatur & Angelus abyſsi: mox in cap. 11. appellabitur beſtia, quæ aſcendit ex abyſſo. Chriſtus cœlitùs ad nos deſcendit, teſtamenti & magni conſilij angelus. quem qui audire dedignantur, meritò audiunt angelũ abyſsi, id eſt legatũ ex inferis ab ipſo ſathana ſubmiſsũ, Antichriſtũ. Eſt enim aduerſarius Chriſti, & ęmulus, in quo corporaliter habitat diabolus: ſicuti & S. Hieronym. ſenſit, diabolum totũ inhabitaturum magnum illum Antichriſtum.

Abbadon, & Apollyon. Ideo etiam uerum nomen, & titulus uerus conuenientiſsimus ipſi inditur. Nã mentiuntur qui ſalutant illum, & dicunt, Beatiſsime pater, Sanctiſsime papa, &c. Chriſtus illum alijs ornat titulis. Nomen illi, inquit, Hebraicè Abaddon, & Græcè Apollyon. In utraq; lingua nomẽ eius promulgat, non alia de cauſa, quàm quòd in utroq; teſtamento, quorum alterũ Hebraicè, alterũ Greçè ſcriptũ eſt, hic illi titulus tribuitur. Significat Abbadon uel Abaddon, uel Apollyon, uaſtatorẽ uel perditorem. At Antichriſto tribuũt hanc uirtutem Daniel in cap. 7. 8. 11. & Zachar. in cap. 11. S. Paulus uocat illum filiũ perditionis, nimirum perditiſsimum, damnatiſsimúmue, & maximum perditionis dãnationisq; authorem: qui deniq; multis author futurus eſt cædis, per uaria bella. Nam per falſam doctrinã perdit animas, tyrannide uerò per ignes & gladios uaſtat terras, & obedire ipſi renuentes, crudeliſsimè. Conſiderentur acta papalia, & ſtudia patrum ſpiritualiũ: conferantur ea hiſce Dei oraculis, fiat deinde comparatio & iudicium. Eſt autem hic ueluti clauis, aperiens nobis ſenſum huius loci & quòd exponẽdus ſit de Antichriſto, quẽ Paulus appellat filium perditionis. Hebraicè חבר ſignificat perijt, aut diſsipatum eſt. inde eſt חבדרן & Eſthrę 9. חבדרן aut חבדרן perditio uel interitus. Ita Greçè ἀπολέω ἠγοὶ ἀπόλλυμι ſignificat perdo & deſtruo. inde ἀπολλύων. Dominus Ieſus conficiat hunc perditorẽ ſpiritu oris ſui, & tollat eum penitus glorioſo ſuo aduentu.

Filius perditionis.

Exponitur tuba ſexta, ubi agitur de rebus Saracenicis & Turcicis.

CONCIO XLI.

VAE unum abijt, & ecce ueniunt adhuc duo uæ poſt hæc. Et ſextus Angelus tuba cecinit. & audiui uocẽ unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicentem ſexto angelo, qui habebat tubam: Soluc quatuor angelos qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate: & ſoluti ſunt quatuor angeli, qui parati erant in horam & diem & menſem

sem & annum,ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus uicies millies dena millia. Et audiui numerū eorum. Et ita uidi equos in uisione: & qui sedebant super eos, habebāt thoraces igneos,& hyacinthinos, & sulphureos. Et capita equorum erant tanquam capita leonum:& de ore ipsorum procedebat ignis & fumus & sulphur. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominū, de igne & de fumo & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum. Potestates enim eorum in ore ipsorum sunt,& in caudis ipsorū.Nam caudæ eorum similes serpentibus,habentes capita,& per hæc nocēt.

Certamē uel pugna sexta est ex Mahumetismo per Saracenos, Turcos & Tartaros crudelissimè,& multo cum uæ commissa. Atq; utinam commissa. Nam quotidie reb. ipsis prophetiæ mysteriū intelligimus, & impletionē cernimus,atq; adeò etiam experimur.

Summa uisionis.

Ad cantum tubæ angeli sexti audit Ioannes uocem ex quatuor cornib. altaris aurei, id est ex ara media: neq; enim est quòd mysterium quæramus in quaternario numero. De illa uerò ara loquitur,quæ est ante oculos Dei. Iubet ea uox,angelum tubicinem solu ere quatuor angelos in magno flumine Euphrate alligatos. Quod simul atq; factum est,innumerabilis prorsit equestris exercitus, tertiamq; terræ partem,id est tertiam hominum partē obtruncat & proterit. Porrò equitatus ille, & uirtus uel potestas eius diligenter describitur.

Altare aureū.

Altare illud aureū, dudum didicimus significare Christum, sedentem ad dexteram patris. Est is auro purior & preciosior: est sacerdos & sacrificium omniū fideliū, astans corā oculis Dei, nimirum Deo placens, in quo anima eius placata est fidelib. omnib. cuius uirtus sufficit omnibus. Talem uerò Deus pater uoluit prædicari, & credi ab omnibus in orbe fidelibus. Talem item uetus ecclesia ab apostolis instituta credidit & docuit: donec opera & instinctu diaboli, corruptissimi in ecclesia exorirentur homines, quorum hi negabant diuinitatē Christi, illi humanitatē, alij diuellebant personā Deo & homine cōstantem, alij uerò commiscebant naturas, aut naturarum proprietates. Tulit hoc longanimiter diuina bonitas, subinde mittens fideles & disertos ueritatis assertores, qui blasphemos reuellerent errores: id quod factum legimus per singulos episcopos uel doctores ecclesię, uel per cœtus ecclesiasticos, quos uocamus Concilia: qualia fuere Nicenum, Cōstantinopolitanū, Ephesinum & Chalcedonense: in quibus dānati sunt Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, aliaq; hæreticorum Christum oppugnantiū monstra. Cæterùm pertinacia incurabili hominū superāte, nullus fiebat alterationis & blasphemiarum finis. Etenim non postremi ultimarū ecclesiarū prę sides Petrus Antiochię & Seuerus Constantinopoleos patriarchæ exorti, imperante Iustiniano, impudenter impijssimeq; asseruerunt (quod Acta Constantinop. Synodi 5. satis copiosè exponūt) Christi corpus prorsus fuisse incorruptibile, atque adeò deificatum, neque ullis (ut nostra sunt) affectionibus obnoxium. Nam uerbum ita carnem esse factū, ut mox una cœperit esse natura, diuina utique, ut Christus factus sit ἄφθαρτος, id est incorruptibilis. Hæc prolata uidentur ex Valentiniana, Martionica & Manichaica sceleratissima schola. Seueri dogma tuendum sumpsit Iacobus Syrus, cognominatus Zanzalus, à quo uel hodie denominantur in oriente Iacobitæ. Docuit hic, Christum, quòd incorruptibilis esset, nec passum nec crucifixum esse: sed alium fuisse pro Christo subiectum tormentis, Christo dūtaxat inuisibiliter assistente & spectante. Insana fuit hæc opinio multis scripturæ testimonijs, deniq; & articulis repulsa & conculcata fidei.

Petrus & Seuerus negāt altare Christum, id est mortuū.

Iacobus Syrus.

Profitemur enim, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Passurum & moriturum disertissimè prædixerunt prophetæ: passum & mortuum esse testati sunt apostoli, ex quibus Ioannes passionis & mortis Christi in cruce fuit spectator. Neque legitur unquam discipulis ita indignatus Dominus, atque Petro passionē tanquam Dei filio indignam dissuadere tentanti. Dixit enim, Abi retrò sathana: non sapis ea quæ

Christus uerē passus est.

ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Proinde non oportuerat refutatam inſaniam renouare. Probabiliter quidem diſputari uidetur, Deum & alia ratione, quàm per incarnationem & paſsionem filij Dei, mundum redimere potuiſſe: indignũ eſſe, ut credamus Dei filium impiorum manibus fuiſſe uerberatum, adeoque & occiſum: ſed probabilitas iſta ex carne impura eſt, non ex Deo, imò ex ſathana eſt. Inuenit tamen abſurda & impijſsima opinio non paucos ſectatores. Nam Iacobitarum hæreſis Alcorano comprehenſa, atque latiſsimè ſparſa eſt per totum orientem. Vnde conſtat, altare aureum ab his fuiſſe prophanatum fœdiſsimè, & negatum meritum paſsionis Chriſti, dignitatem & maieſtatem ſacerdotij & ſacrificij Chriſti conculcatam. Acceſſerunt his & alia in occidente corruptiſsima dogmata, &c. Quæ res meritò exaſperauit iram Domini iuſtã. Iuſto enim iudicio permiſit Mahumedi nouas condere leges, & Iacobiſmum longè lateq; per orbẽ ſpargere. Nam qui Chriſtum audire nolunt, meritò Antichriſtum audiunt: id quod & Apoſtolus ad Roman. 1. cap. & 2. ad Theſſ. 2. cap. aſſeruit. Auditur ergo ex ara uox ſedentis ad dexteram, iubentis q; ſoluere quatuor angelos alligatos in Euphrate: id eſt, producere in mundum uaſtatores, qui bonam orbis partem conculcent.

Origo Mahumedis & Muhamedicæ religionis.

Etenim inualeſcentibus hæreſibus Neſtorianorum, Iacobitarum, Monotelitarum, increſcentibus iam monachis à Benedicto abbate Caſsinen. admodum auctis, creſcentibus item, & robur accipientibus in eccleſia idolis, uel imaginibus, & ingruente pontificum ſuperbia & perfidia, natus eſt orbis uaſtator Mahumed in urbe Arabiæ Mæcha, ex parentibus admodum obſcuris: idem à Sergio monacho omnibus hæreſibus conſpurcato nebulone inſtitutus eſt. qui poſtquam ſuperaſſet 25 ętatis annum, prophetam Dei ſe eſſe mentitus eſt. Per ſeditionem uerò eiectus Mæcha, in qua ingens confluxerat Iudæorum, Iacobitarum, Chriſtianorum, paganorum hæreticorum q; colluuies, ſubintrauit mox urbes uicinas, & ædes, & occultè per integrum decennium ſic inſinuauit ſuum dogma miſeris mortalibus, ut ubique per Arabiam ingens inuenirerur Mahumedicorum turba. Tunc Homar uir audax, aſſumptis alijs circiter 70 uiris manu promptis, Mahumedem quid fieri uellet interrogauit. reſpondit: Mea quidẽ uoluntas eſt, ut mandata legis exequentes, ei adhæreatis in diuitijs & paupertate, mutuaq; & firma dilectione cohæreatis: non adulterio polluatis alienas uxores: à malo abſtineatis, & alios probibeatis: bona faciatis, & alijs perſuadeatis: bella geratis in nomine Dei, metuq́ue & ui leges obtrudatis immorigeris: pro quibus paradiſum uerè promitto uobis. Ad talem orationem mutuam dederunt fidem: iurauit Homar ſtricto gladio, ſe nõ permiſſurum, ut amplius prædicatio & lex Mahumedis eſſet occulta: ita quidem & prædicatione & gladio plurimum profecit breui Mahumetiſmus. Irruperunt Mæcham, deiecerũt alias religiones, obſiſtentesq́ue obtruncarunt, & nouam legem nouus Solon Mahumeth pronunciauit in templo Męchæ. Confluxit ad perditum nebulonẽ ingens ſeruorũ perditorumq́ue hominum turba. Vicinis gentibus miſit legatos, & ad ſuam eas religionẽ ſolicitauit, multisq́ue perſuaſit facinus. Facta ſunt hæc imperitãte Heraclio, circa annũ Domini 620. Extat autem impia & abſurdiſsima Mahumedis lex, Alcoranus appellata, ut nõ opus ſit expoſitione copioſiore. Rectè autẽ Nicephorus in hiſtoria, τότε, ait, ὁι σαρακηνοὶ ἤρξαντο τῆς τοῦ παντὸς ἐρημώσεως, tunc Saraceni incœperunt totius orbis deſolationẽ. Saraceni appellabãtur ſectatores Mahumedis. Certè Arabiam, Saracenos & Perſas ſubegerũt, Syriam quoq; & Aegyptũ, Chaldæam & Armeniam inuaſerunt. Exorti ſunt poſtea Turcæ & Tartari, Mahumedis religionẽ recipientes, qui propemodum omnes Romanæ monarchiæ prouincias in oriente & ad meridiem ſubiugarunt.

Simile legis 3. Reg. 11. de Solomone, & hoſtibus eius.

Homar.

Exordium uaſtationis totius orbis ſpiritualiter & corporaliter.

Ad Euphratem quidem, famoſiſsimum Aſiæ flumen, ſita fuit Babylon, ſedes monarchiæ orientalis: ac populi quidẽ Orientis potentiſsimi Aſſyrij, Babylonij, Medi & Perſæ, qui rerum domini fuerant ante monarchiam Macedonicam & Romanam, ueluti ſubmerſi, ſepulti & abditi, adeoque alligati uidebantur in illo flumine. Nam rerum domini facti fuerant Occidentales Macedones, mox Romani: ſeruiebant his potentiſsimæ gentes, quas modò nominauimus. Vbi uerò altare aureum, ita, ut diximus, conſpurcaretur, & in oriente & occidente deficerẽt à uera fide Chriſtiana innumeri populi, excitauit iterũ Deus uaſtatores orbis orientales, olim utcunq; ſopitos. Nã prophetæ teſtantur,

Euphrates.

tur,& in oriente & occidente deficerent à uera fide Christiana innumeri populi,excitauit iterum Deus uastatores orbis Orientales olim utcũq; sopitos. Nam prophetæ testãtur, gentes illas flagella fuisse orbis:eadem ergo flagella iterum iusto suo iudicio protulit Deus. Certè apud Danielem in cap. 10.legimus,fuisse angelum Græciæ,& angelum Persiæ, adeoq; per hos totam gentem intelligi.Sic in præsenti excitantur orientales populi, Arabes,Saraceni, Turcæ & Tartari, qui propter peccata atterant orbem, rursusque dominetur Oriens : quod & Lactantius ex Sibyllis futurum prædixit, Seruiat Occidens.

Angeli 4 significãt gẽtes ualidissimas oriẽtis.

Discamus ex hac tractatione, omnia mala, & præcipuè regnorum deuastationes & interitum,oriri ex defectione à uera religione in falsam. Contrarium hodie iudicat insanus uulgus,eaque de caussa miserè atteritur.Discamus,à Deo retineri & coherceri feroces gentes,ne noceant:ab eodem easdem incitari ad sumenda de impœnitentibus cõmerita supplicia. Sic Senacherib , Salmanasar & Nabuchodonozor appellantur serui Dei,qui eius exequebantur iudicia.Timeamus ergo Deum,& permaneamus in religione uera.

Origo calamitatum ex defectione.

Porrò diligentissimè describuntur Saraceni, Turcæ & Tartari.Principiò commẽdatur in eis expedita celeritas,præcipua in bellis uirtus. Semper,inquit,omniq; momento expediti sunt ad expediẽda Dei iudicia. Cõmemorat ergo omnes temporis partes ad minutias etiam,id est ad horam usque diei.Ita uerò nulla est ab his securitas: *Bist vor inen nitt ein stund sicher.* Mox in armis sunt,mox & inexpectati adsunt,irruũt, & res suas feliciter conficiũt.Addit,per horum cruentissima celerrimaq; arma tertiam hominum in orbe partem cædendam.Equidem Saracenicas,Turcicas & Tartaricas clades & uastationes sensit Asia,Aphrica & Europa funestissimas,inde à temporibus Mahumedis ad nos usq;, per annos circiter nõgentos uiginti. Sed & sacerdotes Mahumedici admodũ sunt expediti & diligẽtes in suos errores pertrahẽdi homines,nec felici destituũtur successu.

Parati in horam & diem.

Annotatur & numerus propè innumerabilis. Et numerus,inquit, equestris exercitus δύο μυριάδες μυριάδων,id est,duę myriades myriadum.Est autem myrias,numerus decem millium:ita duæ myriades myriadum conficerent uicies mille myriades. atque ita legit aut interpretatus est uetus interpres:& Erasmus,Vicies milies dena milia.Germanicus interpres uertit, *vil tusentmal tusent.* Laurentius Valla in suis ad Nouum testamentum annotationibus interpretatur,sicuti & Germanicus interpres,millia millium. Vtcunque uerò id habeat,certum est ex collatione aliorum locorum, certum numerum poni pro incerto,id est,longè maximo:& significari,numerosissimum futurum Saracenicum,Turcicum & Tartaricũ equitatum.Nam Danielis 7.legimus,Millies mille ministrabant ei,ac decies mille myriades ante ipsum stabant.Loquitur autem de angelis, (quos innuit esse innumerabiles) eorumque ministerio. Ita & cap.5.Apocalyp. Audiui,inquit,uocem angelorum multorum, & millia millium dicentia uoce magna, &c. Certè historiæ testantur, Saracenos ex Hispania in Galliam esse profectos numero ad quadringenta millia.Paulus Aemylius lib.de rebus gestis Francorum 2. commemorat superatos à Carolo Martello ad trecenta septuagintaquinque millia Saracenorum. Et Matthias à Michon,de Sarmatia Asiana lib.1.cap.8. Tamerlanes,inquit,habuit exercitũ duodecies centena millia.Præterea constat,nulla unquã ætate aut memoria ab ulla unquam gente numerosiores ductos equitatus,quàm à Saracenis,Turcis & Tartaris.Ioãnes addit,se audiuisse ipsorũ numerum, uel quòd ita uoluit confirmare, quod dixerat, maximam ipsorum fore potentiam:uel quòd per ænigma significare uoluit,numeratas esse ipsorum quoque uictorias, finemque habituras . Notissimum est illud Danielis, Mene thekel pheres:id est,numerauit, appendit, diuisit. Numerauit, inquit, regnum tuum,& ad finem adduxit.

Numerus.

Admodum uerò per initia & consequentibus quoque temporibus creuerunt res Mahumedicæ. Ab ipso Mahumede,Amiras (sic appellarunt suos reges uel principes) habuerunt ordine 25.qui præfuerunt magna cum potentia ad annum usque 870.Circa eadem tempora Amiras 25,Mahumet dictus,Imbraelem Babyloniæ præfectum eijcere & opprimere uoluit,qui mox è Scythia Muchuletum Turcam asciuit contra Amiram.

Potẽtia & successus Mahumedicorum.

ram. Turca uerò rem ſuam egit, & Saracenorũ plurimos Aſia eiecit, cœperũtq; in Oriente regnare Turcæ. Pulſi uerò ex illis partibus Saraceni, peruenere in Aphricam: inde effuſi in Siciliam & alias inſulas, etiam Hiſpaniam occuparũt: irruerunt & in uicinas gentes, inuaſerunt & Italiam, Roma ſpoliata, & plurimis ædificijs igne abſumptis. De qua re uidere licet Volaterranum lib. Geograph. 12, in Arabia triplici. Circa annum Domini 1300. ex Otthomanno principe cœperunt emergere Turcici Imperatores, qui hodie bonam Aſiæ, Aphricæ & Europæ partẽ occupant. De his ſcripſit Baptiſta Egnatius in fine lib. 2. Romanorum principum, & Paulus Iouius. Ex Tartaris multi Mahumedicam religionem ſuſcepere, & grauiſsimè afflixerunt orbem, de qua re ſcribit Matthias à Michou in Sarmatia Aſiana. Maxima certè fuerũt poteſtate prædíti populi Mahumedici, & rerum potiuntur etiam hodie.

Equites. Iam etiam depinguntur & equites & equi, quib. uehũtur equites, id eſt deſcribũtur mores & potentia Mahumetiſtarum. Equites induti erãt thoracib. nõ ferreis, ſed igneis,

Equi. hyacinthinis & ſulphureis. Ergo ignis, hyacinthus & ſulphur, erat thoracis loco, armatura ipſorũ. Pro hyacintho mox ſubijcit fumũ. Hyacinthus enim colore refert fumũ, incẽdio aut igni proximũ. Equi uerò habebant capita leonina, & caudas ſerpentinas capitatas. Ex ore ſpirabant equi ignem, fumum & ſulphur. His (inquit) plagis, igne uidelicet fumo & ſulphure occiſa eſt pars tertia hominum. Caudis quoque ſerpentinis nocebant hominibus. Addit, poteſtatem eorum fuiſſe in ore ipſorum, nocumentum in cauda. Spiritualiter hæc, & corporaliter explicanda uidentur. Mahumedici enim doctrina impia, quæ egregiè igni confertur perdenti, fumo excæcanti & fœtenti ſulphuri, innumeros perdiderunt. Vi denique leonina uel tyrannica multis populis Alcoranum ſuum obtruſerunt: ſed & cum blandiri uidentur ipſorum pſeudoprophetę (Iſaias enim, Pſeudopropheta, inquit, eſt cauda) ſerpẽtes agũt, & ueneno corruptiſs. doctrinæ homines inficiũt. Ex ore ipſorum non tantum leges blaſphemæ, ſed & mira procedunt præconia, miræ iactationes uictoriarum, abominandæ blaſphemiæ. Vbi, inquiunt, fides ueſtra Chriſtiana? Noſtra Mahumedica religio omnia uincit. Omnia ueſtra calamitoſa ſunt. Victi ſeruitis ubique. Res ipſa loquitur, religionem noſtram ueram eſſe, ueſtram prorſus falſam. Et quidem regnant ferè ubique Mahumedici, uictorijs & opibus ſunt felices & illuſtres. Ea res Chriſtianos abſterret, & in defectionem perpellit plurimos. Nam quid inter nos fiat, nimis manifeſtum eſt omnibus. Infeliciter pugnarunt aliquoties Euangelici, & in horas ſuſtinent perſequutiones maximas: uincunt & exultant Papiſtæ. Inueniuntur ergo multa hominum milia, qui clamitent, rem ipſam loqui, utra melior ſit religio. Certè magna hæc felicitas permultos detinet in errore, qui alioqui flexiles & docibiles eſſent. Itaque mirum non eſt, ſi Turcæ uel Mahumedici ore plurimum ualeant, cum inter Chriſtianos uictoriæ & ſeculi huius felicitas tantum apud omnes penè habeat momẽti. Et tamen ore & iactationibus, nõ re ipſa & ueritate excellunt. Tametſi enim reuera Turcæ ſint uictorioſi, falſiſsima tamen, imò impijſsima & abſurdiſsima eſt eorum religio.

Corporaliter aũt, quomodo illa exponi poſsint, nemo eſt qui nõ uideat, qui modò Turcicas teneat hiſtorias. Ardent igni & ſulphure Mahumedici. Vix enim alia gens incendijs ita uaſtauit orbem, atque hæc. Quoquò ſe uertant, conflagrant igni omnia, fumo implentur omnia. Principes ipſorum leones ſunt, & gubernatio leonina eſt, tyrannica omnia. Imperant truculenta, nec aliud ex ore ipſorum procedit quàm ſanguinolentum. Ideo multi ex iſtis ſeiram Dei & flagellum Dei appellarunt. Et hæc quidem ira Domini ſequitur corruptam doctrinam &, defectionem à fide. Virtus Turcica eſt in peccatis noſtris, & in defectione noſtra. His plagis tribus, igne, fumo & ſulphure tertia orbis pars conficitur atque deuaſtatur.

Cauda ſerpentis capitata. Porrò ſingulariter admonet cauda ſerpentina, illos nocere plurimum. Si enim fœdere alicubi ſeſe inſinuarunt cum principibus Chriſtianis Mahumedici uel Turcæ, non ſine dolo & fraude id fecerunt. Qui promiſsionibus ipſorum ac blanditijs crediderunt, & auxilia ipſorum poſtularunt & uſurparunt, ſerpentem in ſinu ſuo foouerunt.

Extant

Extant huius rei duo memorabilia exempla. Discordia inter Imp. Constantinopolitanum & principes exorta, dum Marcus Bulgariæ despota se cõiũgeret principib. uel despotis Græciæ, Imperator compulsus est Amurathis primi, eius nominis 3 imper. ex Otthomãno, Turcici implorare auxiliũ. Hic uerò liberaliter Imperatori adfuit. Nam 12000 electissimorum Turcarũ in Greciam misit, quib. adiutus Imperator, Marcũ ipsum ac cæteros rebelles fudit, fugauitq;. Ea uerò amicitia principium fuit excidij Constantinopolitani regni, & omnium calamitatũ Græciæ. Cum enim Amurathes ex militibus in patriam reuersis intellexisset, Græciam & pulcherrimam esse & infirmam, propter principum discordias & simultates: ilico traijcere destinauit, prætextu persequendi hostes Imperatoris. Ita uerò ipsam cœpit occupare Græciam, quam & filij & nepotes eius uniuersam intra annos 100 in suam redegere potestatem. Nostra ætate discordia exorta est de regno Hungarico inter Ferdinandum regem Hispan. & Ioannem Vayuodam Hungariæ principem: qui cum Ferdinandi uiribus impar esset, auxilium à Solymanno Turcarum Imper. coactus est petere. Adfuit Turca mox, summa fide & diligentia, Ioannem collocans in regnum: mox tamen extincto hoc, uidimus Turcam occupasse regnũ Hungariæ. Vtinam ergo nihil fidant Christiani principes Turcicæ classi & militiæ. Dum enim Mahumedicus Christiano uultu benigno arridet, serpentem illi in sinum insinuare intendit, & ipsum perdere

Auxilia & blãditiæ Turcarũ pernicioſa.

Versamur autem etiam hodie in sexta hac, ut & in quinta pugna, in Papistica & Mahumedica corruptela, impietate & tyrannide. Dominus Iesus liberet nos ab omnibus his malis glorioso suo in iudicium aduentu. Amen, Amen.

Quid reliquis impœnitentibus, nihil interim mali sentientibus, ex locustis & equis, fiat.

CONCIO XLII.

ET cæteri homines qui non sunt occisi his plagis, neq; resipuerunt ab operib. manuum suarum, ut non adorarẽt dæmonia & simulachra aurea, & argẽtea, & ærea, & lapidea, & lignea: quæ neq; uidere possunt, neq; audire, neq; ambulare: & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neq; à uenefi cijs suis, neq; à fornicatione sua, neq; à furtis suis.

Dictum est copiosè, quanta calamitas inferatur orbi à locustis & equis sub quinta & sexta tuba: cum uerò satis constet, non omnes subdi locustis & equis, neq; ab his puniri, qui tamen & ipsi supplicijs digna committunt: mirari quis poterat, an hi immunes & alieni à supplicijs, securè impœnitentem agant uitam? præoccupat & dicit: Et reliqui homines, qui & ipsi pudẽda contra Deum committunt, nec tamẽ occiduntur his expositis plagis, non existiment se impunè peccaturos. Nam punientur & ipsi à iustissimo Deo. Est enim oratio ecliptica, & ideo sarcienda cùm ex orationis huius contextu, tũ ex catholico scripturæ sensu, qui habet, omnes impœnitẽtes puniri à Deo: & hoc grauius, quo securius longaminitate Dei sunt abusi, neque ullis iudiciorum Dei exemplis commoti. Hoc tamen non dicit expressis uerbis. satis illi fuit cõmemorare scelera, quibus immersi fuerũt. Ex his enim cuilibet licẽt colligere, quid talia perpetrantib. debeatur. Aretas interpres Græcus, hunc cenarrans locũ: Sermo hic, inquit, insensibilitatis excellẽtiam præse fert: hoc est, indolentiæ & lasciuiæ eorum, qui tempus sibi interim à Deo propter begnitatem, dum parcit illis, concessum ad salutem, circa uanitatem insumpserunt, ut etiam pro dignitate socordiæ suę mercedem referant: quinimò & ante prauorum oculos ipsa profectò retributio effectui mancipatur: isti tamẽ non solũ horum terribilium aspectu, quæ ob oculos in prõptu habebant, meliores non sunt effecti, uerũ etiã peiores, magis magisq; peccatis obuoluti, cursum suum compleuerunt, &c. Hæc ille.

Sarciendus orationis defectus

Colligimus ex his, non sufficere ad uitam piam & beatam, ne quis sit Papista, aut Mahumedicus: sed requiri abs quolibet nostrũm fidem ueram, qua faciat ambulare in om-

Quid requiratur à uerè pijs.

nib. Dei mandatis: & ut norimus, omnes grauiter à Deo puniendos, quotquot præuari cantur legem Dei, cuiuscunque tandem sint religionis, conditionis aut ętatis aut status uel ordinis homines. Deus enim iustus personam non respicit. Quicunq; sine lege peccauerunt, ait Apostolus, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccarũt, per legẽ iudicabuntur. Certè uidetur in præsenti utramq; legis tabulã proferre Ioannes, & per hãc redarguere peccata & maliciã hominũ impiorum, ex quib. uult colligi etiã iudicium. Prima tabula cultum Dei tradit, præcipiens unum adorare Deum, idola non uenerari, &c. Secunda tradit officia uitæ, & informat proximi dilectionem, prohibens cædes, adulteria, furta & similia scelera. Ioannes duo profert peccata, contra primam designata tabulam: & quatuor uel tria, contra secundam admissa. Nec dubium est, quin comprehendat sub his omnia paria uel non dissimilia, maiora & minora admissa contra Deum, & uoluntatem eius. Qualiscunque ergo sis, si contra regulam diuinam peccaueris, supplicio afficieris. Si in hoc seculo uideris immunis & felix hinc migrare, usuuenire potest tibi quod diuiti epuloni: cuius iudicium describitur Lucæ 16. Breuiter, punietur quisquis contra Deum peccauerit. Deus nouit modum, hic ne & in futuro puniat, an in futuro duntaxat: hic concedat uitam uoluptuosam, &c.

Dãnantur qui non agunt pœnitentiam.

Obseruandum uerò in primis in hac tractatione, quòd non damnantur peccatores. Omnes enim sumus peccatores: ita nemo saluus fieret. damnantur impœnitentes, qui uidelicet suis sceleribus, absque pœnitentia, immoriuntur. Negat Apostolus regni Dei hæreditatem percepturos idololatras, adulteros, fures, auaros, rapaces, &c. sed addit: At qui hæc eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomẽ Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Quod si dubitas an redire possis in gratiam cũ Deo, si semel illuminatus & iustificatus, relabaris in peccatũ, disce ex S. Petri lapsu atq; peccato, te posse restitui: & quod scriptum legimus, septies cadere iustum, & resurgere, &c. Discamus ergo hinc, quàm efficax sit pœnitentia, & quàm pernicioſa impœnitẽtia. Si idololatra sis aut fueris, nõ est quod desperes: cõuertere ad Dominũ, & age pœnitẽtiã. si relabaris, noli inhærere affixus sceleri. De qua re alibi. Si autẽ nolis conuerti ad Deũ, neq; deserere praua studia peccati, noli sperare ullam Dei gratiam. Peribis in peccatis.

Opera manuũ hominum.

Restat, ut paucis explicemus formas scelerũ, à Ioãne in præsenti positas, sub quib. pares haud dubiè, quod suprà dixi, est cõplexus, ut de similib. idẽ sit iudiciũ. Principiò dicit ueluti in genere, Neq; reliquerũt ab operib. manuũ suarũ. Quãuis enim hac ueluti nota in prophetis idololatria dãnetur, ego tamẽ extẽdo ad omnia alia facta, ex hominũ uiribus perfecta. Verè enim nostrũ opus est peccatũ: gratiæ uerò Dei & regenerationis, opus bonũ. Deinde illo ueluti uniuersali præmisso, subijcit uarias partes siue species aut formas, duas contra primam tabulam, & quatuor uel tria contra secundam.

Dæmonẽ adorare.

Cũ præcepto primo pugnat adorare dæmonia. Se enim solũ Deus uerus noster uult haberi pro Deo, adorari & coli. Quis uerò tã insanus, inquis, qui dæmonia adoret? Sanè referuntur nescio qui orientales, qui colant dæmonas, nõ in aliũ finẽ quàm ne ipsis noceant. Barbarus & stultus est hic populus. cur non potius adorãt eum, qui cohercere solus potest sathanã, ne noceat? Cæterùm latissimè patet hoc scelus. Nã diabolũ reuera colunt, qui deos uideri uolunt uenerari. Nõ enim ex opinione aut intentione colẽtis æstimatur res ista, sed ex legislatoris. Non uolebant gentiles uideri, se dæmonibus sacrificare: quinimò indignissimè tulissent, si quis dixisset ipsos colere diabolum. Nebulo & calũniator es, dixissent, turpissimus & impudẽtissimus, qui ausis & deos & nos tãta affi

1. Cor. 10.

cere ignominia. Sed Paulus nihilominus, Nõ dico, inquit, quòd simulachrũ aut idolothytũ aliquid sit: hoc autẽ dico, q, quæ immolãt gẽtes, dæmonijs immolãt, & nõ Deo. Cum enim unus sit dũtaxat Deus, & is sacrificia illa solũ ꝓbet. quę ipsi offerũtur, alienos deos uocet dæmonas, & idolothyta diabolo sacrificata: ex hoc iudicio ęstimatur res, & nõ ex stulta hominũ intẽtione. Voluit & Saul Deo Samuelis offerre holocaustũ: sed audit à Samuele, se cõmittere idololatriã & magiã, &c. durũ hoc uerbũ est, sed uerũ. De qua re alibi

Adorare imagines.

dictum copiosius. Cum præcepto tabulæ primæ secũdo pugnat ueneratio, adoratio, uel cultus imaginũ Dei & diuorũ. Omnis enim idololatria est prohibita. Ioannes hic cũ stomacho definit idola, simul & suggillat, alludens ad uerba ꝓphetæ in Psal. 114. Simula

chra

chra gentium, argentum & aurum, opus manuum hominum: os habent, & nō loquuntur, &c. Ergo ex materia apparet, nihil religionis habere simulachra. Sunt enim ex terra, ex auro, ære, lapide, ligno, &c. Ex forma rursus apparet, uana esse simulachra. forma enim refert crassissimam speciem, adeoq; mēdacium. Nam neq; Deus, neq; sancti ea fuerunt forma, quā exhibent idola. Iam uerò nulla est in eis uirtus. Nō uident, nō audiunt, &c. Quomodo ergo Deum uel diuos referunt? De idolis aliàs dictum est. Qui arbitrantur, diuersa esse Christianorum idola à Gentilium, ostendant sua non esse ex ligno, aut sua illa uidere, audire, &c.

Quæ sequuntur formæ scelerum, pugnant cum secunda tabula, quæ præcipit: Ne occideris, ne adulterium uel furtum commiseris. Homicidiorum multæ sunt species. Occidunt enim truculentissimè, qui gladium non habent, sed linguam uenenatam. Occidunt multi corrupta doctrina. Sunt homicidæ, & parricidæ, & latrones, &c. Nisi hi resipiscant, non ingredientur regnum Dei. Sunt & inuidia aut odio turgidi, homicidæ, quod & Ioannes dixit in sua Canonica 1. cap. 3. *Cædes.*

φαρμακεία, uenenum uel incantatio, *giffi vnd zoubery*, sub homicidium pertinet. Venena, philtra & incantationes, Ioannis tempore erant uulgatissima per orbem Romanū: hodie artes nefandæ reflоruerunt. Sed punientur à Deo, quotquot his operā dederint. *Venefieium.*

Fornicatio habet & ipsa uarias species. Pertinent sub illam stupra, incestus, adulteria, & si quid his abominabilius. Visum est Gentibus, fornicationem soluti cum soluta non esse peccatum. Diuersum definitur sententia apostolica, Act. 15. & 1. Corinth. 6. Hodie reuiuiscit in multis pernicioſa hæc opinio. Certum est autem, scortatorem non ingredi regnum Dei: Ephes. 5. *Fornicatio.*

Postremò ponitur & furtum cum omnibus suis speciebus. De quib. nos aliquando diximus in explicatione Decalogi in Decadibus. Dominus Iesus seruet nos à pollutione peccatorum, &c. *Furta.*

Opponitur Christus, angelus fortis, Antichristo: & describitur magnificè, rursus illucescens in tenebris ecclesiæ cum consolatione.

CONCIO XLIII.

CAP. X.

ET uidi alium angelum fortem, descendentem de cœlo: amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat ut sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis, & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. Et clamauit uoce magna, quemadmodū cum leo rugit. Et cum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua uoces suas. Et cum loquuta fuissent septem tonitrua uoces suas, ego scripturus eram. Et audiui uocem de cœlo dicentem mihi: Obsigna quæ loquuta sunt septem tonitrua, & ne ea scribas.

Audiuimus hucusque plurima de pugnis difficillimis contra pietatem & ueritatem Christianam: nihil dictum est autem de assertione & assertoribus ueræ religionis: quin potius prædicatus est profectus, & commemorata fœlicitas impiorum admiranda, præsertim in tuba quinta & sexta, nimirum sub Papismo & Mahumetismo. uideri ergo poterat multis, non modò ueritatem ipsam oppressam interijsse, sed & ueritatem promissionum Dei languere & laborare. Etenim oppressis pijs, exultat ubique impietas: calcata ueritate, regnat passim mendacium. Quis ergo non cogitet, uana esse propemodum, quæ ubique dicuntur de præmijs bonorum, & supplicijs malorum? Certè filij Israel de fide promissionum Dei addubitabant, cum captiuitatis terminus ad septuaginta duntaxat protenderetur annos. Quid ergo mirum, si fideles hodie quoque cum seruitus Ma- *Grauis tentatio in fœlicitate Antichristianorum.*

humedica & Papæ uel Antichriſti tyrãnis durarit annis plurimis, incipiãt & ipſi tentari: ſicuti & ſanctos quondam tentatos eſſe, teſtis eſt Aſaph, Pſal. 73. Et quidem inuenias hodie, qui dicant: Fortaſsis ſemper erit hic mũdus, nunquã finietur: ſemper regnabit Papiſmus, ſemper uincent Mahumedici, ſemper miſeri erunt pij: præſtat ergo huic ſeculo conformem facere. Diu iam expectauimus iudiciũ: ſed & patres ante 800 & 1000 annos putarunt in foribus eſſe ultimam diem Domini, ſed nullus apparet uſquam finis, imò reparantur quotidie omnia: eadem ergo ſemper erit facies orbis, uicibus rerum ſubinde recurrentibus. Quis itaque ſcit, an præmium ſit paratum pijs, ſupplicium impijs? Nam longè alia eueniunt religioſis hominib. quàm ſperent multi. Expectant benedictionem, uitam & felicitatem, & ecce maledictionibus omniũ hominum adobruuntur, in mortem rapiuntur, & uidentur hominũ omniũ infeliciſsimi. Qui adhæret Papiſtis, Turcis & hoſtibus euangelij hactenus, perrumpit feliciter ſatis, &c.

Proinde ut ubique in hoc libro triſtibus læta miſcentur, ita hic quoque poſt grauiſsima prælia 5 & 6 tubæ & tentationes ualidiſsimas, lætiſsimum ſubiungitur euangeliũ, in conſolationem & confirmationem piorum, necubi addubitent de fide promiſsionum Dei, aut à uera religione ad falſam deficiant: itaque Antichriſto, angelo putei obſcuro, opponitur iam lucidus uel illuſtris cœli angelus Chriſtus Dominus. Hic deſcribitur magnificè, & dicitur redire ad ſuos: iurat idem ſolenniter, non fore aliud tempus, ſed in ſeptima tuba ipſum Dei complendum fore myſterium. Præterea iubet Chriſtus Dominus Ioannem libellum illum patentem, quem Chriſtus tenebat manibus, deuorare, & prophetare denuò. Quibus quidem omnibus ad conſolationem omniũ piorum ſignificatur, Chriſtum in eccleſia, ex qua per æmulum & uicarium uidebatur quaſi eiectus, rediturum rurſus magna cum gloria & poteſtate: neque uanam eſſe ſpem & expectationem fidelium, utcunque protrahatur in multa ſecula dies iudicij extrema, & aduerſa plurima experiantur electi: denique ſupplicium & præmium à Deo eſſe paratum: & quidem dandum hoc pijs, irrogandum uerò illud impijs certiſsimè. Nam ut certiſsimi hic eſſemus, ſolenne Chriſtus iuramentum præſtat. Sed & futurum dicit, ut contra Antichriſtianam & Mahumedicam doctrinam rurſus in aciem ueritas catholica & Chriſtiana ſit deſcenſura, & certatura fortiſsimè. Hinc itaque diſcemus, non deſperare in diuturnis Antichriſti & Mahumedis perſequutionibus. diſcemus quoq;, quomodo oppugnare Antichriſtum oporteat, & quomodo uincẽdus ſit, non armis ferreis, ſed ſpiritualibus. His quod ſopponat, non habet. ferrum ferro acuit. Et hactenus quidem per 2 capita dictum eſt de bellis hæreticorum & impiorum, atque Antichriſti, capitis omnis maliciæ: porrò ſequetur de piorum contraria pugna (*vonn gägen ſtryt*) & pietatis aſſertione.

Deſcriptio Chriſti elegãs per antitheſim applicanda.

Præmittitur his elegantiſsima, ſaluberrima, & cõſolatione pleniſsima Chriſti deſcriptio, exerentis uim ſuam in miniſterio per miniſtros uerbi, quos induit uirtute ex alto, atq; per infirma mundi ſuperat atque collidit huius mũdi robuſtiſsima, & quę uidebãtur inuicta. Animat ſpiritu & uerbo ſuo Chriſtus, rex & pontifex promiſcuè ſuos fideles omnes, & ſemper atque ubique multa ſua uirtute operatur, ita ut ſentiatur rediſſe ab omnibus quibus hactenus uidebatur ſe aliquãdiu ſubduxiſſe. Ac dubito, num extet in libris canonicis poſt Iſaiæ uaticinium, poſt eangelicam hiſtoriã, præſertim uerò poſt beati Ioannis Euangelium libellus alius qui plures & elegantiores habeat Chriſti deſcriptiones, quàm hic libellus. Falluntur & errant toto cœlo, qui arbitrantur in hoc libro rarum prędicari Euangelium. Sed uideamus Chriſti deſcriptionem per partes.

Chriſtus angelus fortis.

Fortem eſſe Antichriſtum, Papam & Mahumedem, oſtendimus in tuba 5 & 6. His opponitur modò angelus fortis, ipſe Chriſtus Dominus: angelus quidem non natura dignitatéue. Nam nuſpiam angelos, ſed ſemen Abrahę aſſumpſit, ac maior multo angelis eſt, quippe angelorum dominus. quod Apoſtolus oſtendit ad Hebręos cap. 1. & 2. ſed angelus eſt magni conſilij, utique legatus Dei patris ad nos, ſicut ipſum appellauit Iſaias & Malachias, ad docendam patris cœleſtis uoluntatem, perficiendamq́ue ſalutem noſtrã, & iã etiã deſtinatus, ut à dextra patris rex & põtifex ſeruet & tueatur ſuam eccleſiã. Hic inquã Chriſtus, hominib. datus, fortis eſt, nõ imbecillis. Fortis ad ſuperandũ cõfrin gendũq́; omne robur huius ſeculi, hoſtiũ ſuorũ, Antichriſti, diaboli & portarũ inferorũ.

Nemo

Nemo ergo addubitet, quin asseri possit per fortem hunc gigantem: nemo desperet in ullis periculis & rebus ueluti conclamatis, cum uiuat Christus omnipotens, qui fessis queat succurrere rebus. Hic ergo nobis inuocandus erit in quibusuis periculis: ab hoc patienter & fide firma expectandum est auxilium.

Angelus descendit de cœlo.

Cecidit quidem stella de cœlo, sed interim ex puteo abysi emersit Antichristus, Christus uerò descendit de cœlo. Non nisi ad iudicium ultimum descendit Dominus corporaliter de cœlo: at spiritualiter redire dicitur, quoties se aliquandiu subduxisse & abfuisse uidetur. Nusquam enim abest, semper suis adest, qui ubique est. abesse autem dicitur, cum auxilium eius non sentitur, sed aduersis exercemur, & malis quasi confringimur. Descendit ergo Christus ad nos toties, quoties consilium & auxilium confert laborantibus. ita in difficillima pugna Antichristi & Mahumedis, denique & hæreticorum, & aduersariorum omnium, ipse Christus spiritu suo suis adest, suos iuuat & animat, suosque tuetur.

Angelus nube amictus.

Antichristus ueluti indutus & obuolutus fumo abysi, squalet: Christus uerò nube amictus, & ueluti ornatus, & se Deum esse ostendit, qui suos super æthera & nubes euehat in regnũ suum, & rorem uel pluuiã salutarem depluat, ad refrigerandum & fœcundandum electos suos. Nubes sæpe in sacra historia symbolum fuit præsentis Dei. Nubes subduxit ueluti cinctum Christum ab oculis discipulorum. Nubes apud Isaiam distillant gratiam cap. 45 & 60. Rapiemur deniq; cum electis omnibus in nubibus in occursum Domini in aera.

Angelus iride coronatus.

Antichristus coronatus est corona, quam sibi parauit artib. blanditijs, minis, dolis: eandemq; retinet practicis prauis, armis cruentis, & omnifaria impostura ac impietate. At iris est in capite Christi. Est enim rex pacis, omnia pacificans & reconcilians Deo, ipsos quoq; inter se homines concilians charitate. Iris est symbolũ fœderis & amicitiæ Dei erga nos, sicuti suprà ex reb. Noe cõmemorauimus. Ex Antichristo est uæ, desperatio, anxietas & conscientia afflictissima. Christus est consolatio, & conscientiæ liberatio, ne quis dicat: Cadite super nos montes, & cooperite nos. Liberati enim fideles, clamant Abba pater. Idem Dominus Christus in Euangelio quoque dixit: In mundo afflictionem habetis, in me uerò pacem. Et iterum: Venite ad mẽ omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. ergo in nullius capite rectius insidet iridis corona, quàm in capite Christi. Iris enim ita in capite huius angeli apparuit, ac si sit eius diadema & corona. Ac intelligimns modò, unde speranda sit in periculis & afflictionib. Antichristianis grauissimis consolatio & pacificatio.

Facies angeli erat ut sol.

Sol per fumum putei, excitatum ab angelo abysi, obscuratus fœdissimè summam orbi intulit molestiam. at facies angeli huius nostri serena est, & serenat, & lucet sicuti sol: sicuti quondam etiam luxisse dicitur apud Matth. in cap. 17. Adfert facies Christi lucida iucunditatem, serenitatemq; ineffabilem contuentibus, animosq; tranquillat. Inspicitur autem ea fide, & spiritualiter à nobis. Paulus optimus est huius loci interpres in 2. ad Corin. 3 & 4. cap. Ex cognitione certè plena Christi, qua illum credimus datum à patre nobis, ut compleamur per ipsum, & ipse sit nobis omnia solus, exoritur iucundissima in animis lux. Illuminamur enim à luce, sicuti multis exponitur in Euangelio Ioan. Vtcunq; ergo offundãtur in hoc seculo ex principe tenebrarũ horribiles errorũ & calamitarũ tenebræ per Papã & Mahumedem, aliosq; diuinæ ueritatis corruptores, lux tamen, quæ est in animis fidelium ex fide Christi, dirigit, illuminat & consolatur atque conseruat.

Pedes angeli columnæ ignis.

Antichristus caudas habet scorpionũ uenenatissimas: at Christi Domini pedes sunt tanquam columnæ ignis. Firma, recta & purgatissima sunt Christi omnia. Alibi quoq; ueritas Domini per columnas suffiguratur. Sed & Deus ipse dicitur ignis consumens, omnem uidelicet impuritatẽ. Penetrat itẽ ignis, nec facilè prohiberi potest, ubi serpere cœperit, & ardere. Quis uerò impediet progressum ignis sancti spiritus? His coniungitur aliud, angelum pedem dextrũ posuisse super mare: sinistrũ super terrã. Cæterùm pedem ponere, est sibi possessionem aliquã uendicare. Nam sicut nos dicimus, *den fũß setzen*, pro eo quod est, animũ adijcere ad habitandũ in loco aliquo: sic legimus ex idiomate Hebræo, Quicquid calcarit pes uester, uestrũ erit: id est, uestri iuris & uestrę possessiõis erit

Pedes ponit in terram & mare.

quicquid occupaueritis. Videbatur autẽ Christus ab Antichristo & Mahumedicis reliquisq; hostib. Dei, ueluti possessiõe sua eiectus. sæpe enim audiuimus, ab his occupatas & terras & insulas. at uisum hoc nos erudit, Christum rursus recuperare & occupare, & sub potestatẽ suam redigere, quæ uidebantur terra & mari, id est ubiuis terrarũ esse erepta. Etenim per Euangelij prædicationẽ recuperantur multi, qui abstracti fuerãt à uera religione: ut nunc non commemorem, Christum habere ubiuis terrarum suos electos, qui nunquam incuruarunt genua sua Baal. In his habetur regnum firmissimum & purgatissimum, adumbratum per columnas igneas. Certè Apostolus appellat ecclesiam, columnam & basim ueritatis, 1. Timoth. 2. Sed & Christus ipse & regnum eius in orbe immobile apparet, utcunque impellatur ab Antichristo. Portę inferorum non præualebunt aduersus ipsum, & ecclesiam eius.

Angelus tenet manu librũ apertum.

Sicut autem Antichristus librum euangelij ac ueritatis clausum cupit, & obscurũ & imperfectum nugatur: ita Christus Dominus libellum in manu sua patentem tenet. Aperit hic, & nemo claudit. Habes ergo unde sit quòd Antichristus, quãuis potẽtissimus, euangelij librum hodie claudere, sicut summis nititur uiribus, non possit. Ex Christo & spiritu eius clara item nobis sunt eloquia Dei. Per Christi gratiam habemus claram ueritatis prædicationem, contra obscuram & intricatam sophisticen Antichristi. Dẽ hoc libro mox sequentur copiosiora. Huc pertinet diuinum chalcotypiæ aut bibliographiæ aut typographiæ, quam Impressuram ferè appellant, inuentum ac beneficium nunquã satis laudatum. Aperit hoc libros, & longè lateq; inuitis omnib. aduersarijs, dispersit, & adhuc spargit per omnes orbis angulos. Qui prædicatores audire non possunt, ad eos libelli perueniunt pij non sine fructu.

Truckery.

Rugit angelus sicut leo.

Sonitus alarum Antichristi, est sicut sonitus curruũ, equis multis in bellum proruentibus: itaque sonitum edit etiam Christus, & clamat quidem uoce magna. Addit Ioan. parabolam. Rugit (μυκᾶται, mugit, quod perinde est ac si dixisset, rugit. Nam Eras. Fortasis non seruant, inquit, Græci eã differentiã inter ὠρύεσθαι & μυκᾶσθαι, quam Latini inter rugire & mugire) queadmodum leo. Suprà autem audiuimus, Christum appellari Leonem de tribu Iuda. Sicut ergo rugiente leone, quod Amos dicit in cap. 3. omnes sibi metuũt: ita clamante per uerbum suum Christo Domino, consternantur omnes impij. Significatur, euangelium contra Antichristum constanter & cum authoritate in terrorem hostium Dei magnam fore prædicandum. Et certè quamuis uideantur principes cùm spirituales tum seculares prædicationem Euangelij contemnere, atque adeò etiã floccifacere prorsus, certum est tamen multis ex argumentis & cõiecturis, timere sibi illos miserè, ab illa uili quam aspernantur prædicatione. Omnes enim animi uires intendunt, & omnia sua consilia huc dirigunt, ut prædicationem illam aboleãt. Quod si nullius omnino momenti esse existimant uilem illam prędicationem, cur ita sibi metuunt? cur tantos faciunt sumptus? cur quiescere non possunt? Huc pertinet uulgare uaticiniũ, quod tradit, Antichristo regnante uenturum Heliam, qui acri & uiuaci & mascula prædicatione sit confutaturus nugas antichristianas. Spiritus ergo Heliæ, & acrimonia prędicationis Heliæ, *ein ernsthafft, dapffer, vnuerzagt scharpff prediger*, est rugitus ille leonis, qui rugit ueritatem Christi.

Septem tonitrua edunt uoces suas.

Simul autem ac rugitus ille in crebrescit, loquuntur & septem tonitrua uoces suas. Significantur per has uoces uariæ spirituſsanctí gratiæ, & in primis terrifica prædicatio ex scripturarum ueritate canonicarum, sicuti claruit cap. huius libri 4. Etenim simul cum euangelio in postremis seculis iterum exponetur scriptura prophetarum, quæ ueluti tonare uidetur contra Antichristũ, cõtra scelera & sceleratos. Certè Iacobus & Ioannes fratres & apostoli Christi, ex libera, plana & acri prædicatione ueritatis appellantur à Domino Boanerges, id est filij tonitrui, *donnerer*, id est, excellenter in prædicãdo acres ac metuendi.

Prohibetur scribere uoces tonitruorũ, obsignare iubetur.

Porrò Ioannes uoluit protinus scribere uoces uel prædicationem tonitruorum, sed prohibetur ne id faciat: sed iubetur obsignare illa duntaxat. Cũ enim scriptura sancta, ex inspiratione sancti spiritus per seruos Dei prophetas & apostolos sit conscripta ac edita dudum, quid necesse est illam denuò conscribere & edere? Sufficiunt ea pijs quæ

scripta

ſcripta ſunt. Inde ſumant ſibi in Antichriſtum, & in omnes ſectas fulgura, fulmina & tonitrua prædicatores. Quod autem obſignare iubetur iamdudum edita, alluſionem habet ad ult. cap. Danielis: ac refertur obſignatio illa tam ad pios, quàm ad impios. Obſignatæ literæ ſunt certè omnibus authenticæ. Ioannes ergo obſignatione ſua ſcripturas non nunc quidem facit authenticas, ſed obſignando oſtendit, ſatis eſſe authenticas: & ut obſignato teſtaméto nemo quidpiam addit, aut malignè aliquid eradẽdo adimit: ita plenis ſcripturis nemo pius conatur aliquid uel addere, uel adimere. Sic inquam pijs obſignatæ ſunt ſcripturæ, utpote quibus perſuaſiſſimum eſt, perfectiſſimas & authẽticas eſſe ſcripturas, quæ ſufficiant pleniſſimè in eccleſia pro pietate contra omnem impietatem. Hoc cum impij uidere nolint, & non omnia pietatis in ſcriptura quærant, nec admodum curent ſcripturas, ſed traditiones neſcio quas faciant pluris: quid mirum, ſi ſcripturæ his ſint obſignatæ, id eſt clauſæ, quas nec curant admodum, nec intelligunt, neq; intelligere uolunt? Ad hunc uerò modum Antichriſto opponitur Chriſtus, & recuperat iterum hic ſuam eccleſiam, profligat Antichriſtũ, & debellat: cui maledictio ſemper.

Iuramentum præſtat Chriſtus Dominus, & confirmat electos ſuos, ne dubitent de fide promiſſionum Dei, &c.

CONCIO XLIIII.

ET angelus, quem uidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cœlũm, & iurauit per uiuẽtem in ſecula ſeculorum, qui creauit cœlum, & ea quę in illo ſunt: & terrã, & ea quæ in ipſa ſunt: & mare, & quæ in eo ſunt, tempus non fore amplius, ſed in diebus uocis ſeptimi angeli, cum cœperit tuba canere, conſummandum eſſe myſterium Dei, ſicut euangelizauit ſeruis ſuis prophetis.

Porrò exultantib. impijs, & uincente ſucceſſu proſperrimo hoſte Dei Antichriſto & Mahumede, oppreſsis autẽ optimis quibuſq;, regnanteq; mendacio & impoſtura, multis tum quidem uidebitur nullus unquam futurus finis, nedum malorum, ſed ne mũdi quidem. Nam & Petrus apoſtolus: Illud ſcitote, inquit, uenturos in extremis diebus illuſores, qui iuxta proprias ambulabunt concupiſcentias, & dicent, Vbi eſt pollicitatio aduentus eius? De quib. & Malachias in cap. 3. & 4. diſſeruit. Vt autem piorũ medeatur diuina bonitas uulnerib. & ipſos in ueritate cõtra mendacium & defectionẽ prouehat atq; cõfirmet, prodit in mediũ Chriſtus: & iurat in cõſpectu omniũ hominũ ſolenniter. Quod per omnes circunſtantias explicandum uidetur. Eſt enim res maximi momenti, conſolatione pleniſſima, omnibusq; omnino ſalutaris & neceſſaria hominibus.

Chriſtus iurat.

Nihil dubiũ eſt, quin alludatur ad ultimũ caput Danielis, in quo etiam angelus Domini iurat, iuramento ſanctè confirmans, ea quæ hactenus per uaticiniũ prophetæ ſunt prædicta, ſuis quælibet temporibus fore adimplenda. Proinde iurat in præſenti quoq; angelus, imò ipſe Chriſtus, qui poſuit pedes ſuos in terrã & mare. Nam ſtatu habitúuo corporis firmitatẽ oſtendit, ne quid dubitemus de fide aut ueritate eius: qui cum ſit Dominus omniũ, inſuper pedib. inſiſtit, nõ carneis, ſed colũnis igneis. Certa ergo, firma & immobilia ſunt Chriſti omnia. Qui huic innititur, tutò cõſiſtit: qui huius uerbis credit, non cõfundetur. Nouũ autẽ non eſt, quòd Chriſtus iurat. Nam ſæpiſsimè legimus in ſcriptura iuraſſe Deum. legimus in Euangelio eundem Chriſtũ Dominum creberrimè repetiuiſſe, Amen dico uobis, Amen amen dico uobis. Id quod iurãtis eſt. Dum Caiaphas adiuraret in iudicio Dominum, non ſubticuit Chriſtus, tacendoq; diſsimulauit, ſed diſertis uerbis ueritatem confitebatur. Vnde tu diſcis, Dominũ cum iurare omnino uetuit, nõ intellexiſſe ſacramentum iuriſiurandi. Quod cum uidere nolint tenebriones Anabaptiſtæ, miras excitant turbas, digni qui compeſcantur ſeuerius.

Cur autem, uel in quem finem prẽſtentur iuramenta, multis expoſuit Apoſtolus (ex lege Exodi 22) ad Hebræos cap. 6. nimirum, ut confirmentur fluctuantes, addubitantesq;

Quare præſtẽtur iuramenta.

tesque certificetur,& reddantur trâquilli. Addubitat aliquis, num bona fide agatur secum: interponere iubet Deus sacramentum, quo tollatur diffidentia. Apostolus: Homines quidem per eum iurant, inquit, qui sit maior. atque ijsdem omnis est controuersiæ finis, si accedat iurisirandi cõfirmatio. Qua in re Deus uolens uberius ostendere hæredibus promissionis immutabilem consilij sui firmitudinem, interposuit iusiurandum. Ita & in præsentiarum cum diuina prouidentia præuiderit sub Antichristi regno grauissimè tentanda fidelium corda, ac multos propter prosperrimam Antichristi & omnium impiorum fortunam, duricordes fore ad credendum promissionibus Dei, multosque, quod & Daniel cap. 11. prædixit, deflexuros ad Antichristum: uisum est Deo promissiones suas iureiurando, eoque solenni, confirmare per filium: ut qui sapere uolunt, cogitent, Si uir honestus & uerax iureiurando confirmaret tibi pollicitationem suam, indignum putares addubitare de eius promissis: quanto minus licebit tibi de filij Dei promissionibus, uerbis denique eius omnibus iureiurando solenni confirmatis addubitare? Crede itaque iurato Dei filio, crede confirmatissimo eius euangelio, etiamsi cœlum ruat, & ima tellus dehiscat. Mentiri non potest Deus, qui ueritas est, & æterna quidem ueritas: qui nec fallitur, nec fallit: qui misericors est, & homines ita diligit, ut se ad captũ quoque ipsorum attemperet. Nam propter nos & nostram infimitatem præstat sacramentum, ne non per omnia nobis satisfiat: præcidanturque omnes incredulitatis & defectionis ad Antichristum, & ad immundum mundum, occasiones.

Firmitas & certitudo promissionũ Dei.

Modus uel forma iuramenti Christi.

Iam uenit etiam expendendus nobis iuramenti modus, forma & ratio. Duo hic cõmemorantur: ritus iurantis, & uerba iurantis solennia. Dicit enim, angelum leuasse manum suam in cœlum: qui utique uetustissimus est ritus & cæremonia sacra iurantium. Nam de Abrahamo legimus idem Gen. 14. & Danielis 12. de angelo scribitur: Qui sublatis in cœlum dextra sua, & sinistra manu iurauit. Nos quidem dextram eleuamus manum. Cum autem dicimus, in suffragijs nos utrâque eleuaturos manum: significamus nos prorsus concessuros in eam, quam proponi audimus, sententiam. Significat ergo utriusq; manus eleuatio consummatissimã fidem, & rei iuratæ confirmationem certissimam. Certè in scripturis sanctis non semel ponitur eleuatio manus pro iuramẽto. Vnde fortasis mutuò accepimus Germani, quod dicimus, *du můst mir die hand nåben oren vff he ben*: id est, iuramento hoc mihi confirmabis. Solemus autem in reb. maximè serijs externam aliquam coniungere cæremoniam, qua uerba & rem ipsam quasi memorabiliorẽ & grauiorem reddamus. Vnde orantes ad Deum, eleuamus manus nostras. Et quidem iuramentum est ueluti inuocatio diuini nominis. Vnde receptum est uulgo, magna cũ religione præstare iuramenta. Nam omnes exurgunt, & detegunt capita, quasi ruituri in genua ante ipsius Dei conspectum. Cum fit uerbis contractus, simul coniunguntur & dexteræ, in fidei argumentum. Solenniter itaque iurantes eleuamus manum in cœlum, ubi credimus Deũ nostrũ se exhibere gloriosum fidelibus: unde ad nos omnia bona defluere experimur: unde & uindictam in periuros, & Dei cõtemptores desęuire sentimus. Hactenus ergo se nobis accõmodat Christus: & more mortalium, ut tranquillio res reddantur mortales, eleuat in cœlum manus suas.

Leuare manus.

Solennia uerba iurare per uiuentem in secula.

Solennia uerò uerba iurantis hæc sunt: Iurauit per uiuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in ipso sunt, &c. Ita legis & de Abraham, Gen. 14. Leuo manum meam ad dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ. Et Danielis 12. Iurauit per uiuentem in æternum. Item Ieremiæ 4. Et iurabis, Viuit Dominus. Nos dicimus, *So war Gott låbt*. Item, *Das mir Gott also hålff*. Et hæc est uera iurisiurandi forma. Copiosissimè autem & significatissimè exprimitur hic Deus creator, exprimuntur singulariter & creaturæ omnes. Solus ipse creator est, solus ipse uiuens est in secula, utpote uita ex semetipso, & uitam conferens omnibus. Hæc creatio uidelicet & uiuificatio nõ cõmunicatur alijs. Sicuti solus ille & corda hominum nouit: ut hinc discamus iurare per Dei solius nomen, non addere illi ullas creaturas, quæ corda non norunt, nec uita ex se sunt, sed minores illo sunt: adde & hominibus minores, utpote propter hominẽ conditæ. Nihil post Deum maius homine. Non ergo iuret homo per alium quàm per Deũ. Omnes enim iurant gẽtes per maiorem. Si per sanctos iuraueris, aut per deos, per homi

nes

nes iuraueris, pares utique, non maiores. Solus Deus est opt. max. Per nomen ergo Dei solius iurandum, sicuti & scriptura alibi docet Deut. 6.10. Exodi 23. Iosue 23. Ieremiæ 4.5. Isaiæ 45. 65. & aliàs.

Cum autem Christus reuera Deus sit ipse, quomodo iurat, inquis, per uiuentem in secula: id est, per Deum? Iurauit haud dubiè per semetipsum, ut aliàs in scripturis sæpe. Aut iurauit secundum dispensationem & assumptionem humanæ naturæ: secundum quam dixit, Pater maior me est, qui tamen diuinitate patri nihilominus coæqualis est.

Orthodoxa doctrina de præstandis iuramentis.

Porrò illa quam commemoraui, simplicissima & uerissima est doctrina de iuramento & forma iurandi. Sunt tamen qui illam doctrinam rectè satis intelligunt, sed nihilominus in gratiâ hominum libenter iurarent etiam per sanctos: & ideo interrogant, An non liceret sanctos Deo iungere, præsertim hoc sensu, Nisi hoc præstitero, nolo recèseri in sanctorum ecclesia? Respondeo, non licere: cùm quòd expressam habeamus iurandi formulam, quam obedienter in honorem Dei simpliciter sequi debemus: tum quòd qui hanc formulam requirunt & præscribũt, uolunt iurare nos per nomina sanctorum in cœlis, atq; ita agnoscere, & illorũ uirtute nos iuuari & puniri. quod si feceris, agnoueris que, dubium non est, grauiter præuaricari te religionem tuam sinceram, &c. Certè si confitearis Deum coram hominibus, confitebitur & ille te coram patre suo & angelis eius: si negaueris illum, negabit & ille te. Iuramentum est ueluti confessio tua, qua cõfiteris, quem tu agnoscas & credas tuum esse summum bonum, uindicem item mali, & remuneratorem boni. Si ergo sanctos Deo ipsi coniunxeris, & dixeris, Ita me Deus adiuuet, & sancti eius: hos simul cum Deo copulatos fateberis tuos esse deos, qui iuuare te possint, & perdere. Cogita ergo quòd feceris. Lege Augustinũ epistola 145. ad Publicolam.

Quid iurauerit Christus.

Cæterùm uidendum porrò, quid isto ritu angelus, quidue solennibus uerbis iurauerit. In hoc enim uno rei summa uersatur tota. Angelus apud Danielem in 12. cap. iurauit, Quoniam ad tempus, tempora, & dimidium temporis, & in cõsummando dispergere manum populi sancti, consummatè fient hæc omnia. Ita angelus hic noster iurauit tempus non fore amplius, sed in diebus uocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, cõsummandum fore mysterium Dei. (*Es werde sich nit mehr verhinen, vnd auff eyn ander zeit, immer auff den langen banck spilen*) Nemo aũt intelligat, omne prorsus tempus, adeoq; ipsam æternitatem abolendam, nihilq; futurũ amplius à iudicio: sed non erit tale semper tempus, quale nunc est, & quali fruuntur in hoc seculo impij, existimantes semper futuras uices rerum, semper futurum mundum, semper se in honoribus & uoluptatib. oppressis pijs florituros. Hoc non fiet, inquit, neque huiusmodi periturum & uicissitudinis tempus erit amplius. Nam sub iudicium extremum interibunt aut renouabuntur hæc peritura omnia, subibit uita & gloria sempiterna, tempus inquã æternitatis omni gaudio refertissimum. Proinde non simpliciter dicit, tempus non fore amplius: sed addit, In diebus uocis septimi angeli, id est, ad extremum iudicium, consummandum, id est plenè implendum & perficiendum esse mysterium Dei. Arcanum uel mysteriũ hoc Dei quale sit, exponit Apostolus, & dicit 1. Cor. 15: Ecce mysterium uobis dico, non omnes quidem dormiemus: & reliqua quæ ibi leguntur. Mysterium ergo Dei aliud non est, quàm quod finis rerum omnium imminet, corruptibilium, & seculum succedet felix & perpetuum: quòd tunc uenturus est in iudicium Christus: quòd abolendus est per hunc Antichristus, quòd hic unà cum toto impiorum corpore perdendus, resuscitandi mortui: & hi quidem ad opprobrium sempiternum, illi uerò ad uitam æternam: quòd mors, peccatum & omnis corruptio auferenda à pijs, & conculcanda est, omnis miseria imponenda impijs, ut affligantur in secula seculorũ. Quia uerò dubitant de his non rarò homines (quod sæpe iã inculcaui) iurauit Christus, hæc omnia certò uẽtura, & cõsummandos omni gloria quidẽ pios, cõsummandos omni tormentorũ genere & impios. Et hoc est ingens illud Dei mysteriũ, propter quod ipse Dei filius incarnatus, mortuus, & ex mortuis excitatus in cœlos ascendit, ut illuc nos ad se transferret, calcatis inferis, Sathana, Antichristo & omni impietate. Ergo ut cap. 6. dictũ est martyrib. ut quiescãt modicũ, donec cõpleatur electorũ numerus: ita hic quoq; audimus, complendũ tandẽ Dei mysterium,

Mysteriũ Dei quale.

rium,&c. Id quod in hunc quoque finem dicitur, ut pij sint animis tranquillis, & patienter expectent liberationẽ. Si itaq; differatur consummatio hæc, expectemus patienter & constanter, confirmati in Christo & ueritate eius Euangelica: sicuti docuit nos ex prophetis etiam Christi apostolus Paulus, ad Hebræos 10. cap.

Mysteriũ hoc annunciarunt & prophetæ.

Quinimò expositionis gratia subiungitur, sicut εὐηγγέλισε euãgelisauit, bono inquã & felici nuncio prædicauit Deus, utique per seruos suos, nimirum per prophetas, mysterium uidelicet hoc pijs tantummodo cognitum de fine mũdi, iudicio ultimo, Antichristi & omnium impiorum supplicio æterno, & de piorum glorificatione, &c. Nec expositionis gratia hæc dixit duntaxat, sed & confirmationis. Ex prophetarum enim oraculis consolatur fideles, quorum oracula cum non fefellerint unquam in aliquo: ne in fine quidem, & in ijs quæ prædixerunt de iudicio extremo, fallent. Rursus autem uidemus, quanta sit ueteris scripturæ authoritas, & quòd eximius sit eius usus in ecclesia Euangelica: in qua cernimus & Christum & apostolos eius omnia sua confirmare scriptis propheticis, sed & illustrare, ornare & declarare, aut demonstrare. Testimonia prophetarũ de ultimo iudicio, de præmio & pœna piorum & impiorum, de abolitione Antichristi, mortis & omnis corruptionis, extant Psal. 110. Isaiæ 24. 26. 27 & 66. Danielis itẽ 7. 11. & 12. Zachariæ quoq; 14. Malachiæ 3 & 4. & aliàs quoq;. Oseam citauit Apostolus 1. Cor. 15.

Proinde eleuemus capita nostra, fratres, uigilemus & oremus, quia appropinquat redemptio nostra. Libera nos Christe ab omni malo.

Acceptum ex manib. angeli libellum deuorat Ioannes, & rursus prophetat Gentibus, populis & regibus.

CONCIO XLV.

ET uox quam audiui de cœlo, iterum loquebatur mecum, & dicebat: Vade accipe libellum apertum in manu angeli, stantis super mare & super terram. Et abij ad angelum, dicẽs ei: Da mihi libellum. Et dicit mihi: Accipe libellum, & deuora illum, & faciet amaricari uentrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis tanquam mel. Et accepi libellum de manu angeli, & deuoraui illum: & erat ori meo, tanquam mel, dulcis. Et cum deuorassem eum, amaricatus est uenter meus. Et dicit mihi: Oportet te igitur prophetare in gentibus, & linguis, & populis, & regibus multis.

Restituitur doctrina apostolica contra Antichristum.

Hæc tertia est consolatio, quæ hoc cap. 10. continetur. Sub persona enim Ioannis demonstratur, doctrinam euangelicam & apostolicam contra Antichristum & Mahumedem esse reparandam in postremis ante iudicium temporib. Potuisset autem dicere breuib. Doctrina apostolica sicuti à Ioanne prædicata est, refloresceret iterum: sed maluit hoc eleganti uisione explicare, tandem & uisionis simplicem & breuem subijcere interpretationem. Ea est, Oportet te iterum prophetare, &c.

Ioannes iterũ prædicat.

Illa uerò exponunt concorditer interpretes omnes, primùm quidem de persona Ioãnis, qui sub Nerua ab exilio reductus in Asiam, per annos 5 aut circiter rursus prædicauit euangelium. Nam ad Traiani usq; Imperatoris regnum, in annũ eius 3 aut 4. superuixit: deinde de omnibus prædicatoribus, ante ultimum iudicium spiritu & doctrina Ioannis imbutis, & constanter Christum contra Antichristum annunciantibus. Prima sius hæc exponens: Ad Ioannem quidem, inquit, intentio certa dirigitur, quem adhuc oportebat de exilio liberatum, non tantum hanc reuelationem in notitiã ecclesiæ Christi deferre, se etiam euangelium in populos, in nationes, in linguas, & apud reges multos altius prædicare: uerumtamen omni quoq; ecclesiæ hanc uocẽ nullus ambigit conuenire, quæ nunquam debet à prædicatione desistere, &c. Hæc ille. Glossa in hæc uerba exponit: Licet hoc intelligatur de persona ipsa Ioannis, tamen in hoc ipso intelligitur,

tur quòd Dominus uult ecclesiam suam per alios prædicatores similiter instrui & præmuniri. Hoc pertinet ad consolationem fidelium, qui uicturi sunt temporibus Antichristi. Et reliqua. Aquinas item: In ipso Ioanne, ait, intelliguntur alij prædicatores, quos Dominus ad tempus Antichristi uult instanter prædicare maioribus & minoribus. Tantum Thomas.

Ante iudicium uenit Enoch cõtra Antichristum.

Aretas Cæsariensis episcopus, interpres huius libri, commemorat ex hoc Ioannis loco, exortam esse uulgi opinionem, arbitrantis Ioannem cum Enoch & Helia ante iudicium in hunc mundum rediturum, nimirum corporaliter, prædicaturumque acriter & constanter contra Antichristum. Id ipsum repetit copiosiore expositione Aretas, cum in 11. cap. enarrat uerba Ioannis de duob. testibus, &c. Certè cũ Ecclesiast. 44. scriptum sit, Enoch translatum esse ut gentes doceat. plerique interpretati sunt, quasi corporaliter rediturus sit, ut gentes contra Antichristum doceat: cum ipsa translatione olim facta potius doceat gentes, esse uitam aliam seruis Dei paratam, eamque deberi etiam corporibus, quando corpore & anima translatus sit Enoch: contra sententiam Epicuri & insanientis mundi, existimantis post hanc uitam nullam restare aliam, & corpora computrescere, nunquam uerò resurgere. Hic Enoch uidetur spiritualiter redire ad seculum illud postremum, quod ipse Dominus simile futurum prædixit ei quod diluuium antecesserit. Sicut enim tum plerique diuina securi iudicia contempserunt, neque periculla ulla timuerunt, aut ullam uitam meliorem sperauerunt: ita fit & in ultimo seculo, in quo Enoch constanter prædicat per illos qui uitam æternam & resurrectionem corporum contra Epicureos astruunt atque propugnant. Helias in monte Thabor in gloria cum Christo saluatore apparuit Apostolis delectis tribus: neque putandum est quòd sub finem seculi exturbãdus è cœli regia, & rursus subdendus corruptioni, & obijciendus sit manibus truculentis Antichristianorum, qui ipsum discerpant. Nam ut temporibus Christi saluatoris uirtute & spiritu Helias, Ioannes inquam Baptista, præcesserit Dominum: ita etiam ante iudicium in ijs rursus prædicabit Helias, qui spiritu & uirtute Heliæ imbuti, auocabunt omnium mentes à cultu creaturarum ad uenerationem æterni & solius Dei. Clamabat Helias, Quousque claudicatis in utrumque latus: si Dominus est Deus, sequimini illum: si Baal est Deus, sequimini illũ. Clamabũt Heliani: Si Christus perfectio est fideliũ, quid opus est humanis inuentis & constitutionibus quæ perficiant? Si Christus est iustitia, satisfactio, purgatio, intercessor & redemptor unicus, cur meritis humanis hæc tribuũtur? cur diui habẽtur patroni in cœlis? cur putidis innumeris reb. alijs attribuitur salus? Clamabat Helias: Quousq; claudicatis in utrũq; latus? quasi dicat, nõ licet corda duob. impartiri dijs, nec licet nisi uni Deo omnia uitæ & salutis tribuere. Inuida est hic reuera regni societas. Clamabunt Heliani: Si ex lege est iustitia, frustra Christus mortuus est. Nemo potest duob. dominis seruire. Nihil uobis Christus proderit, qui quæritis salutem in constitutionibus hominum. Ad Christum accedite: hic est fidelium perfectio, & in ipso sumus completi. Sicut Helias grauiter accusauit Achab, Iezabel & Baalistas: ita Heliani acerrimè inuehentur in reges & pontifices idololatras & Antichristianos. Sic inquam redit, redijt & redibit ante iudicium Helias.

Ante iudicium uenit Helias cõtra Antichristum.

3. Reg. 18.

Nec aliter prophetat ac prophetabit ante iudicium Ioannes. Non redibit in terram è cœlis corpore suo indutus: sed prædicatores imbuti doctrina Ioannis, reparabunt uniuersam eius doctrinam, explicabunt quæ ille reliquit ecclesiæ conscripta in Euangelio, in epistolis, & in Apocalypsi. Delituit hic liber aliquandiu, contemptus etiam à bonis & doctis uiris: idem tamen prædicantibus, quod in hoc libro continetur ac traditur: sed proferetur ab alijs nihilominus, & excoletur: id quod nostra memoria à multis factum constat. Ex his uerò omnibus liquidè intelligimus, quomodo oppugnandus & interficiendus sit Antichristus, non armis carnalibus, sed spiritualibus: doctrina uidelicet sincera, formata ad exemplum doctrinæ Enoch, Heliæ & Ioannis, ac petita ex scripturis sanctis. De qua re pleniora sequentur cap. 11. Breuiter, Ioannis doctrina sub extremum iudicium rursus reparabitur, & mundo uel inuito & renitenti innotescet. Intelligimus autem sub doctrina Ioannis, totam doctrinã Christi euangelicã & apostolicã, in qua cõscribenda & propagãda singularẽ operam suã inter excellentes Ioannes quoq; cõtulit.

Ante iudicium uenit Ioannes contra Antichristum.

Quales esse oporteat, & quibus instructos facultatib. prædicatores contra Antichristum.

Interea uerò in ipsa uisione adumbratur tota ratio fidelium & legitimorum prædicatorum, cum Antichristo committendorum, quales esse oporteat, quibusue instructos facultatibus. Principiò uocatur Ioannes, uoce cœlitùs ad ipsum delata, cum mandato, Vade. Requiritur ergo diuina uocatio in primis, ne quis sibi prauo affectu hoc muneris rapiat. Vocatus est Moses, uocati sunt prophetę & apostoli: alij quidé immediatè à Deo, non ab hominibus, nequę per homines: alij uerò & ipsi à Deo, sed per homines & ab hominib. Apostoli Christi non fuerunt uocati ab hominib. legitimam successionem iactá tibus, à Caiapha, Anna, & sacerdotum collegio: nihilominus habebãt uocationẽ à Christo, ac reipsa, prædicatione scilicet ueritatis, suam approbabant uocationem. Ergo licet hodie uocationem nostram referre non possimus ad Papam & episcopos, legitimã successionem iactantes: quia tamen reipsa & testimonijs Christi & Apostolorum approbare possumus, nostram doctrinam Christi esse doctrinam, & ideo ministerium nostrũ esse legitimum, nihil curamus illorum conuicia & cõtumelias, qui clamant, ideo nos uocatione carere, quòd non simus ordinati à Pontifice.

Vocatis datur mandatum certum, ut librum accipiãt de angeli manu.

Cæterùm uocato datur mandatum certum, nimirum ut accipiat libellum: nec quemuis, sed apertum illum, & quidem ex manu angeli, & rursus angeli stantis super mare & terra. Angelus ille, Christus Dominus est, Dominus uniuersæ terræ, maris & omnium quæ in his. Ille ministris suis exhibet manu sua libellum apertum, nimirum scripturam sanctam: in primis uerò sacrosanctum eius Euangelium, nulla obscuritate inuolutum, non clausum, sed cernere uolentibus maximè perspicuum. Tametsi enim propter linguæ uetustatem, propter idiomata, propter tropos & ritus, locos, res & historias antiquatas alicubi loci occurrant difficiliores: quid hoc inuoluit mysterium fidei & salutis, nihilominus clarissimum & apertissimum? Quis nõ intelligit, quid credat, quid faciat, & quomodo oret, uel ex articulis fidei, ex Decalogo & oratione Dominica? Sũma fidei & doctrinæ certa est & perspicua. Hunc ergo librũ apertum exhibet Christus ministris. Habet autem Ioannes βιβλαρίδιον, & non βιβλίον, libellulũ uel libellum, non librum. Si enim Biblia sacra, maximè librum euangelicum, conferas alijs legibus, libris, & Papæ maximè decretis, decretalibusq;, exiguus uidebitur sacer euangelij libellus. Primasius hunc locum exponens: Videtur, inquit, legis & prophetarum in Christum manifestatã intelligere ueritatem: ideo non iam, sicut superius, signatum, sed apertum dicit librum accipere. Finis enim legis, Christus, ad iustitiam omni credenti. & reliqua. Suppeditat ergo prædicatoribus sinceris ipse Christus Dominus nullam aliam prædicationem, quàm su ipsius, Euangelicam uidelicet. Ipse enim est lux & redemptor mundi, iusticia & uita, nec est in alio quoquam salus. Hæc prædicatio non petitur uel accipitur ex alijs quàm angeli huius manibus, nõ ex manibus Papæ uel episcoporum. Christus dicit: Ite in mũdum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes eos seruare omnia quę præcepi uobis.

Isaiæ 29. 2. Cor. 4.

Obedientia ministrorum.

Iam requiritur etiam à ministris obedientia, ut mandato Dei pareant: & quod petere accipereque iubentur, petant & accipiant. Frustra expectant quidam tractum & operationem salutis extra & sine ipsis absoluendum, sola Dei operatione inuisibili. Si me beatum & iustũ uult Deus, inquiũt, operetur hoc in me quod uult. Præterea ipsi nõ sunt soliciti, quomodo se gratiæ Dei, operanti per gratiam, accõmodent. Contra horum impietatem pugnat, quòd in præsenti audimus, Ioannem se mandatis Dei, non sine gratia Dei, accomodare. Abit enim ad Angelum, & dicit: Da mihi libellum. Orandus enim est Dominus: attendendum, sicuti & Paulus præcepit, lectioni: discendum est, & mandatis Dei obediendum, non autem expectandum donec Deus nos sine nobis attrahat.

Petentibus nihil negat Dominus. Requiritur à ministris feruor & diligentia.

Volentibus autem, petentibus & sedulis nihil negat Dominus, qui in Euangelio dixit: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt cõtradicere omnes qui aduersabuntur uobis. Item: Pater cœlestis dabit spiritum sanctum, petentibus ab ipso. Proinde angelus in præsenti dicit: Accipe libellum. Interim aliud hic miscet mandatum:

Deuora illum. Alluſit autem ad Ezechielis cap. 2. & 3. ubi propheta similiter iubetur deuorare sibi diuinitùs oblatum libellum. Nihil enim noui in præsentia commiscitur Ioannes. Ambrosius: Deuorare librum, inquit, est scripturarum intelligentiam

tiam ſecretis recondere uiſceribus. Videtur tropo & deſiderium inſinuare, & diligentiam inculcare ſingularem. Deuoramus enim magno cum deſiderio, quæ ſingulariter & diu cupiebamus edere. Deuoraſſe item dicuntur libros & authores, quos ad unguem didicerũt & tenent. Germanicè dicimus, *er hat den* Galenum, *oder* Priſcianum *gar frãßen*: id eſt, ad unguem edidicit. Requiritur itaq; à prędicatoribus, ut ſacras literas diſcãt cum deſiderio, & totas & exactè quidem diſcant & teneant. Sine deſiderio, & animi feruore parum profeceris in ſtudio literarum ſacrarum: & niſi exactè diſcas Euangelium, infeliciter id annunciabis. Pudeat itaque inſcitiæ ſuæ miniſtros quoſdam, plus deditos ocio, uino, uenationi, aleæ, & alijs rebus prophanis, quàm ſacris literis. Hi Ioanni apoſtolo diſsimiles, in hac militia contra Antichriſtum exiguam aſſequentur gloriam, niſi expergiſcantur à ſomno prophano, & alacres ſuum faciant officium planè ſacerrimum.

Effectus uerbi diuini dulcis & amarus.

Nec diſsimulatur hic tantillum effectus miniſterij, atque adeò uerbi prædicati: dulcis eſt hæc in ore ueluti mel. Nam & Dauid cecinit: Iudicia Domini deſiderabilia ſunt ſuper aurum & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauũ. Hæc dulcedo ſemper in interiore ſentitur homine, perpetuoque fruitur gaudio fidelis ueritate illuminatus: ſed non diſsimulandũ tamen, qualis uideatur carni, & qualis eius affectus in homine exteriore. Facit ſanè amaricari uentrem: quę & ipſa loquutio eſt, cui noſtra reſpondet, *Es thůt mir im buch wee*: ſignificantes id quod nobis propoſitũ eſt, & moleſtũ eſſe: & dolere. Affert itaque uerbum Dei mortificationem carnis, labores, moleſtiam, crucem & aduerſa innumera, quæ forti & conſtanti patientia ſuperare oportet. Etenim Dominus in Euangelio pœnitentiam ſeu mortificationem prædicauit, & inter alia frequentiſsimam fecit perſequutionum mentionem, qua ſui ſint perpetuò exercendi. Primaſius: Cum deuoraueris librum, inquit, oblectaberis quidem eloquij diuini dulcedine, & ſpe ſalutis promiſſæ, & diuinæ ſuauitate iuſtitiæ: ſed amaritudinem profectò ſenties, cum & deuotis & indeuotis cœperis prædicare. Audita enim prædicatione diuini iudicij, certè pœnitentiæ amaritudine in melius conuerſi mutantur: alij uerò offenſi inſuper indurantur, & odia circa prædicatores acriter gerunt. Corripies, inquit Sapiens, ſapientem, & amabit te: coargues inſipientem, & adijciet odire te. Et reliqua.

Sentitur moleſtia.

Neque uerò dicuntur hæc duntaxat, ſed fiunt etiam & ſentiuntur. Ioannes enim: Et cum deuoraſſem eum, inquit, amaricatus eſt uenter meus. Et hodie ſentimus grauiſsima potentum, patrum ſcilicet ſpiritualium & ſecularium principum, odia. Eijciuntur multi in exilium, concluduntur innumeri carceribus, occidũtur infiniti uarijs mortium generibus. Hæc omnia prædixerunt prophetæ futura, prædixit ipſe Saluator in Euangelio: prædicit in præſenti iterum Dominus. Simus ergo fortes & conſtantes in Domino, & militemus contra Antichriſtum in finem uſque uitæ. Dominus non deſeret nos, qui ne aduerſis illis frangeremur, aduerſa hæc diligenter prædixit. Sic autem oportet inſtructos eſſe militaturos contra Antichriſtum ante iudicium extremum.

Expoſitio uiſionis.

Poſtremò, quod initio cõcionis dixi, ſubijcitur breuis expoſitio uiſionis. Angelus enim dicit Ioanni, Oportet te iterũ prophetare in gentibus, &c. Hac uiſione, ait, nihil aliud commõſtrare uolui, quàm te rurſus prædicaturũ orbi, principiò quidẽ per temetipſum in Aſia, ubi reductus fueris ab exilio: deinde per fideles in finem uſque ſeculi miniſtros, qui doctrinam nunc per te editam uarijs linguis ſpargent per nationes, eaque oppugnabunt Antichriſtum. Cæterùm norunt uerſati in ſacris literis, prophetare accipi pro prædicare. Eſt enim prophetia, prædicatio: prophetæ quõdam appellabãtur, qui hodie ſunt prædicatores, ſicuti colligere licet ex 1. ad Corinth. 11 & 14. cap. Verſa eſt autem doctrina Ioannis in linguam Syram, Aethiopicam, Aegyptiam, Germanicam, Hiſpanicam, Gallicam, Anglicanam, Italam, breuiter in omnes propè linguas: in his omnibus prædicat per miniſtros fideles hodie Ioannes. Gentes quantumuis barbarę audiũt docentem Ioannem: ita & populi multarũ nationum. Hi omnes non uulgarẽ conſolationẽ in hiſce difficillimis Antichriſti tẽporib. cõcipiunt, & cõceperunt ab illis etiã ante hæc tempora, qui olim apoſtolicam repararunt contra Antichriſtum doctrinam. Eadem doctrina perfertur hodie, & delata eſt olim etiam ad reges & pontifices uel recalcitran-

Prophetare.

tes. Res non est dubia, quam refero. Nam hodie ista & audimus & uidemus. Historiæ quoque de his multa referunt. Deo laus & gloria. Quædam exempla Latina parum emendatè habent, Oportet te igitur prophetare. Nam Ioannes dixit, Oportet te πάλιν, iterum (non igitur) prophetare. Significat enim, illum etiam mortuum apud uarias gentes in multis linguis prædicaturum, per fideles ministros pugnaturos contra Antichristum. Dominus spiritu suo adsit omnibus pijs, apostolicæ prædicationis conciona-toribus, Amen.

Templum metitur Ioannes, & ostendit curæ esse Deo: atrium uerò excommunicat.

CONCIO XLVI.

Cap. XI.

ET datus est mihi calamus similis uirgæ, à dicente mihi: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. Et atrium, quod intra templum est, eijce foras, & ne metiaris illud: Quoniam datum est gentibus, & ciuitatem calcabunt mensibus quadraginta duobus.

Versatur adhuc in consolatione Dominus, & in describenda aduersaria contra Antichristum pugna: ostenditq; ecclesiam non deserendam in illis Antichristianis & Turcicis difficultatibus: nunquã aduersarios ita rerum potituros, quin ecclesia quoq; suos habitura sit promachos seu defensores, qui se obijciant cordatissimè Christi aduersarijs.

Summa huius concionis.

Figurata autem sunt illa quæ commemorantur ab initio capitis, & petita uidẽtur ex Ezechielis cap. 40. sicuti & illa quæ 7. cap. dicta sunt de signatis fidelibus, ex eiusdem prophetæ cap. 9. Nam metiri iubetur templum, & interius eijcere atrium: cuius quidẽ rei causam ostendit. Templum autem non Hierosolymitanum intelligit, quod iacebat in ruinis, nec reparari debuit, iuxta Danielis & Christi uaticinium: sed ipsam Dei ecclesiam, totũ inquam electorum numerũ. Nam S. Paulus fideles appellat templũ Dei, uiuũ utiq;, sicuti & S. Petrus, 1. Pet. 2. & 1. Corin. 3. & 2. Cor. 6. Aram diximus iam sæpe, Christum esse unicum in ecclesia, & sacrificium pro peccatis, & sacerdotem intercessoremq; in dextera patris. Adorantes sunt, qui Deum per Christum adorãt spiritu & ueritate, & legitimè uel religiosè colunt. Quotquot tales sunt, id est, quicunq; adhærent Christo unico fidelium pacificatori, & per fidem uerè seruiunt Deo, hi sunt uerum Dei templum, uera ecclesia. Hos mensus est Ioannes: ut intelligamus, adiecisse Dominum animum ad extruendam ecclesiam, non destruendam. Aedificaturi enim metiuntur loca, in quibus ædificia collocent: ut apparet Ezech. 40. fuit tunc quoq; destructum templum à Chaldæis, ut nunc à Papistis & Turcis uastata est ecclesia: sed Dominus promittit hac dimensione se reparaturum ruinas ecclesiæ meriti Christi, & fidelium adorantium: præterea significat, fideles esse in istis turbis numeratos (prius audiuimus consignatos) & tutos, quibus nulla possit in difficultatibus istis nocere uirtus aduersaria. Nam ut ara Christus impolluta est, nec ulla uirtute diabolica prophanari aut destrui potest: ita oues Christi Deo cognitæ sunt, nec pereunt: sicuti ipse quoq; Dominus noster Iesus Christus testatur Ioan. 10. & Apostolus 2. Timoth. 2. Breuiter fideles Christi sunt in communione Dei, & omnium bonorum eius, in cura, in ædificio, in numero, in defensione. Firmiss. est hæc consolatio. Cæterùm cum ipse Dominus in Euangelio prædixerit, ueros fideles excommunicandos à pseudodoctoribus, & hic quoq; præuiderit, quid euenturum sit pijs pastoribus à pseudoepiscopis: hos dicit reuera nihil pertinere ad ædificium Dei, sed esse excommunicatos à Deo, quominus ipsorum pij censuram metuant. Est autem hic lectio duplex, quarum prior magis probatur. Ea est, καὶ τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωθεν, Et aulam uel atrium, quod intra scilicet templum est, eijce foras: id est, declara eos qui in hoc atrio sunt, eiectos à Deo esse foras. Equidem intra templum, seu interiora templi, & prima ecclesiæ pars esse uolunt Antichristiani, adeò ut quisquis ipsos non agnoscat, & eos sequatur per omnia, conformemq; se reddat Romanæ ecclesiæ, hæreticus esse iudicetur. Atriũ

Metiri templum, &c.

Interius atriũ foras eijciendum.

interius

interius in lege fuit ſtatio ſacerdotum, locus in quo illi uerſabantur operaturi ſacra. Dū uerò dicit atrium eijciendum, tropicè ſignificat, ſacerdotes Antichriſtianos eijciendos. Contentum enim pro contento ponitur. Et cum dicit, Eijce: hoc dicit, eos quos Deus excluſit, tu eiectos declara. Nam Deus excommunicat, homo iudicium Dei pronūciat & exequitur. Poſterior lectio eſt huiuſmodi: Et atrium (τὴν ἔξωθεν) quod foris eſt, eijce foras. Sic habet Hiſpanien. exemplum. Quomodo autem foras eijcias, quod prius eſt foris? Magis ergo priorem lectionem me probare dixi. Sed ne hanc quidem lectionem reijcimus. Atrium enim quod foris eſt, ſignificat collegium uel cœtum non communicantem cum ara unica Chriſto, aut cum uera Chriſti eccleſia, quales eſſe pontifices cum ſua familia totus hic liber oſtendit. Porrò phariſæi & ſacerdotes eiecerunt cæcum natum, Ioannis nono, foras: id eſt, excommunicarunt eum propter confeſsionem Chriſti. & Ioan. 15. ait Dominus: Si quis in me non manſerit, eiectus eſt foras ſicut palmes, & exaruit. Proinde dum Ioannes hic iubetur foras eijcere atrium ſacerdotū, declarare utique iubetur, ſacerdotes eſſe excommunicatos eos, qui primates eccleſiæ Dei eſſe ac uideri uolunt. Prohibetur item metiri hoc atrium. Quia Deus illos non uult ædificare, ſed deſtruere: nec illos in numerato, & inter ſuos habere. nam reiecit. Quis ergo poſthac tantillum curauerit excommunicatorum excommunicationem? Impij pontifices excommunicarunt Cæſ. uiros religioſos & fortes: fideq; ſubditorum ſoluta, ipſos concitarunt in capita principum. Nota eſt hiſtoria Gregorij 2. contra Leonem Iſauricum: Gregorij 7. contra Heinrychum 4. Innocentij item, contra Friderychum 2, & aliorum pontificum cōtra principes optimos. Singularis certè neruus tyrannidis Papiſticæ fuit excommunicatio, quam hic eneruat Dominus.

Foras eijcere quid.

Nec diſsimulat Dominus, cur excommunicatos pronunciet ſacerdotes, uel interius atrium: Quoniam datum eſt gentibus. Quæ quidem loquutio tantum ualet, ac ſi dicas: Quoniam in atrio non agunt ſacerdotes aut fideles, ſed gentes, quib. utiq; hic locus ceſſit. Iure autem gentes à conſortio Dei & eccleſiæ eius ſunt excluſę: cum ipſe in Euangelio dixerit Dominus: Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ceu ethnicus & publicanus. Qui certè uel in templo ſeu eccleſia non ſunt, uel in atrio quidem interiori ſunt, id eſt inter proceres eccleſiaſticos cenſeri uolunt: Chriſtum autem non tenent, ſed gētibus quàm Chriſtianis conformiores ſunt: iuſtiſsimè inter gentes excluſas deputantur.

Atrium datum eſt gentibus.

Videamus autem, cur Pōtificem Antichriſtum cum membris ſuis deputet inter gentes. Qui nati ſunt ex Deo, uerbum Dei audiunt, & glorificant: qui nondum ex Deo nati, ſed adhuc gentiles ſunt, Dei uerbum non modò non audiunt, ſed etiam blaſphemāt. Sic iſti homines uerbū Dei audire nolunt, & omne ſtudium ſuum huc cōferunt, ut homines à ſcripturis, quæ uerbum Dei ſunt, abſterreant. Illas aiunt obſcuras, dubias, incertas, imperfectas. His credentes & innitentes, appellant hęreticos: & doctrinam ex his petitam, hæreſim. Deinde qui non obtinent caput Chriſtum, & ceu palmites uiti non ſunt inſerti, communionem cum Chriſto non habent, & gentiles ſunt. Tales autē ſunt pontifices cum ſuis, perſequentes adhuc Chriſtum, omnesq; illos qui contendunt ſolū Chriſtum eſſe caput eccleſię, ſolum Chriſtum eſſe iuſtitiam & uitam, omnes fideles omnib. compleri numeris per Chriſtū. Ita ſanè credentē, hæreticū eſſe pronūciant. Præterea gentiles idola colūt, inuocant creaturas, exiſtimant Deum reb. corruptibilibus, auro, argento rebusq; preciosis, templo dedicatis, & ad ornatū adhibitis, uenerari. Quid autem ab his hodie fit in eccleſia aliud? Ethnica omnino templa uides, cum iſtorum templa uides. Turpis quoque & fœda eſt uita gentilium: genio indulgent, crapula diſtenduntur, libidine, fornicationibus & ſtupris fœtent, cultu & nitore corporis luxurioſo diffluūt. Vide quæ de uita & cōuerſatione gētili Apoſtolus ſcribit in 4. cap. & 5. ad Eph. & in 1. cap. ad Rom. & in 1. ad Corinth. cap. 5 & 6. Iam uerò qualis ſit uita Pontificis & ſuorum ſpiritualium, res ipſa nimis apertè teſtatur, ut uel hoc duntaxat nomine inter excommunicatos, apoſtolo excommunicationis ſententiam pronunciante, in eo quem iam citauimus loco, 1. Cor. 5. haberi poſsint & debeant. His accedit Epicureiſmus iſtorum. Si enim illis cordi eſt religio, ſi ullus eis metus numinis eſt reliquus, cur omnia illis uenalia ſunt in eccleſia, remiſsio peccatorum, cœlum, Chriſtus, & oblatio Chriſti,

Gentiles ſunt, pontifex & pōtificij.

matrimonium, miniſterium, breuiter omnia? Cur uocantur in dubium non pauci articuli fidei? cur diſputatur neſcio quid de immortalitate animorum, & corporum reſurrectione? Cur ludibrio habetur uita æterna?

Proculcatur ciuitas ſancta.

Accedit his omnibus, quòd iſti calcant, imò proculcant ciuitatem ſanctam: ideo enim pro excommunicatis iure habentur. Ciuitas hæc ſancta, nõ eſt terrena illa Hieruſalem, ſed eccleſia Dei, cuius typus fuit urbs ſancta: ſicuti à Paulo exponitur in 4. cap. ad Galatas. Nam terrena Hieruſalem, ſecundum prophetarum uaticinia, ſuo defuncta munere, in cineribus nunquam reſtituenda iacebat. Significat ergo Dominus ſanctam Chriſti eccleſiam per Antichriſti & Antichriſtianorum tyrannidem fore calcandam. Plus autem

Calcare.

ſignificauit, cum dixit, Calcare: quàm ſi dixiſſet, affligere & perſequi. Calcatio enim coniuncta eſt cum maxima contumelia eius qui calcatur: ſignificatur item extremus conatus & ſumma truculentia hoſtium, quam exercent in deuictos, ſuęq; ſubditos libidini. In Daniele legimus de Romanis: Beſtia habuit grandes ferreos dentes, comedens atque cõminuens, & reliqua pedib. ſuis cõculcans. Solent enim beluę petulantes pedib. calcare, quæ deuorare non poſſunt, alioqui ſaturæ. Et Solomon Prouerb. 27. Anima, ait, ſaturata calcat fauum. Malachias in cap. 4. de gaudio loquens piorum: Salietis, ait, ſicut uituli de armento, & cõculcabitis impios, qui puluis erunt ſub plãtis pedũ ueſtrorum. Breuiter, Ioannes per cõculcationem ſignificat oppreſsionem eccleſiæ, cõiunctam cum ſumma tyrannide & petulantia, & cum ludibrio & gaudio impiorum maximo coniunctam. Atq; alluſiſſe omnino uidetur ad hæc diuini uatis uerba: Deus, uenerũt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt ſanctum templum tuum, redegerunt Hieruſalem in aceruos lapidum. Dederunt cadauera ſeruorum tuorum cibum uolucribus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinẽ eorum ueluti aquam, nec eſt qui curet, aut qui ſepeliat: & reliqua quę leguntur Pſalmo 78. De perſequutione autem Antichriſti ſequentur paulo pòſt plura in hoc cap. Neq; obſcura hæc fuerint, ſi cum ijs ea conferas, quæ hodie fiunt in Romana eccleſia contra Euangelij Chriſti ſtudioſos.

Supputatio mẽſium 42.

Porrò tempus hic certum indicatur, quo ſæuitura ſit in eccleſiam Antichriſtiana perſequutio, menſium ſcilicet quadraginta duorum. In quib. ſupputandis quidam mirum in modum ſe torquent. Ego ſimpliciter arbitror certum quidem tempus eſſe conſignatum, nec ſine cauſſa, & nihilominus incertum eſſe intelligendum. Definitũ tẽpus ideo conſignatur, ut intelligamus terminum à Deo cõſtitutum eſſe illis furoribus: quem ſicut ipſe ſolus nouit, ita eundem uoluiſſe fidelibus ſuis non annorũ, ſed menſium dũtaxat indicare tempus, ad conſolationem. Facilius enim ferimus, quod nõ niſi menſes aliquot duraturum intelligimus. Hunc ſenſum utcunq; attigit & Aretas, qui ſic ſcribit: Tempus quadraginta duorum menſium, contractionem exprimere arbitramur, circa aduentum Antichriſti: ob quam afflictionem Dei amatoribus inferendam, Deus uerus

Matth. 24.

Chriſtus breuiandos illos dies dicit. Sunt autem quadraginta duo menſes, tres anni cũ dimidio, in quib. continget ut fideles, adeoq; probati, & conculcentur, & perſequutiones patiantur. Hæc ille.

Tres anni cum dimidio Antichriſtiani anni.

Certè omnes propemodum expoſitores, hoc nimirum loco inſtructi, Antichriſtiano regno, & perſequutionibus eius atrociſsimis, non plures attribuunt annos, quàm tres cum dimidio. Totidem enim annos faciunt 42 menſes, ſi anno tribuas 12 menſes. Cæterùm ſcriptura & res ipſa loquitur, regnum Antichriſti longè diuturnius fore. Vnde dixi, certum cõſignari ab apoſtolo tempus, intelligi incertum: id eſt, totũ illud quod à fatalibus annis 666, quorum mentio fit Apocalypſis 13. cap. ſupputatur, uſque ad ultimum iudicium. Cur autem certum tempus per incertum exponam, hæ ſunt cauſæ. Prior, quòd idem hic menſium numerus ponitur 13. cap. & tribuitur antiquo Romano imperio, nimirum ut in tribulationibus ſancti intelligant, & ſeſe conſolentur, quòd præfinitum ſit tempus libidini iſtorum, quod Deus norit: ſanctis interea non magis triſtandum, quàm ſi menſibus duntaxat aliquot tyrannidem ferre cogantur. Alioqui ſi ſupputes à primo Iulij Cæſaris anno, & deducas temporis ſeriem in illum uſque annum, quo Odacer Romæ, ſublatis Cęſarib. aut Occidẽtalib. ut rectius loquar, imperatoribus, rex agnitus eſt, non tantum inuenies tres annos cum dimidio, ſed annos circiter

ter 517. Si uerò computationem deducas à Iulio ad Exarchatum usque sublatum, & Papæ donatum, inuenies annos circiter 767. Posterior: quòd Daniel, Christus Dominus, & Paulus apostolus, concorditer dicunt, persequutionem Antichristianam duraturam ad iudicium usque. Quis autem supputarit nobis annos & dies extremi iudicij? Ideoque certus numerus exponendus est per incertum, cogitandumque omnia in consilio Dei esse numerata & definita, qui nuspiam fideles suos negligat. Ipsi gloria in secula seculorum.

De duobus prophetis contra Antichristum strenuè pugnantibus, & potestate eorum.

CONCIO XLVII.

ET dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in cõspectu Dei terrę stantia. Et si quis uoluerit eis nocere, ignis exibit de ore eorum, & deuorat inimicos eorũ. Et si quis uoluerit eos iniuria afficere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ eorum: & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga, quotiescunque uoluerint.

Promittuntur prophetæ.

Pertinent & hæc ad consolationem fidelium. Dominus enim promittit se daturum prophetas: id est prædicatores, qui ueritatem Euangelij, & gloriã Christi asserendo propugnent, Antichristum oppugnent, regnumq; eius destruãt, & salutẽ fidelium promoueant. Superiorib. quidẽ capitib. 8 & 9. copiosè descripta est Antichristi & hæreticorum pugna contra Deum & Christum eius, eiusdemque ecclesiam: paucis uerò nunc opponitur pugna aduersaria, & recensentur copiæ Christi.

Duo prophetæ.

Duos autẽ producit prophetas, id est prædicatores: non quòd duo duntaxat sint futuri, sed quòd ita uelit innuere copias Christi in mundo fore & uideri mundanis exiguas (sicut mox dicemus) interim intelligit omnes omnium temporum fideles concionatores & pastores, qui se opponunt & Antichristo & hæresibus. Sunt qui hæc exponant de Enoch & Helia, corporaliter uenturis ante iudicium. Cæterùm Hieronymus in epistola ad Marcellam, eam opinionẽ refert ad fabulas Iudaicas, significãs spiritualiter hæc de prophetis his, ut & pleraq; libri huius, esse exponenda. Et interpretes propè omnes magna cõcordia, omnia hæc de hisce prophetis spiritualiter, nõ corporaliter ad literam interpretantur. Ego duplici de causa duos hic prophetas duntaxat numerari arbitror.

Quare duo dũtaxat prophetæ numerẽtur.

Principiò, quòd ad historiam uel prophetiã Zachariæ ueterem alludere uoluit, quæ extat cap. 4. Videbatur tunc quoque populo Israelis, reduci ex Babylone, impossibilis reparatio templi, quòd aduersarij essent multi & potentes, ipsi uerò imbecilles & pauci, præsidesque ipsorum Zorobabel & Iehoschuach contempti: sed potenti manu Dei, fidelique eius auxilio factum est, ut aduersariorum uirtus disparuerit inanis, ipsi uerò inuitis inferorum portis templum extruxerint. Ita Dominus futurum dicit postremo illo seculo, ut contemptissimi & pauci admodum numero ministri, Christo suum templum excitent, reparentque, potentiam autem Antichristi ualidissimã disturbent. Huc pertinere puto illud ex Daniele: Cũ uerò corruent, iuuabantur auxilijs paruis, &c. Deinde eam ob causam maximè duos tantũ testes numerat, q, in lege scriptũ legatur: In ore duorũ aut triũ stabit omne uerbũ. Iudicatur ergo plenũ testimoniũ, quod duorũ cõcordi expositione fuerit cõfirmatũ. Cũ ergo Dñs dicit se daturũ duos ꝓphetas, tãtundẽ est ac si dicat: Quantũ satis fuerit ministrorũ dabo, qui & ecclesiã meã extruãt, & Antichristi regnũ cõuellãt atq; lacerẽt. Sunt interpretes, quib. uidetur, ꝑ testes duos, duo esse intelligenda

telligenda teſtamenta. Cæterùm nos de teſtibus loqui Dominum uidemus, non de re teſtificata aut teſtanda, quam tamen non diſiungimus à teſtibus.

Teſtes qui. Teſtes ubique in Euangelio, & in 1. cap. Act. Apoſtolorum, appellantur apoſtoli, & uiri apoſtolici. Teſtes in iudicio ſtatuuntur, ut quod uiderunt, uel audierunt, bona fide referant, nihil ex ſeipſis confingant, rebusq; teſtificandis nihil addant, nihil adimant. Ita certè conſtituuntur à Deo in eccleſia Dei, teſtes Dei, id eſt miniſtri: & requiritur ab eis, ne quid ex proprio confingant arbitrio, ne quid addant aut adimant uerbo Dei, ſed ſimpliciter uiſa in hiſtoria Euangelica, & audita à prophetis & apoſtolis, eccleſiæ Dei exponant. Proinde teſtes mendaces ſunt, nec teſtes Dei & Chriſti appellandi, qui nõ adferũt euangelium. Teſtes magis ſunt Papę, cuius Decreta & Decretales proferunt, & ex ijs apud plebem ſtolidã teſtificantur. Ergo prophetæ illi duo, teſtes erunt Chriſti, & ex ſcripturis ueraciſsimis Chriſto ferent teſtimonium.

Origo prophetarum. Et origo horum in præſenti refertur ad Deum & Chriſtum eius, ſicuti Antichriſti exordium ad ipſum reducitur diabolũ. Ego, ait Dominus, dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt. Mittit Chriſtus prædicatores, & his quoq; dat ut poſsint prædicare. Id quod mirificè cõſolatur. Quemadmodũ enim diabolus ſuos ſubinde mittit, inſtruit & adiuuat pſeudoprophetas: ſic Chriſtus ſuę non deeſt Eccleſiæ, & ſuis miniſtris ſuppeditat docendi, & feliciter agendi facultatem. Nam in Euangelio quoque promiſit & dixit: Dabo uobis os & ſapientiam, cui non reſiſtent, quotquot aduerſabuntur uobis. Hæc conſolari nos debent in grauibus hoſtium Euangelij conſilijs, proditionibus & conatibus. Chriſtus non deſeret miniſtros, modò hi ſint fideles, & à ſolo Chriſto pendeant.

Tempus prædicationis prophetarum. Iam etiam tempus indicatur prædicationis Euangelij contra Antichriſtum, uniuerſum uidelicet illud quo Antichriſtus templum & ciuitatem ſanctam calcabit. Nã dies 1260, efficiunt menſes 42, ſi dederis ſingulis menſibus dies 30. At ſuperius audiuimus, Antichriſtum conculcaturum eccleſiam menſibus 42. Rurſus ergo certus numerus pro incerto ponitur. Significatur autem, & cum myſterio definitur hic dierum, non menſiũ aut annorum, tempus. Nam utcunq; difficilis erit & periculoſa functio miniſtrorũ: ita tamen conſolabitur & confirmabit eos Deus, ut uideantur dies duntaxat aliquot, nõ mẽſes aut annos, pati perſequutiones, & laborare in laborioſo Domini opere. Quod autem dies illos numeratos pro incerto poſitos dixi, id me commouit, quòd mox 12. cap. idem dierum numerus aſsignabitur: pro quo tamen antea repoſuit, Ad tempus & tempora & dimidium temporis. Id quod omnino petitum claret ex 7 & 12. cap. Danielis. Scio, illud exponi à pleriſque pro annis tribus cum dimidio: ut tempus, ſignificet annum: tempora, duos annos: & dimidium temporis, dimidiatum annum. Sed ei annorum numero repugnare rem ipſam, nemo non intelliget, qui ſaltem hiſtorias paulo diligentius inſpexerit. In 7. cap. Danielis: Animalia reliqua, inquit, depoſuerunt dominatũ ſuum, & illis tempora uitæ conceſſa ſunt, uſq; ad tẽpus & tempus. Quis uerò expoſuerit hæc de annis dũtaxat duobus: cum cõſtet, Babylonios, Perſas & Macedones permultis regnauiſſe annis? Significat ergo, illa regna tandiu regnatura, quandiu Deus uoluerit, & ipſis regnãdi poteſtatem dederit. Germanicè dicimus, *das wirt ein zyt, oder ettwar zyts wären*, cum interim præfixum terminum non conſtituimus. Eodem Danielis cap. ponitur loquutio eadem, tradẽdos ſanctos in manũ Antichriſti ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et in 12. cap. complendam dicit hanc eius prophetiam ad tempus, tẽpora & dimidiũ temporis. Quis uerò crediderit, intra 3 annos cũ dimidio perficiẽda, ea quæ expoſuit in toto opere? Cur ergo reſtringunt ad annos tres cum dimidio, tempora Antichriſti, & in primis eius perſequutionem? Cur non uident, interitum Antichriſti, & ſanctorum pacem, iudicijq; diem, eundem fore diem? Daniel enim ait, beſtiam in tartara præcipitandam, cum throni inſtruuntur. Paulus uerò: Quem abolebit, ait, aduentu ſuo, &c. Quis aũt certam demonſtrarit nobis iudicij diem? Soli patri cognita eſt. Deſinant ergo ſupputationibus ſuis pugnare cum Euangelio. Apparet potius, Dominum ænigmatico illo dicẽdi genere nullum definijſſe tempus certum: ſed magis admoniſſe pios longanimitatis, patientiæ atq; conſtantiæ: ac præcepiſſe, ne curioſius ſcrutemur

articulũ huius temporis,sed permittamus ipsi potius Christo,alibi dicenti: Non est uestrũm nosse tempora,& articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate:sed uigilate,ut cum uenerit Dominus, inueniat uos uigilantes.Siue ergo longo, siue breui uel modico tempore iudicium suum distulerit Dominus, uos este constantes.Ita in præsenti dicit,toto illo tempore quo Antichristus sæuiturus sit,prædicaturos Christi ministros. Et quidẽ si consulas historias,inuenies optimos & doctissimos uiros sese omnibus seculis,iam à septingentis annis & amplius,conatibus Paparum,abominationib. eorum, & monachorum seductionib. constanter opposuisse.De persequutionibus,quas sustinuerunt,dicam postea.

Habitus prophetarum.

Præterea habitus istorum quoq; prophetarum ostenditur,ut inde quoq; genus doctrinæ colligatur. Non erunt mollibus aut preciosis, serico uilloso, aut damasceno, aut carmesino uestiti,sed saccis. Saccus, sicut ex prophetis liquet,uestis est lugubris,& pœnitentium. Sicut ergo Ioannes uilibus fuit uestitus,ac pœnitentiam prædicauit: ita hi quoque pœnitentiam & reformationem urgebunt,suadebunt frugalitatem,luxuriã & intemperantiam persequentur.Certè docti & uiri boni omnes à septingentis iam annis,à Papa & clero & populo nihil aliud quàm pœnitentiam ac reformationem postularunt:quo nomine pessimam ab illis retulere gratiam.Cultus uerò Antichristianorũ qualis sit, nemo hodie ignorat. Quorundam à meretricio parum differt. Consequenter plenius & copiosius exponit, quales illi sint futuri, & quale ipsorum ministerium, quis item effectus,& quæ uirtus prædicationis ipsorum.Id uerò ornat & declarat pluribus è scriptura typis petitis.

Matth.3.& 11 cap.

Prophetæ sunt candelabra & oliuæ.

Et principiò iterum alludit ad 4. cap. Zach.dum dicit:Hi sunt duæ oliuæ, &c. Oleo nutriuntur lumina: oleum itaque materiam concionum significat.Candelabra enim lumina portantia, prædicatores sunt, lumen Christum,& Euangelij eius,spargentes per orbem.Petitur autem illa prædicatio luminis ex Scriptura,sicuti & lumen lucernę oleo alitur. Oleum typus est sancti sanctorũ.Vnde & Ioan.spiritumsanctũ appellat unctionẽ. Certè scriptura sancta,est inspiratio sancti spiritus. Proinde prædicatores illi Christum ex scripturis prædicabunt. Sic autem prędicantes ex inspiratione spiritus Euangelium Christi,dicuntur stare ante conspectum Dei terræ:id est,sunt isti in protectione, in cura & puidentia eius Dei,cuius prouidẽtia gubernãtur quęcũq; sunt in cœlo in terra. Nam allusum apparet ad hęc Zachariæ uerba, Oculi Domini peruagantur totam terrã:& isti sunt duo filij olei,qui stant ante dominatorẽ uniuersæ terræ.Hæc autẽ ualdè consolantur fideles cõcionatores, qui cernunt se Deo esse curæ, Deo inquã uniuersorũ Domino.

Prophetæ stant stãt corã Deo.

Contra uerò nec oliuæ sunt,nec candelabra, lucem Euãgelij præferentia,quotquot ab Antichristi partibus feces ac stercora humana pro oleo sancti spiritus mirãtur, ac etiã lucernæ infundunt:nec lucem annunciant,sed tenebras & opiniones hominum corruptissimorum.Contra hos Ioannes disputans,Hæc scripsi nobis,inquit,de his qui seducunt uos.Et unctio,quam accepistis ab eo,manet in nobis.Et nõ necesse habetis ut quis quã doceat uos:sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus,sic uerax & nõ mẽdaciũ est.

Armæ prophetarum.

Nunc etiam arma horum prædicatorum describuntur,quib.causam suã propugnẽt, & contra hostes suos certent. Si quis uoluerit eis nocere (ἀδικῆσαι) ignis exit de ore eorum,& deuorat inimicos eorũ. Significat autem ἀδικεῖν,destinata malicia & cõtra iustitiam nocere uel inferre iniuriam.Interpres,cum idem utrobique sit uocabulum,paulopòst uertit,Si quis uoluerit eos afficere iniuria:prius autem nocere dixit.Si quis ergo ex promachis Antichristianis prædicatores illos fuerit adortus, uolueritque doctrinam ipsorum ac ministerium impetere, mox illi ex scripturis sanctis uerbum Dei proferent, atque ita repriment superabuntque aduersarios. Nam hæc non exponenda esse ad literam, illud maximè euincit, quod mox audiemus, prophetas illos uincendos & occidendos ab Antichristo: nimirum corporaliter. Quis ergo inde non colligat,uictoriam prædicatorum esse spiritualem, ut aduersarij ipsorum ueritate conuicti, uiuant quidem corporaliter,uirtute autem ueritatis spiritualiter cæsi uideantur.Ideoq; ueluti per interpretationem subiungitur:Et si quis uoluerit eos afficere iniuria, sic oportet eum occidi.Sic inquam, igne scilicet qui egreditur ex ore ipsorum. Quis autem dixerit

Ignis egreditur ex ore prophetarum.

dixerit materialem & naturalem ignem progredi ex ore hominsi? Sed & Paulus hæc explicans, ex Isaia petita loquendi forma, differens de Antichristo & Christo: Quem, inquit, interficiet spiritu oris sui. En spiritum oris appellat Paulus, id quod Ioannes ignem dixit. In Ieremia quoque legimus cap. 23. An non uerbum meum est sicut ignis, & ueluti malleus disipãs petram? Et iterum 5. cap. Eo quòd loquimini sermonem istum, ecce ego reddam uerba mea in ore tuo ignem, & populum istum ligna, & deuorabit eos. De Helia legimus 4. Reg. 1. quod igni cœlitùs deuocato ministros regios corporaliter combusserit. Quod exemplum cum citarent discipuli Domini Iacobus & Ioannes, prohibuit eos Dominus, ut suę eos admoneret functionis, longanimitate uidelicet, & uerbo ueritatis esse ipsis pugnandum. Quod & alibi Apostolus disertè præcipit, nempe 2. Timoth. 2. Vnde disertè erudimur, Antichristũ non esse armis delendũ corporalibus per ministros, sed spiritualibus. Nam oportet illum iugulari Euangelio, rõphya illa acutissima, & cadere ac mori in pectorib. hominum, ut ab his planè contemnatur & agnoscatur pro Antichristo. Quod autem multi commiscent ministerium uerbi & potestatem magistratus, & huic ea de causa gladium eripiunt ex manibus, præcipientes ne hic feriat hæreticos atque blasphemos, asserentes non nisi uerbo esse iugulandos: distinguere rectius inter officia discant, & non laxare frena blasphemis, & quibuslibet seductoribus, & qui millies conuicti hæreseos, non desinunt innumeros polluere, & in perniciem abstrahere, nisi grauius per magistratum coherceantur. Singuli ergo suo muneri inuigilent, & in eo regulam sequantur ueritatis & æquitatis, ac rectius habebunt res.

Potestatem habent claudendi cœlum.

Porrò significantiora subijcit de ipsorum potestate & ministerio, etiam his ad uarios alludens scripturæ typos. Principiò enim dicit, Hi habẽt potestatem claudendi cœlum, ne pluat dieb. prophetię eorum. Allusit autem ad historiam Heliæ, quę legitur 3. Regum cap. 17. Spiritualiter autem huic nostro negotio sunt applicanda. Nam sicut Helias uirtute diuina, ne plueret, prohibuit: ita prædicatores Euangelij inobsequentibus, uel uerbum audire nolentibus, sed malentibus seduci papisticis abominationibus, & cœlum ipsum claudent, id est certò clausum esse à Deo testabuntur, quod per solum Christum ceu unicam ianuam uia in cœlos pateat, quem tamen illi respuunt: & gratiam quoque diuinam negatam esse illis inculcabunt, quæ per Christum duntaxat conceditur. Nam per pluuiam significari Dei gratiam & irrigationem fœcundam cœlitùs concessam, authores sunt prophetæ. Proinde toto illo tempore prophetiæ suæ constanter testabuntur, merito suo maximo, & sua culpa propria priuari luce, gratia & uita cœlesti, quoquot stipulas Papæ malunt, quàm panem de cœlo uerum. Econtrariò autem intelligimus, illis datam esse potestatem aperiendi cœlum credentibus. De qua re iam non est dicendi locus. Notiora enim sunt, quæ in Euangelio de clauibus regni cœlorum continentur, & huc maximè pertinent, quàm cõmemorare debeam: cum & alibi, & superius in hoc ipso libro de his dixerim.

Conuertunt aquas in sanguinem.

Deinde alludit ad historiam Mosis, & ait, Prophetis his concessam facultatem aquas conuertendi in sanguinem: quod cum superiori membro nihil discordat. Aqua enim dĩ uinæ sapientiæ, gratiæ & refrigerij spiritus, est typus. Sanguis culpam & uindictam denotat. Notissima est enim legis & apostolica illa sentẽtia: Sanguis uester sit super caput uestrum. Testabuntur ergo prophetæ isti, Deum quidem misisse uerbum suum saluificum, ad saluandum omnes credentes, sed incredulis sua culpa cessurum hoc ad cõdemnationem. Nam qui audiunt prædicationem uerbi Dei, nec credunt, audiunt hoc sibĩ ipsis in iudicium. Atq; ita hodie multis prædicatur sine fructu Euangelium: quippe cũ doctrina Papistica corrupti, per uim sapere nolint, &c.

Percutiunt terram plagis.

Postremò potestatem habent percutiendi terram omni plaga, quotiescunque uoluerint. Non autem uolent, nisi uerbum Dei per quod inspirati aut instructi reguntur, iusserit. Non enim libidine agent, non affectus suos sequentur, sed uerbum Dei. Cæterùm percutere dicuntur terram plagis, cum ex uerbo Dei minantur, Deum plagis peccata hominum percussurum, id est puniturum. Plagæ illę commemorantur Leuit. 26. & Deut. 28. Quod si bellum, pestem, morbos, famem, & alias calamitates minati fuerint impœnitenti-

tentibus,irrogabit eas Deus incurabilibus,ſicuti ſæpe hoc in Ieremia dicit Dominus. Rurſus & ex contrario omni benedictione ditabunt obſequentes uerbo Dei,cum benedictionem Domini annunciauerint.

Hæc hactenus diſſeruit de prędicatoribus Euangelij,ultimo illo ſeculo ante iudiciũ, contra Antichriſtum pugnaturis, & eccleſiam ædificaturis,aſſerturisque credentes. Tu obſeruabis,in quib.has notas deprehenderis concionatoribus, ac hos agnoſces pro legitimis Dei prophetis.Simul autem agnoſces,quantum ſit Dei beneficium,ueros & fidos habere uerbi Dei prædicatores.Dominus Deus noſter confirmet omnes miniſtros uerbi ſui in præconio ueritatis eius,in ſeculum uſque.

De crudeli pugna Antichriſti contra prophetas Dei, quos uincit & occidit,ſummáq; afficit ignominia.

CONCIO XLVII.

ET cum finierint teſtimonium ſuum,beſtia quę aſcendit de abyſſo,faciet aduerſus eos bellum, & uincet illos, & occidet illos.Et corpora eorũ iacebunt in plateis ciuitatis magnæ,quæ uocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus,ubi & Dominus noſter crucifixus eſt. Et uidebunt de populis, & tribubus, & linguis, & gentib. corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumenta. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illis,& lætabuntur,& munera mittent inuicem.Quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitant ſuper terram.

Audiuimus de præconio iugi prædicatorũ, qui ſe Antichriſto & exercitib. eius pro ueritate Chriſti,& pro eccleſia fidelium obiecturi ſint,idque toto illo tempore quo Antichriſtus tyrannidem exercebit in eccleſiam:conſequenter docebit nos Ieſus Chriſtus Dominus noſter per Ioannem apoſtolum & euangeliſtam, qua ſorte pugnaturi ſint ſancti,& quomodo excepturus ſit ipſos Antichriſtus: quod & ipſum pertinet ad conſolationem & admonitionem neceſſariam,ne quis felicitate Antichriſtiana, & calamitatib. fidelium frangatur.Loquitur ergo diſertè de Antichriſtiana perſequutione graui, quæ durauit iam annis multis (toto inquã illo tempore,quo pont.Rom.ſibi uſurpauit uindicauitq; in omnes eccleſias poteſtatem) modicis interim interuallis refrigerationis gratia à Domino conceſsis.Grauior & diuturnior eſt hæc Antichriſtiana perſequutio, quàm ulla unquam fuerit uel in ueteri populo,uel in primitiua eccleſia.Certè à 500 annis,quiſquis, cuiuſcunq; ordinis fuerit,aut quocunq; loco, Romanæ eccleſiæ uel modicè contradicere cœpit,ſenſit ilico odia,carceres,exilia & ſupplicia.Hiſtorię hoc teſtãtur:quæ & ipſæ oſtendunt,perſequutionem tanto creuiſſe magis, quanto magis ponti fices,& horum propugnatores monachi,numero & potentia aucti ſunt.

Antichriſtiana perſequutio.

Diligentiſsimè uerò exponit Dominus,quando,quis,qua fortuna,ubi,quomodo & quanta cum crudelitate ſæuiturus ſit Antichriſtus in fideles Dei ſeruos. Addit mox,conatus illius uanos omnino futuros: & quanta ſint futura cõſtantium miniſtrorum præmia,quantæ interim & Antichriſtianorum calamitates.

Et principiò quidem ſignificanter admonet, quando ſit commouenda perſequutio: non prius quidem quàm fuerit finitum teſtimonium prophetarum. Teſtimonium ſuperius dixi eſſe prædicationem Euangelij ſinceram. Aretas dicit: Quódnam teſtimonium?Quod ille,qui tunc aderit,non ſit Chriſtus,imò impoſtor,peſtiferque ſeductor, &c.Tanta uerò eſt bonitas Dei,amantis ſuam eccleſiam, ut non ſinat præcones prius ſequutio intolli,quàm finierint præconium.Oportet enim clarè omnibus prædicari Euangelium ad ſalutem, & ad liberationem ex anguſtijs, dolis, artibus & ſeductionibus Antichriſti. Finient autem ſuum miniſterium ſcriptis uarijs,& iugibus prædicationibus.

Oportet prius teſtimoniũ finiri prophetarum,quàm per ſequutio intoleret gruat.

finient

finient inquam, ubi uisum fuerit Deo. Alij enim concionantur, & manent salui & incolumes annis multis, tuti & securi à persequutionibus: alij uerò mox abripiuntur, & cõijciuntur in carceres, atq; necantur. Ita hæc fiunt, sicuti uisum est Deo: qui semper credendus est, quocunque tandem modo utatur, & gloriam suam prouehere, & salutem ecclesiæ suæ promouere. Fit hic quoque, quod sæpe legimus in Euangelio, nõ comprehensum esse Dominum, eo quòd nondum uenerit hora eius. Constituta ergo erit & cõcionatoribus à Deo hora certa. Ante hanc tuti & securi sunt, utcunque insaniat sathanas, fremant tyranni, insidias struant sanguinarij & hostes fidei. Miramur sæpe, quomodo potuerint prædicatores Euangelij in tanta luporum corona tanto tempore concionari, & directè quidem contra lupos. cur non discerpti sint protinus? Seruauit hos Dominus Deus potentissimus, qui omnino uoluit illos prius finire testimonium ueritatis. Prohibuit ergo hostes, & uires suppeditauit seruis suis prædicãdi. Huic agemus gratias, quòd olim multi prædicatores boni, & hodie D. Lutherus & D. Zuinglius, & alij testes Dei fideles, in tam conscelerato seculo, & in tanta Antichristi potẽtia, tot annis, inuitis etiam inferorum portis, ministerio suo defungi potuerunt. Quamuis & magistratib. & principibus quoque sua debeatur laus, pro defensione legitima illis impensa: nulla tamen & hæc fuisset, nisi diuina uirtus sic uoluisset.

Deus suos prophetas tuetur in suam usque horam.

Persequutio ingruit.

Postquàm uerò abundè admoniti fuerint fideles in ecclesia, adeò ut qui sapere uolũt, & nõ dedita opera perire, omnes possint Antichristi laqueos effugere, & uiuere in Christo, consequetur mox persequutio. Nam quamprimùm audierit Pontifex cum sua fece, se impeti, mox fulgurare incipiet, & tonare, brachium denique seculare contra hæreticos implorare atque incutere. Expressè enim explicat, quis iste hostis prophetarum & prophetiæ sit futurus, bestia uidelicet, id est Rom. pont. insignis potentia truculentissimi & beluina. De bestia copiosissimè dicetur cap. 13 & 17, ubi audiemus ipsam de terra, imò de abysso, ex imo ascendere tartaro. Origo enim nequitiæ illius non refertur ad alium parentem, quàm ad diabolum, inferni principem, mendacem & parricidam. Ac hodie omnes persequutiones & pugnas cõmoueri, excitari & inferri à Papa, & eius sanguinarijs scelerumque ministris, res ipsa loquitur. Iisdem authoribus omnes calamitates superiorum seculorum exortæ sunt.

Bestia mouet persequutionem.

Pugnat Bestia cũ prophetis.

Pugnat autem hic contra ministerium & ministros Christi sophistica, artibus uel practicis, excommunicatione, supplicijsq; & terroribus. Haymo: Adhibebit Antichristus diuersa genera tormentorũ, inquit, & quos non poterit uincere, conabitur doctrina superare. Dabit dona, promet uerba suauia, adhibebit etiam falsa miracula, &c. Cum autẽ non piguerit Dominum nostrum illam sedem appellare Bestiam, quare nos appellaremus cathedram sanctam? Si Papa est illa cruenta bestia, cur salutaremus illum patrem beatum?

Vincit Antichristus, & quomodo? occidit.

Præterea indicat, qua fortuna & quo euentu pugnaturus sit Antichristus cum prophetis. Vincet, inquit, & occidet illos. Idem planè futurum dixit Dominus in Euangelio, Matth. 10. & Ioan. 16. & antè etiam Daniel in cap. 7 & 11. Dicta sunt etiam superius in hoc libro quędam de sanctis martyribus. Monet hæc tempestiuè Dominus, ne si uiderimus trucidari euangelicæ ueritatis præcones, de præconij ueritate dubitemus, aut à felicitate huius seculi religionis negotiũ æstimemus. Quod tamen hoc seculo potissimũ fit. Dicunt enim multi: Si hoc esset ueritatis præconium, sicut dicitur, non defereret causam suam Deus ueracissimus. iam uerò cum prædicatores opprimantur & excindãtur, cur non colligeremus causam ipsorum esse falsam, ueram autem uictorum? Cæterùm si ita argumentari licet, Prophetæ, Christus & Apostoli causam fouerunt pessimam. nam omnes propemodum ab hostibus suis oppressi, tandem etiam cęsi sunt. Bona ergo fuit causa Iudæorum, pharisæorum & impijssimorum hostium uerbi Dei? Cum autem ueritas inuicta sit, quomodo uincere dicitur, ais, Antichristus? Non uincet quidem sanis testimonijs, scripturis sacris, aut rationibus ualidis: sed ui, carcere, gladio, ignibus. Ideo enim per interpretationem mox sequitur: Et occidet illos. Itaque occidendo uidebitur uictor. Si enim in monomachia Aeneas uicerit Turnum, & occiderit, Aeneas salutabitur uictor. & hactenus quidem uincit Antichristus: martyres uerò licet cædantur, corã

Deo

Deo tamen palmam accipiunt uictorum: quia cauſſa ipſorum iuſta eſt, ac uincit in eis ueritas. Vincunt aduerſarij multitudine, pompa, authoritate, potentia, fauore, opibus & rebus ſimilibus: nos cauſſę bonitate & præſtantia, ſuffragijs denique melioribus prophetarum & apoſtolorum.

Habemus iam modum pugnæ & uictoriæ. Pugnabit & uincet armis carnalibus, uincetur armis ſpiritualibus. Adiungitur iam illis, quanta crudelitate uſurus ſit contra prophetas. Id uerò duabus exprimit ſententijs: Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis: Et corpora eorum non ſinent poni in monumenta. *Crudelitas Antichriſti.*

Prior loquutio ſignificat crudelitatem extremam, cum ſummo contemptu coniunctam. Viliſsima enim quæq; proijciuntur in plateam, ſed & ſtercus platearum omnium conculcatur pedibus. Antichriſtus ergo ſumma prophetas contumelia afficiet, adeò ut omnes ſibi in ipſos poteſtatem eſſe credant, ac uelut cõculcaturi ſint eos pedibus, & habituri pro excrementis & piacularib. hominib. quib. ſublatis ſalua futura ſint omnia. Certè eſt mos in quibuſdam urbibus, ut cæſorũ corpora proijciantur in plateas, quo his omnib. inambulare, & currus ſuper ipſa agitare aut ducere liceat, in terrorem aliorum: & ad ſignificandũ, ſceleſtiſsimos eſſe cæſos illos, & non niſi ob maxima facinora trucidatos. Huc pertinet, quod Antichriſtus per brachium ſeculare miniſtros eccleſiæ, alios quidem palàm in urbibus affigit patibulis, alios catena palo affixos lento igne uſtulat, tandem enecat, & ad palum horribiliter ſuſpenſos omnib. in terrorem exhibet ſpectãdos. Quid quod eoſdem ultimo indignos iudicat honore? Sepultura, ultimus eſt qui homini impẽditur honor: ſed non ſinet iſte corpora fidelium ſepeliri. Sic fortaſsis exponit, quod prius dixerat, Corpora eorum iacebunt in plateis. Hodie non tantum negatur ſepultura, ſupplicio affectis propter Euangelium, ſed ſęuitur etiam paſsim in mortuorũ corpora, qui uiuentes Papiſtica noluerunt recipere ſacramenta. Etenim exceſsit aliquis è uiuis, nec in aurem ſuſurrauit ſacrifico confeſsionario omnia ſua peccata, nec ab eodẽ abſolutionem petijt, neq; uiaticum recepit, aut paſſus eſt ſe extrema unctione regenerari: licet migrauerit in uera fide, quia tamen põtificia illa non uſurpauit, atq; adeò Pontifici ſupplex factus non eſt, negatur ei ſepultura fidelium, relegaturque ad Cynoſarges. Res ipſa hodie loquitur. Conabuntur præterea iſti hac ratione omnem piorũ abolere memoriam. nam monumenta excitantur ad retinendam honeſtam mortuorũ memoriam. Sed in æterna memoria erit iuſtus, &c. Et illi quidem putant ſe agere catholiciſsimè: ſed Dominus Ieſus hic interpretatur opus illorum, & dicit eſſe crudelitatem extremam. Quid ergo ſentias de illis, qui odio ueræ religionis cæcati, luporum & coruorum inſtar inuolant in martyrum corpora mortuorum, & illa diſcerpunt, & modis indignis uexant? *Iacent cadauera in plateis.* *Cadauera non ſepeliuntur.*

Crudelis autem, & atrox illa truculentia, durabit per dies tres ac dimidium. Id quod omnes interpretes exponunt pro tempore breui, certo quidem, ſed tamen incerto: ſicuti ſuperius dixi de menſibus & annis. Ideo arbitror, hoc momentum temporis ad conſolationem eſſe allatum. Nos quoque dicimus, Es wåret ein veſper vnd ein non. Item, Es iſt vm try oder vierthalben tag zethůn, ſo wirts beſſer werden, oder ein end haben. Dat enim Dominus interualla afflictis, ut reſpirent: & abbreuiat dies funeſtos, quo ſimus ferendo. Si itaque in graui cõtumelia & perſequutione Antichriſtiana immani, tẽtata fuerit patientia noſtra, cogitemus, Deum Dominum noſtrum omnes dies calamitatis noſtrę in numerato tenere: & hos quidem abbreuiaſſe, ad conſolationem infirmorum. *Dies tres cum dimidio.*

Cæterùm locum ipſum, in quo hæc contra prophetas maximè exercenda ſit crudelitas, diſertè exprimit, & ueluti digito demonſtrat, Ciuitatem utiq; magnam. Eſt autem ciuitas Dei, eſt & ciuitas diaboli: eſt ciuitas Abelis innoxij, eſt & ciuitas Caini parricidæ: eſt eccleſia catholica ſanctorum, eſt & ſynagoga Antichriſtianorum. Patent hæ ciuitates per totum mundum, & nullis includuntur mœnijs arctis: ciuitatem hanc, ditionem, dominium, regnum aut imperium aut ſocietatem impiorum appellare poteras. Ergo ubicunque Antichriſtus uel papa Romanus iuriſditionem habet, atq; adeò in ipſa eccleſia Romana, per omnes gentes & populos, fient contra martyres hæc quæ audiuimus. Significantioribus enim notis ciuitatem illam diſtinguens: Corpora, inquit, eo *Locus indicatur, ubi occidendi ſint prophetæ.*

rum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ. Et per expositionem subiungit: Quæ uocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus. Item: Vbi & Dominus noster crucifixus est. Et iterũ Et uidebunt de populis & tribubus & linguis & gẽtibus, &c. ergo per ciuitatem istam non intellexit arctam aliquam, aut etiam amplam mœnijs inclusam: sed patet illa urbs per orbem in quo habitant gentes, tribus, populi, &c. Sodoma & Aegyptus longissimè à se inuicem distant, nec ullis possunt coniungi mœnijs. Crucifixus quidem est Dominus noster in urbe Hierosolymorum, quæ & ipsa appellatur à prophetis Sodoma & Gomorrha: sed crucifigitur quotidie in mẽbris suis per orbem. Est autem eadem ciuitas & societas omnium impiorum per totum orbem, sicuti & piorum unũ est corpus. Teneamus ergo, ciuitatem illam, in cuius plateis iacent corpora prophetarum, esse ciuitatẽ Caini, & ecclesiam Romanam sparsam per orbem. Aegyptus & Sodoma appellatur illa, sed spiritualiter. Vbi uidemus uocabulum πνευματικῶς spiritualiter, usurpari pro sensu alieno à litera. Alioqui nihil spiritus est, uel in Sodoma, uel Aegypto: sunt enim caro prorsus. sensu ergo parabolico & per comparationẽ dicitur hæc ciuitas Sodoma & Aegyptus. Sodoma qualis fuerit, claret ex 19. cap. Geneſis, & ex Ezech. cap. 16. Peccata eius ascenderunt in cœlum. At qualis sit hodie, & diu iam fuerit Romana ecclesia, ignorat nemo, nisi qui nescire uult. Exposuit & apostolus ad Romanos 1. Aegyptus uerò filios Dei sua spoliauit libertate, oppressit seruitute fœda, atq; prohibuit à uero cultu numinis. Ita & Romana ecclesia, Christi ecclesiam spoliauit parta per Christum libertate: inuoluit seruituti fœdæ, ut seruiat in luto traditionum humanarum. Prohibet præterea uirib. omnino omnibus, ne redeundo ad Euangelium, uerè Deum colat. Et quidẽ crucifixus est Dominus noster Iesus Christus in monte Caluariæ, ad urbem Hierosolymorum: sed articuli fidei nostri hoc explicantes, dicunt, passum illũ sub Pontio Pilato. Erat hic procos. Romanus. Cõstat ergo, Christum passum esse sub imperio Romano. In eodẽ imperio, & sub eiusdem iudicio, cæsi sunt apostoli & martyres ueteres. Sub imperio nouæ Romæ cadunt hodie prophetæ ferro & igni. Sed & populi, tribus, linguæ & gentes huic imperio, iam Ecclesia dicto, parent, sic ut ubique prædicatores, uolente sic bestia, ducantur, & crudelibus interficiantur supplicijs, spectantibus nationibus, gentibus & populis.

Spiritualiter.

Sodoma & Aegyptus.

Vbi crucifixus Dominus noster.

Gaudent impij super calamitatibus piorum.

Ad crudelitatem augendam ac proprijssimè significandam illud pertinet in primis, quod terreni illi homines (ecclesiam in hisce terris prorsus carnalem obtinentes) gaudebunt & lætabuntur super calamitatib. & supplicijs prophetarũ. Hoc ipsum ipse quoque Dominus prædixit apud Ioannem in cap. 16. Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus autem gaudebit, &c. Sed & munera mittent, inquit, & literas gratulatorias. Hoc factum esse in concilio Constantien. concremato Ioanne Hus so & Hieronymo Pragensi, testes sunt historiæ. Audiuimus hodie, post Angliã relapsam ad sedem, & cõmotã grauissimã in membra Christi persequutionẽ, quanta gaudia & trĩpudia, quantos deniq; triumphos ubiq; omnes egerint Papistæ. Quoties comburũtur ministri aut fideles, illi ipsi festa mox agũt & cõuiuantur in dulci iubilo, cõcinentes, Te Deũ laudamus. Volitãt ultrò citroq; literę gratulatorię. Alicubi ꝓcessionibus instructis sibi de miseria fideliũ gratulãtur. At uidet hęc Dñs, qui eadẽ in pręsenti futura prędixit.

Gaudent se onere leuatos.

Caussa autem huius eximij gaudij nulla est alia, quàm quòd prophetæ illi cruciarunt terram inhabitantes. Terram enim amantes, & terrena appetentes, offenduntur maximè libera ueritatis prædicatione, quã cane peius & angue oderũt. Honores enim, opes & uoluptates uel assequi, uel assequutas retinere exoptãt: at has sibi per prædicationem uel cõcuti uel eripi miserè metuũt. nihil ergo potius cupiunt, quàm liberari ab istis clamatorib. eosq; è medio tolli protinus. Ita enim putant se tutos futuros, & suis se tutò fruituros uoluptatib. Eodem affectu & consilio in cõuiuio Herodis, nõ regnum petebatur, aut ingens uis auri, sed caput Ioannis Baptistæ. Hodie capita aliquot ministrorum ecclesiæ mallent Põtifices, quàm aliquot aureorum millia. Quinimò appellãtur ministri ecclesiarum, pestes, turbatores, stentores, ac injurij in Deum, in sanctos eius, & in omnes homines. Ergo isto leuari onere uotis exoptant omnibus. Dominus Iesus condonet illis hoc peccatum.

Cons-

Conatus Antichriſti in extirpandis prædicatoribus eſſe uanos: quanta ſint futura prædicatorum præmia, & de pœna impiorum.

CONCIO XLVIII.

ET poſt dies tres & dimidium, ſpiritus uitæ à Deo intrauit in eos. Et audierunt uocem magnam de cœlo, dicentem ipſis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cœlum in nube, & uiderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus: & decima pars ciuitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia: & reliqui territi ſunt, & dederunt gloriam Deo cœli.

Dixit hactenus de Antichriſti & impiorum poſtremi ſeculi impijs gaudijs ac tripudijs, ex cæde ſanctorum Dei prophetarum conceptis. Exiſtimabunt illi, ſe regnaturos in æternum in ſuis illis erroribus, ſuperſtitionibus & uoluptatibus: cæde putabunt ſe prædicationem Euangelij ipſis ingratiſsimam conſopiuiſſe. Verùm conſequenter oſtēdit Dominus, uaniſsimam eſſe ipſorum ſpem, conatus planè irritos, & gaudia momentanea: imò conuertenda mox in mœrores & calamitates. Etenim principiò demonſtrat, prophetiam ſiue prædicationem per nouos prophetas à Deo reparandam fore, idque maximo cum dolore & terrore Antichriſtianorum, qui nihil tale expectarunt. Deinde oſtendit, prædicatoribus oppreſsis in hoc ſeculo, affectisque contumelia maxima, ingentia præparata & concedenda eſſe præmia. Poſtremò ſignificat, impios non integra fruituros uoluptate, ſed Deum interturbaturum ipſorum gaudia, etiam in hiſce terris calamitates ipſis inferendo. Quanquam ita demū in hoc ſeculo ſupplicia incipiat irrogare, in alio ſeculo cumulatius aucturus pœnas ſempiternas. Hæc autem omnia nulla indigebunt operoſa expoſitione, ſi modò diligenter obſeruauerimus, quæ aliquot ſeculis facta ſint, & quæ fiant etiam hodie. Pertinent autem omnia hæc ad conſolationem ſanctorum.

Gaudia impiorum non fore diuturna.

Principiò reſtitutam iri liberam uerbi Domini contra Antichriſtum, qui ſibi uidebatur uiciſſe, & prędicationem oppreſsiſſe, prophetiam, hiſce uerbis annūciat: Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus uitæ à Deo intrauit in eos. Significat illo dierum numero, quod & ſuperius dixi, breue temporis ſpacium. quaſi dicat: Non diu falſis & ſanguinolentis fruentur gaudijs. Deus enim alios excitabit in demortuorum locum prophetas. Loquitur autē perinde, ac ſi Deus illos ipſos prophetas, quos Antichriſtus trucidauit, ſit excitaturus, & in proprijs ſuis corporibus iterum obiecturus impijs. Cæterùm excitabuntur quidem illi corporibus ſuis in extremo illo die: nunc uerò in quieſcentium locum ſubibunt alij prædicatores, quibus Deus ſuum illum ſpiritum, quem occiſis dederat, cōmunicabit. Hunc ideo ſpiritum uitæ appellat, quod propter eandem doctrinam cæſi ueluti reuixiſſe uideantur. Certè propter ſimilitudinem doctrinæ & ſpiritus uidebatur in Chriſto reuixiſſe Ioannes Baptiſta, Helias, & propheta Ieremias, ſicut legitur apud Matth. cap. 14 & 16. Ac diſertè dicitur, ſpiritus ille profectus non quidem à Diabolo, aut ab hominibus (ſicuti hodie ferè dicitur à multis) ſed à Deo. Hic enim ſpiritu ſuo (qui unus modò eſt) miniſtros ſuos inſpirat, & uerbo ſuo eoſdem dirigit, ut poſteri prioribus omnino & per omnia reſpondeant in dogmatibus, & in ſeuera uiciorum obiurgatione, &c. Sequitur enim effectus uitalis illius ſpiritus, Et ſteterunt ſuper pedes ſuos: id eſt, reuixerunt rurſus. Proſtrata & attrita uidebatur doctrina ipſorum, ſed conſtitit rurſus in pedes, & currit expeditiſsimè ſermo Dei. Dicimus Germanicè de reſtitutis, *Er iſt wider vff die füß kommen.* Ad effectum explicandum pertinet & illud, quod Antichriſtiani uidentes in cæſorum locum alios ſubire prædicatores: pauore conſternati, quò ſe uertant ignorant. Obiter itaque ſignificatur, felicem fore curſum uerbi, & quem

Reſtituetur ſubinde prophetia, quæ extincta uidebatur.

isti omnino non possint impedire, utcunque sæuiant & trucident. Hæc omnia rectius intelliguntur ex historijs proximorum seculorum, & ex ijs quæ hodie adhuc fiunt. Et ut omissis uetustis, nupera perstringamus: uidebantur sibi uicisse Romani præsules in concilio Cõstantien. cum exussissent Ioan. Hussum & Hieronymũ Pragensem: sed breui pòst tempore multi in Bohemia, & in alijs nationibus exorti sunt, uiri pij & docti, in quibus cæsi illi uidebantur resumpsisse spiritum. In Italia docuit magna cũ laude Laurentius Valla, Hieronymus Sauanarola, &c. in Germania docuerunt plures uiri pij, ut & in Gallia, Anglia, & alijs nationibus. Ante triginta annos lucem mundo per Dei gratiam intulerũt Mirãdula, Reuchlinus, Erasmus, Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, Philippus Melãthon, & innumeri alij, in quib. spiritus uitæ pro cuiusq; modulo se exerens, scripturas illustrauit, Romanamq; nequitiã retexit, & scelera omnis ordinis, cleri maximè, exagitauit. Horrent ab hoc spiritu Romanenses, & apud Cæs. atq; Reges querelis & accusationibus omnia replent, simul omnes nos semel unà cum libris nostris perdendos & concremandos clamant. Virtus autem Dei nihilominus facit stare prophetas in suis pedibus, & currere prædicationem ipsorum: utcunque insaniant isti, ac prædicatam Dei ueritatem persequantur per totum terrarum orbem. Deo sit laus & gloria.

Ingentia pijs parata præmia.

In hac consolatione miscẽtur & præmia parata fidelibus ministris, quos Antichristiani trucidantes excommunicant prius, ut ceu uinctos, & æternis supplicijs torquendos transmittant, & ueluti mancipent dæmonibus. Ac uisi sunt hactenus omnes prædicatores, qui Romanam oppugnarunt ecclesiam, & hoc nomine pœnas dederunt Pontifici, corpore pariter & anima perire: corporibus inquam igni absumptis, animabus uerò præcipitatis in tartara. Nã ueluti hæretici, Dei & ecclesiæ hostes, adeoq; ueluti humani generis pestes, damnati, atque è uiuis sublati sunt. Contrà uerò in præsenti pronũciat Dominus, & declarat, æterna præmia illis esse parata. Animæ enim solutæ à corporibus, rectà transferuntur ad cœlos: corpora autem in ultimo excitata iudicio, & ipsa ascendunt in cœlum, ut ibi cum Christo æternùm lætentur. Cæterùm quo plus authoritatis & fidei apud omnes inueniret hæc diuina æterni & inæstimabilis præmij promissio, non simpliciter eam proponit Dominus, sed pulcherrimè instructam atque exornatam. Præmittit enim, uocem delatam esse ad prophetas, & quidem cœlitùs: præterea magnam. Magnus est enim patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum cum ipso Dei filio consensus, in certissimum dogma: quo indubitatè tenemus, eos qui ob confessionem Christi cæduntur, anima & corpore seruari. Et allata est illa doctrina cœlitùs, ut nullus sit locus dubitationi reliquus. Testimonia in scripturis sunt & illustria & plurima, ut Isaiæ 26. Danielis 12. Matt. 10 & 16. Ioan. 14. & multa alia. Quid quod in præsenti defertur cœlitùs expressum huius rei testimonium? Sonat enim uox è cœlis super afflictos tyrãnide Antichristi: Ascendite huc. Id perinde est ac si dixisset, Cerno planè nullum uobis per Antichristianorum improbitatem atrocitatẽque in terris locum esse reliquum. Exagitant illi uos ceu pestes, & terra indignos: age ergo concedite ad me, in ipsam cœli regiam, quò & ipse post crucem & probrosam mortẽ ascendi. In Euangelio legimus iudicem dicturum pijs, Venite benedicti patris mei, &c.

Ascendite huc.

Ascenderunt in nube ad cœlos.

Porrò ne quis hæc existimaret inania esse uerba, subiungit Dominus per Ioannẽ, Et ascenderunt in cœlum: non quòd iam facta sit resurrectio, sed propter indubitatam rei certitudinem, de re futura tanquam præterita loquitur: cuius generis loquutiones plurimæ ubique in prophetis occurrunt. Ascendit olim in cœlum corpore & anima Helias, sicuti legitur 4. Regum 2. cap. Eo miraculo ostendit tum quoque, qualénam præmium parauerit Dominus fidelibus uerbi diuini prædicatoribus. Neque aliud in præsentiarum repetitur. Addit, illos ascendisse in nube. Nam Christum, caput nostrum, susceptit nubes ab oculis discipulorum: & nos in nube obuiã rapiemur Domino in aëra, sicuti commemorat scriptura Actor. 1. & 1. Thessal. 4. cap. Quanquam ergo prædicatores, & credentes prædicatoribus, excommunicentur ab Antichristo, & per supplicia publica & probrosa transmitti uideantur cacodæmonibus: Christus tamen assertos à malis omnibus, ad se transfert, in ipsam cœli regiam.

His

His adiungit aliud quoque: Et uiderunt illos inimici eorum. Viderunt inquam horribili cum terrore. Dum enim illos, quos ipsi pro Dei hostibus condemnarunt, uidebũt ceu ueros & honoratos Dei amicos uersari in gloria: inde colligent, se in cacodæmonũ deputandos consortium. Lege de hac re copiosum commentarium Sapien. cap. 3 & 5. Tametsi ergo prædicatores Euangelij in præsenti seculo iudicentur, uideanturq; & appareant coram hoc mundo ceu damnati: in illa tamen die, in qua omnes congregabuntur homines, quotquot unquam fuerunt, nunc sunt, aut futuri erunt, omnibus manifestum fiet, istos esse amicos Dei præclaris. & causam ipsorum esse optimam. His autem uult Dominus se consolari afflictos, damnatos, spretos & conculcatos propter præconium uerbi Dei. Hisce parat animos fidelium, ne frangantur probris, contumelijs & oppressionibus Antichristianorum.

Viderunt illos inimici eorum.

Postremò subiungit Dominus etiam nonnulla de calamitatibus Antichristianorum, quibus iustus Dominus incipiat eos punire, & gaudia ipsorum impia interturbare, ut tandem in alio seculo, nunquam finienda ijsdem infligat tormenta. In illa hora, inquit, eo haud dubiè tempore quo afflixerint prophetas, fiet terræmotus magnus, & decidet decima urbis pars. Non aliam hic ciuitatem intelligimus, quàm Sodomiticam illam, & Aegyptiam: de qua superius diximus. Decimam autem partem, magnam interpretamur, ita tamen ut maior pars in errore maneat: sicuti & Petrus futurum prædixit 2. Pet. 2. & ipse quoque Dominus Matth. 7. Duo autem uidetur commemorare mala, quæ illis impendeant, calamitates & defectiones. Nam ipse Ioannes expositionem subiungere uidetur, ac dicere: Et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem milia. Et reliqui territi sunt, & dederunt gloriam Deo cœli.

Calamitates antichristianorũ.

Proinde terræmotu arbitror ingentes significari commutationes, seditiones, bella, cædes ac strages. Dixit autem Nomina hominum, idiomate Hebraico, pro numero hominum. Et 7000 certum numerum posuit. pro incerto: sicuti cum dicitur Heliæ, Reliqui mihi adhuc 7000 uirorum, qui non incuruarũt genua sua Baal. Significat enim magnam copiam. Pari modo hic quoque significat, cædibus & uarijs uel omnigenis calamitatibus non paucos Antichristianos è medio tollendos. Rursus significat decimam orbis partem, id est Romanę ecclesiæ assecias & cultores non paucos à Romana defectu ros ecclesia, territos uerbi Dei prædicatione, & plagis incussis hostibus uerbi Dei. Sic autem deficient, ut omnem Deo cœli gloriam daturi sint. Hactenus dementati Romanis nugis & sophisticis dogmatibus, non planè Deo uero, conditori cœli & terræ, & habitatori datoriq; cœlorum, omnem tribuerunt gloriam, dum creaturis & nugis hominum innixi, plus tribuerunt erroribus quàm ueritati: & gloriam, quam soli Deo debuerunt, etiam diuis communicarunt, & operibus manuum nostrarum: nunc uerò euangelica prædicatione instituti, à solo Deo pendebunt, & huic per Christum omnem tribuent gloriam.

Terræmotu 7000 hominũ occisa.

Decima pars urbis cadit.

Quod si his adhibeas historias non ueteres (cur enim prolixa commemoratione uos molestarem) sed nuperas, & ferè intra 100 annos factas, mirificam his lucem infundes. Doctoribus Bohemorum concrematis Constantiæ, mira mox sequuta est populorum commotio, Bohemis graui bello Romanenses infestantibus. Descripsit bellum ipse Aeneas Syluius. Cæsa sunt illo bello multa hominum millia, & uastata sunt loca plurima. Defecerunt præterea à Romana sede innumeri propè homines. Nostra memoria, cum instigatrice Roma grauis esset in fideles commota persequutio, & aliquot millia fideliũ occisa, prętер omnium expectationem Roma capta est, dum numeraretur annus Domini 1527: & ita afflicta atque direpta, ut ea calamitas cum ueteribus & maximis illis conferri possit. Necdum cessant inter sese belligerare principes, ac se mutuis atterere stragibus, qui nunquam ferè cessant fidelium cruorem effundere. Gaudemus autẽ & exultamus, quòd ingens numerus uel hodie deficit à Romana illa sede, Deoque per Christum omnem gloriam tribuit. Huic sit gloria & imperium in secula seculorum: Amen.

Roma capta.

Septimus angelus inflat tubam, canuntq; seniores encomium.

CONCIO XLIX.

Æ secundum abijt, & ecce uæ tertium ueniet citò. Et septimus angelus tuba cecinit, & factæ sunt uoces magnæ in cœlo, dicentes: Facta sunt regna huius mundi Domini nostri, & Christi eius: & regnabit in secula seculorum, Amen. Et uigintiquatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Gratias tibi agimus Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui uenturus es: quia accepisti potentiam tuam magnã, & regnasti.

Septem tubis angelicis non modò fata annunciantur ecclesiæ, sed & excitantur pij omnes ad uigilias & bella gerenda spiritualia.

Tria uæ. Postremis aũt tubis, utpote periculosissimis tribus, adiuncta sunt tria uæ, significantia, quòd & in fine 8. cap. diximus, istis temporibus ingruituras omnis generis molestias ac afflictiones grauissimas, unde homines in altissimas demergantur anxietates. Et primum quidem à secundo & tertio interstinxit uerbis huiusmodi: Væ unum abijt, & ecce ueniunt adhuc duo uæ post hæc. Quod quidem loquutionis genus non abrumpit res, sed ordinat sermonem. Nam Papisticum uæ non desijt, ubi ingruit Turcicũ, sed simul afflixit ecclesias. Datur ergo loquutio ordini. Ita nunc tertium uæ distinguit à secundo: significans quidem, in mundo duraturum Mahumetismum ad iudicium usque: sed interea non negat, papismum quoq; tantisper duraturũ, de quo hactenus per cap. 11. plurima (absolutis rebus Mahumedicis in cap. 9.) differuit. Proinde sensus uerborũ Apostoli hic esse uidetur: Audistis de primo & secundo uæ, audite porrò etiam de uæ tertio & ultimo.

Obseruandum autem (quod ad consolationem piorum in primis facit) significanter dicere Apostolum, uæ primum & uæ secundum abijsse. Ita enim significat, tyrannides istas maximas finem habituras, atq; adeò Deum ipsis præscripsisse terminos, quos minimè transilire possint. Gaudeamus ergo, nos esse curæ Deo, qui non negliget, neq; plura quàm conueniat impijs concedet.

Tertiũ uæ hæret in impijs, & ueniet citò. Tertium uæ nõ in pijs, sed impijs hærebit, cum extremo oppressi iudicio, præter expectationem abibũt unà cum suo capite diabolo, ad supplicia sempiterna. Nulla lingua quantumuis diserta explicauerit huius tertij uæ dolores infandos. Vnde & Daniel 12. cap. dixisse legitur, Eritq; tempus difficile, quale non fuit ab origine populorũ. Quando autem hoc uæ futurum sit, non exprimitur, neque definitur, sicuti nec iudicij dies: quæ soli patri est cognita, & ideo à nobis curiosius non inuestiganda. Satis illud nobis sit, citò uenturum. Dicit enim in Euangelio Dominus, se propter electos abbreuiaturum difficilia illa tempora. Et iterum: His fieri incipientibus, suspicite & attollite capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. At ista non nunc fieri incipiũt, sed dudum completa sunt. unde fieri non potest, quin in propinquo sit nostra redemptio. Cessent ergo curæ & solicitudines, quibus multi se excruciant, nimium differre Deum, nimium concedere impijs, nimium torqueri pios, & deseri propemodum, nedum negligi. Veritas enim dicit: Et ecce uæ tertium ueniet citò, nimirũ maturè, *bald vnd gů rächter zyt, wie es hört*. Nam cap. 10. iurisiurandi sacramento adfirmauit se uenturum in iudicium; iam quod ipsum temporis articulum & opportunitatem attinet, tribue gloriam Deo, & agnosce ipsum in uicib. temporum & reb. ac creaturis omnib. uti exquisitissima opportunitate. Quando itaq; in symbolo confiteris, Credo uenturũ Dominũ à dextera patris, iudicaturũ uiuos & mortuos: fatêre simul, illũ opportunissimè uenturũ: & sicut ab exordio mundi nunquã suos deseruit aut neglexit cultores, ita in fine seculi minimè neglecturum.

Se-

Sequitur enim, quod exponat præcedentia: Et ſeptimus angelus tuba cecinit. Nam hic annunciat adeſſe iam iudicem, excitat ex mortuis pios & impios: pios ad gaudia, impios ad tormenta ſempiterna. Noua hæc prælia erunt, ſed impijs infauſta & calamitoſa prorſus. De tuba angeli huius, legis etiam in Euangelio apud Matth. in cap. 24. & apud Apoſtolum cap. 4. prioris ad Theſſal. Subiungeret modò totum ipſius extremi iudicij modum & proceſſum: ſed differet in caput uſque 19 & 20. Interea commemorabit ex profeſſo ſathanæ contra eccleſiam furores, & quomodo uſurpet ſua illa organa egregia uetus & nouum Romanũ imperium, ad patrandas cædes & eccleſiam propemodũ excindendam: qua in re tamen impij grauiſsimis etiam in hoc ſeculo afficiendi ſint ſuppliciis. Nunc omiſsis illis, uel reſeruatis potius in ſuum locum, celebrat gratulationes, iubilos & epinicia ſanctorum. *Septimus angelus ſeptimã tubam inflat.*

Viſa eſt hactenus in mundo intolerabilis impiorum, & Antichriſtianorũ in primis, inſolentia: oppreſſerunt pios, iactarunt uictorias, felicitatem ſuam plenis prædicarunt buccis: & ut cap. huius lib. 18. audiemus, dixit beſtia illa, Sedeo regina, & uidua nõ ſum, nec ullum unquam uidebo luctum. Audiuntur enim uoces à Roma: Noſtra ſunt imperia omnia. Nota ſunt quæ in hac cauſa uulgauit ſingularis Pontificiæ maieſtatis defenſor Auguſt. Steuchus Italus, contra Laur. Vallam, pro Donatione Conſtantini. Audiuntur quotidie Papiſtarum tripudia de Romanæ ſedis æterna permanentia, uictorijs, & oppreſsione prædicationis Euangelicæ, quodque potentiam ſuam extenderit per orbem, &c. At in die illa (cum ſcilicet Dominus noſter Ieſus Chriſtus aboleuerit omnem poteſtatẽ, principatum & uirtutem, ſubieceritque pedib. ſuis omnes hoſtes ſuos, iuxta ſcripturas Pſal. 110. & 1. Corinth. 15.) audientur uiciſsim uoces ouantium & iubilantiũ epiniciaque uera & æterna canentium in cœlo. Nam angeli & ſancti concinent: unde maiores erunt uoces & durabiliores, quàm fuerint hoſtium Chriſti, uix momentaneæ. *Exultatio impiorũ inſolens.*

Iam etiam commemorat epinicion, ſeu carmen illud uictoriale & iubilum gratulatorium: Facta ſunt regna huius mũdi Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum, Amen. Duo prædicat, omnia regna facta eſſe patris & filij: & hunc regnaturum in ſecula ſeculorum. Prius etiam fuerunt regna omnia Domini noſtri Ieſu Chriſti: ſed illud non ita dilucidè apparuit omnibus, cum idipſum ſibi uſurparet etiam Pontifex, illosq; qui Chriſti nomen unicè celebrabant, opprimeret. Porrò in die illa apparebit uerè, & omni quidem carni, omnia regna ſemper fuiſſe, & adhuc manere unius & æterni Dei. Vincit ergo Chriſtus, uincit ueritas, uincit Euangelium, uincit eccleſia: uicti ducentur ad tartara, Mahumed cum ſuis, & Pont. Rom. cum ſuis. Additur, regnaturum Chriſtum in ſecula ſeculorum. Regnauit quidem Antichriſtus, exultarunt & impij in hoc ſeculo, ſed breuiſsimo tẽpore: nunc uerò pij cum Chriſto regnabunt ſine fine in ſecula ſeculorum. Nec diuellit hic regnum patris & filij, ſed commune eſſe oſtendit, dum dicit facta eſſe regna: id eſt, declaratum eſt palàm, omnia regna eſſe Dei patris & filij eius, & hunc regnaturum cum electis ſuis in ſecula ſeculorum. Ita uides, non ad literam exponendum eſſe locum Apoſtoli 1. Corinth. 15. ſcriptum de eo quòd filius ſit ſubijciendus, & regnum patri traditurus. Etenim regnum, eccleſiam utiq; tradet: id eſt, adducet & ſtatuet patri, ac in membris ſubijcietur patri, cum quo interim ipſe regnabit in ſecula. Subiungitur affirmatiuum uocabulum, Amen, ne quis uel tantillum de his cœleſtibus addubitet myſterijs. Copioſius uerò conſequentibus exponit, quę nam uoces illæ in cœlo ſint editæ, dum narrationem attexit de 24. ſenioribus, & ijs quibus celebrarint Deum. *Epicinion ſenior um.*

Obſeruandus hic mihi uidetur huius libri ordo pulcherrimus & cõuenientiſsimus. Ab initio huius uiſionis induxit eoſdem ſeniores, ſuo nos exemplo, & ſuis hymnis docentes, quid faciamus: eoſdẽ ergo & in fine huius uiſionis adducit iterũ, ut rurſus eorũ factis & dictis erudiamur, nõ tantum de iudicio illo extremo, quale ſit futurum, æquiſsimũ, adeoq; quòd omnia eius iudicia ſint iuſtiſsima (id quod tota cõtendit uiſio) ſed & intelligamus, quid nos deceat, & qd agamus: Deũ utiq; adoremus, illi nos totos ſubijciamus: firmiterq; teneamus, & iudicium certò futurũ, & hoc futurũ lõgè iuſtiſsimum.

Eucharistica oratio. Hymnus uel precatio, aut oratio, quam Deo offerunt, generis est demonstratiui. Est enim epinicion & eucharistia gratulatoria. Ita enim Deo gratias agunt, ut interim & Deum magnificè celebrent, & sibi ac pijs omnib. gratulentur de salute. Nam agũt Deo gratias pro salute: prædicant item eius iustitiam & ueritatem, quam in hoc suo præstet iudicio, bonis bona, malis mala retribuens. Sicut ergo illi ex cathedris assurgunt suis, & coram Deo omnipotente procumbunt: ita nos quoque nunc & semper facere debemus. De quo require plura ex cap. 4. Disce autem humilitatem, & solum Deum esse adorandum, soliq́ue preces omnes siue inuocationes, siue gratiarumactiones offerendas: id quod modis omnibus repugnat doctrinæ Papisticæ.

Gratiarum actio. Videmus iam ipsam eucharistiam sanctorum, qua non melior inueniri poterit. Gratias agunt Deo. Agamus ergo & nos eidem gratias. Simul illum prædicant, dum Dominum, & Deum, & omnipotentem appellant: sed & maiestatem eius celebrant, cum dicunt: Qui es, & qui eras, & qui uenturus es. Alludunt ad uerba Dei olim ad Mosen dicta Exodi 3. Diuersis temporibus adumbratur æternitas Dei. Sed de eo loquutionis genere dixi copiosius cap. 1.

Christus in iudicio accipit potentiã & regnum. Nunc uerò subijciunt, cur agant gratias: Quia accepisti potentiã tuam magnam, & regnasti. Nunquam quidem deposuit potentiam suam Deus, ut opus sit illam recipere: uerum cum eam non exerit, & impijs permulta permittit, ut ipsi potentia sua perfringant, & contra uerbum Dei præualeant, posuisse uidetur. Iam ergo cum opprimit impios, & euehit pios iudex, & asserit ueritatem, mendacium dissoluit, uerè dicitur accepisse suam potentiam magnam. Similiter dicitur nunc regnare, non quòd antea non regnarit: sed quia in medio hostium regnauit Dominus, ita ut aliquando obscurum aut dubium fuerit, Christúsne regnet an Antichristus: adeoq́ue hic superior sit, oppressus Christus: nũc cum omnem fregit aduersariam potestatem Christus, uerisimè regnare dicitur. Commodum autem admonet Eras. in suis Annotationibus in nouum Testam. ἐβασίλευσας aptius uertisse interpretem, si dixisset, Regnum adeptus es. Regnauit enim Latinis, qui regnare desijt: sicut uixerunt, qui uiuere desierunt. Apud Græcos secus in his saltem uerbis. Iudici nostro iustissimo, potentissimo & æquissimo, sit laus & gloria, in secula seculorum.

Eucharistica seniorum exponitur oratio, aperitur templum in cælo, apparet arca, & facta sunt fulgura, &c.

CONCIO L.

IRatæ sunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum ut iudicentur, & reddas mercedem seruis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis & magnis: & perdas eos qui perdunt terram. Et apertum est templum Dei in cœlo, & uisa est arca testamenti eius in templo eius. Et facta sunt fulgura, & uoces, & tonitrua: & terræmotus, & grãdo magna.

De extremo iudicio. Diximus, seniores ita Deo pro salute agere gratias, ut simul prædicent Dei iusticiam & ueritatem eximiam, quam præstet in iudicio æquissimo, quo & iustis præmijs donat pios, commeritis supplicijs afficit impios. Sub hac autem figura orationis docent nos, & iudicium futurum certò, & hoc futurum per omnia sanctissimum & iustissimũ. Vtinam hæc diligenter apud se expenderent, quibus nugas exponere uidentur, qui mentionem faciunt horribilis & districtissimi iudicij ultimi. Grauiora enim expectamus, quàm ulla quantumuis diserta exposuerit lingua.

Tempus iræ aduenit. Commemorat iram uel tyrannidem infideliũ contra fideles atrociter ac iugiter exercitam, atq; adeò, ut multis uisum sit Deum esse ficulneũ, neq; irasci posse aut uelle. At iudicio facto ueritatem Dei prædicant seniores, & aiunt aduenisse iram. Semper quidem sancti Dei prophetæ minati sunt supplicia, testificantes Deum irasci, & impietati & impijs:

impijs:cum uerò non eueſtigiò ira Dei in ſupplicijs apparuit, uiſi ſunt territare homines prophetæ uanis terroribus. Iam uerò ueritas, inquiunt ſeniores, apparuit, & ira Dei aduenit. Ira autem Dei, ſeſe in uindicta iuſta Dei exerit.

Tempus mortuorum aduenit.

Ad hæc prædicant & in illo Dei ueritatem iuſtitiamq́; quòd tempus mortuorum ad uenit, ut ſcilicet iudicentur. Hactenus mundo florente fabulas narrare uiſi ſunt, qui de mortuorum reſurrectione & uita futura loquebantur. Nam ſpreta fuit prorſus apud philoſophos, & huius ſeculi homines, mortuorum reſurrectio. Cæterùm ſeniores prædicant, etiam illud tẽpus aduenisſe, ac reuixiſſe mortuos, id eſt, reſurrexiſſe cadauera mortuorum, & ueniſſe in iudicium. De quo apoſtolus loquẽs: Omnes nos manifeſtari oportet, inquit, ante tribunal Chriſti, ut reportet unuſquiſq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. 2. Cor. 5.

Deus in iudicio mercedem rependet.

Ampliſsimè porrò celebrant Dei iuſticiam & ueritatem, cum etiam exactè explicant, quomodo Deus iuſto ſuo iudicio ſingulis ſuum illud tribuat. Quid ergo retribuat, & quibus retribuat, explicat. Principiò mercedem reddit. Eſt enim merces promiſſa à Deo bonis operibus. Nam apud Ieremiam in 31. cap. dicit Dominus: Prohibe uocem tuam à fletu, quia merces eſt operi tuo. Sed & Dominus in Euangelio dicit: Gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Et iterum: Veniet filius hominis in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet unicuiq; iuxta facta ipſius. Ita Apoſtolus dixit, quemlibet in ſuo reſurgere corpore, ut reportet unuſquiſque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. Dum floret hic mundus, & impij in ſuis exultant uoluptatibus, pij uerò affliguntur, & ſemetipſos affligunt mortificatione perpetua, iudicat caro, hos perdere oleum & operam: illos uerè felices eſſe. id quod & apud Malachiam exponitur cap. 3 & 4. In iudicio autem apparebit demum, non fruſtra laboraſſe pios, neque impunè Deum contempſiſſe, & pietatem neglexiſſe impios. Deus enim cuique pro operis ſui qualitate rependit: id quod mercedem appellat. Interim ea noce non abutuntur pij, agnoſcentes gratuitæ eſſe miſericordiæ, quòd crediderunt, & ex fide bona operati ſunt: illudq́; ipſorum bonum opus propterea Deo acceptũ eſſe, quia ipſi ſunt in Chriſto. De qua re diſſerui lib. 3. cap. 10. de gratia Dei iuſtificante, oſtendens, ex mercede non poſſe meritum conſtitui.

Quibus rependatur merces.

Deinde exponunt, quib. mercedem rependat, duob. inquam hominum generibus: bonis inquam, & malis. Rurſus bonorum multas enumerat ſpecies. Initiò hos appellat Dei ſeruos, ut qui à ſolius Dei pendeãt imperio, ipſiq́ue obediant per omnia. Mox nominat prophetas, doctores eccleſiarum. De quorum ſorte plura dicta ſunt cap. 11. Videntur hi præ cęteris infelices eſſe in hoc ſeculo, habenturq́ue à pleriſque ceu piaculares homines, quib. ſemel ſublatis omnis redire uideatur ſerenitas. Iuſtè ergo in catalogo eorũ recenſentur, qui mercedem accipiunt à Domino, laborum utique recompenſationem. Iam etiam in hunc cenſum ueniunt ſancti, id eſt omnes pij, qui ſpiritu & ſanguine Dei per fidem ſanctificati, ſanctam uixerunt uitam, cuſtodientes ſe ab omni mundana pollutione. Præterea recenſentur in ſanctorum diuina honorandorum mercede numero, timentes nomẽ Domini: id eſt, uerè religioſi. Poſtremò ne quis quẽquam fidelium excluſum putaret, addit, Puſillis & magnis: id eſt, omnis ſexus ętatis & ordinis hominib. &c.

Perdit Dominus qui terram perdiderunt.

Accedit deinde ad malos, & addit: Et perdas eos qui perdunt terram. Mutuata uidentur hæc ex prophetis, apud quos multa eſt mentio uaſtatorum terræ, quos & ipſos tandem deuaſtet Dominus. Vaſtatorũ autẽ nomine intelligit Ioannes principiò tyrãnos, reges & principes, perſequutores eccleſiæ: item bellatores & milites, qui iniuſtis bellis ferro & igni omnia perdunt. Deinde intelligit iniuſtos iudices, item pauperum oppreſſores, qui uiduas, pupillos & orphanos affligunt: præterea uſuris, furtis, impoſturis, rapinis, & malis artibus, omnibus hominibus infeſti ſunt, ſuaq́ue inſatiabili auaritia caritatem rerum inducunt. denique, qui ſtupris, adulterijsq́ue ſancta conſpurcant coniugia, ac dirimunt. Poſtremò, perdunt terram hæretici, & praua doctrina corrumpentes terram, id eſt homines terram inhabitantes: in quem cenſum ueniunt homines ſeditioſi & proditores, & cæteri homines nequam.

Perditio nõ eſt abolitio.

Hos perdet Dominus perditione ſempiterna, qua non deſinunt eſſe, qui pereunt: ſed

sed subinde miserabiliores fiunt, dum cruciantur nunquam finiendis tormentis. Perijsse dicuntur malè frugi homines & concoctores, interim tamen pereundo non desinunt esse: sed pergunt subinde miserabiliores esse, quæ ipsa est perditio.

Deus suis cœlum aperit, ut in ipsum prospiciant.

Porrò doctrinam hanc de præmio piorum, & supplicijs impiorum, conduplicat Ioannes: & quod prius sub specie carminis eucharistici & gratulatorij panegyricique tractauit, idipsum consequenter ueluti oculis spectandum proponit per uisionem uel paradigma. Pulchrè autè uisionem hanc claudit apertione templi, quam ab apertione cœli incœpit. Benignus enim Deus seruis suis ipsum cœlum suum aperit inspiciendum oculis nostris mentalibus, necubi dubitemus de parata nobis in cœlo gloria: necubi dicamus, Quis uidit illa cœlestia quæ promittuntur nobis? Nam ut beati patres, prophetæ & apostoli huius generis permultas habuere uisiones efficaces, ueras & diuinas: ita cuilibet nostrûm oculis mentalibus per ueram fidem in ipsum licet inspicere cœlum. Visiones illas, sat scio, nihil morari mundanos, utpote de quib. in Euangelio dixit Dominus: Spiritum ueritatis mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum. Ne ergo sit nobis curæ illorum contemptus.

Apertum templum Dei in cœlo.

Videamus ergo, quid paratum sit seruis Dei in alio seculo. Prius uidit Ioannes apertum cœlum: nunc in ipso cœlo uidet ipsum quoque templum Dei, apertum nimirum pijs omnibus. Per templum autem Dei, intelligit adyta Dei, ipsa abstrusa & intima cœli, in quæ recepturus est in sui perfruitionem omnes credentes. Porrò in ipso cœli templo diuino, uisa est arca testamenti eius. Testamentum & fœdus pepigit cum fidelibus Deus, quòd uelit esse Deus ipsorum, saturitas, & omnium bonorum mare inexhaustum, abundantissimumque, & sufficientissimum Copiæcornu: cuius quidem rei confirmatio, testimonium & exhibitio est arca fœderis, ipse Dei filius, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, & in quo completi sumus. Ipse enim est arca, in quo repositi sunt omnes thesauri cœlestes, plenus gratia & ueritate. Hæc arca bonorum, & æternæ fœlicitatis, apparet in cœlo. Est enim in throno Dei, Dei filius. Hanc effundet liberalis & munificus pater cœlestis in filios suos, his per Christum filium unigenitum concedens cœlestia omnia bona, ut omnibus Christi bonis ad diuinitatem usque participemus, qua fratres suos antecellit. Hinc claret, quomodo Moses parauit arcam, ad exemplum eius quam uidit in cœlo: & cuius typus fuerit arca testamenti, &c. Alioqui audiemus in cap. huius libri 21. nullum esse in cœlo templum, &c.

Arca in templo.

Et facta sunt fulgura.

Hæc uisu amœnissima, & auditu iucundissima, proposuit nobis spectanda & audienda Dei filius. consequenter subiungit, supplicia impijs irroganda: eaque uariè etiam explicat, & ipsa uisenda proponit. Hactenus facta sunt in mundo fulgura, uoces & tonitrua, &c. spiritu sancto illucescente mundo, & per doctrinam ueritatis trahente, excitante, & territante: sed insanus mũdus noluit intelligere, imò nec audire quidem rationem & uiam salutis: ipsa ergo diuina iusticia poscit, ut alia iam cum ipsis lingua loquatur, ideoque iusto Dei iudicio fiunt iam fulgura, &c. Significat autem hac congerie uocum, horribilem pœnam, quam sumpturus sit Deus de impijs. Et allusum apparet ad incendium Sodomorum, item ad illa diuini uatis uerba, Pluet super peccatores laqueos, ignis sulphuris & spiritus tempestatis. Psal. 11. Proinde concluditur hæc uisio, sicuti Euangelica Matthæi historia: Et abibunt hi quidem in supplicium æternum, iusti uerò in uitam æternam

Habemus in his octo capitulis proximis, partem huius libri tertiam, compendiumque insigne historiæ Ecclesiasticæ, à temporibus Ioannis in finem usque seculi: quo erudimur in uera fide, & admonemur omnium periculorum & insidiarum, quib. uera fides impetitur, ut uigilantes caueamus ob omni corruptione & seductione, & salui fiamus. Deo sit laus & gloria.

De-

Descriptio Ecclesiæ & draconis rufi, certantis contra Ecclesiam.

CONCIO LI.

ET signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Et in utero habens clamat parturiens, & cruciatur ut pariat. Et uisum est aliud signum in cœlo: & ecce draco magnus & rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus suis diademata septem: & cauda eius trahit tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium eius deuoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes uirga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. *Cap. XII.*

Ordo & dispositio rerum uel libri.

Quarta pars huius libri exhibet nobis uisionem tertiam, quam alij qui secundam discindunt in duas, faciunt quartam. Sæpe & iterum meminit in uisione secunda Dominus persequutionis & certaminis fideliũ cum Antichristo & impijs Dei hostibus, præsertim cap. 6. 9 & 11. Pergit ergo nunc uisione tertia, & copiosè quidem de hoc certamine differere, & ipsam rem ueluti oculis subijcere contemplandam, idq; per tria consequentia capita 12. 13. 14. Altius repetit omnia, & partes huius certaminis diligenter & graphicè describit, deinde pugnam quoq; ipsam. Ergo post descriptã ecclesiam, quę impetum huius belli sustinet, describit & draconem bellum inferẽtem: explicat quàm instet improbè. rursus autẽ, ne quis exanimetur, addit, quàm pugnet interim infeliciter, Christo utique illum uincente, denique Deo illius conatus impediente & retundente, uictumq; illum fidelibus subdente. Iam & singularia organa, quib. in oppugnanda persequendaq; ecclesia utitur sathan, describit, uetus & nouum Romanũ imperium, & in hoc fœdum Papatum, in quo & Antichristus graphicè depingitur. Mox tamen infaustis his subiungit iterum, consolationis piorum, confirmationisq; ergò, agnũ stare nihilominus in monte Zion uictorem, habere suam secum ecclesiam: utcunque furiat & ferociat hic mundus, prædicari Euangelium inuito Antichristo: & moneri omnes, ut ab Antichristo sibi caueant: ubi & de iudicio Dei in impios differere incipit, ut sibi aditum paret ad ea quæ in quinta parte dicturus est, de pœnis aut supplicijs Antichristianorum, quam tractationem auspicatur cap. 15. Hucusque ergo disputat de certamine uel conflictu Ecclesiæ & impiorum, Antichristi in primis, quos omnes pater omnium cędium & omnis iniquitatis Diabolus inspirat.

Argumentum et cõnexio cap. 12. 13 & 14.

Sumpta hæc ex Geneseos cap. 3.

Sicut autem totus liber hic ex scripturis petitus est, & scripturas ueteres singulariter enarrat: ita & hæc quæ ab initio protinus commemorantur, petita uidentur ex cap. Geneseos 3. ubi Dominus: Ponam, inquit, inimicitias inter te (serpentem) & ipsam mulierem, inter semen denique tuum, & inter semen illius: ipsum conteret tibi caput, & tu cõculcabis ei calcaneum. Nam & in fine cap. huius sic legis: Et iratus est draco aduersus mulierem, & abijt ut faceret prælium cum reliquis de semine eius.

Signum apparuit in cœlo.

Describit autem ante omnia partes huius certaminis, eam quæ bello impetitur, & quæ infert bellum, uidelicet Ecclesiam & draconem. Dicit autem, in cœlo apparuisse signa istarum rerum. Etenim non modò dicere aut scribere, sed oculis ueluti contemplanda uoluit subijcere, & propemodum pingere, quo luculentè satis omnia perspiciantur. Cum autem dicit magna fuisse signa illa, admonet, res fuisse & esse maximi momenti, de rebus omnium maximis.

Prin-

Mulier ecclesia. Principiò Ecclesiam Dei omnium temporum describit, sub typo & paradigmate mulieris. Nec insolitum autrarum hoc est, cum ab exordio rerum mulier cœperit typū præferre sponsę Christi ecclesiæ, sicuti uidere licet Genesis 2. & interpretatus est typum Apostolus Ephes. 5. Vt iam non commemorem, Isaiam subinde sub typo mulieris adumbrasse ecclesiam Dei: Lætare sterilis, inquit, quæ non paris, &c. Paulum denique ad Galat. 4, Saram posuisse figuram ecclesiæ: quod & Solomon in Canticis suis, multis in describenda spōsa sua prosequutus est. Ecclesia ergo, est mulier illa, uera fide & amore perpetuo copulata sponso suo Christo. Postea quædam applicat singulariter, Virgini matri, cui tamen antecedentia & consequentia omnino non congruunt: quod & Methodius ostendit, & Primasius, & cæteri interpretes consensu magno.

Mulier amicta sole. Mulier hæc amicta est sole. Scriptura Christum appellat iustitiæ solem, & lumen uitæ. Paulus iubet ecclesiam induere Christum. Hic ergo est lumen, uita & iusticia ecclesiæ: per Christum obtecta est nuditas ecclesiæ: Christus est ornamentum & decus ecclesiæ, per ipsum lucet in orbe.

Luna sub pedibus eius. Luna uicissitudinib. est subiecta, & uaria, uariosq; suscipit colores: increscit, decrescit: & quamuis luceat, maculosa tamē semper apparet, ac lucem ipsam suam à sole mutuat. Omnes ergo uicissitudines temporum, & quæcunq; huius seculi mutabilia & corruptibilia sunt, affectus quoque & infirmitates calcat pedib. ecclesia: omne lumen quod habet, à Christo habet: crescit & decrescit lumen iusticiæ eius: denique semper maculas aliquot contrahit ex ingenio carnis, quas non nisi in morte deponit. Itaq; lucet quidem, sed nonnihil obscuritatis sentit ecclesia: quod Dominus quoque dixerit, Omnem palmitem ferentem fructum purgat, ut uberiorem fructum proferat. Et qui lotus est, mundus est totus, nec indiget nisi ut pedes abluat.

Corona duodecim stellarum. Porrò corona, est decus capitis, & regni signum. Decus ecclesiæ, ornamētum & rex, Christus est. In hac corona sunt non gemmæ, sed stellæ. Nam in Christo sunt, & exornant atque illuminant ecclesiam Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli 12, qui lucem ex corona habent, & profundunt eandem in ecclesiam. Doctrina ergo significatur ministrorum, ut & cap. huius libri 1. Nec minima portio inter præstantissima ecclesię est, ministerium illuminans.

Mulier prægnans & parturiens. Cæterùm mulier illa habet in utero: id quod idiomate quodam pro eo dicitur, quod nos efferre solemus, Mulier illa erat prægnans: nec tantum prægnans erat, sed & parturientium more clamabat, & nitendo doloribus distringebatur ut páreret. Id quod propriè uirgini matri non conuenit, sed ecclesiæ. Nam primitiua ecclesia ex promissione illa prima seminis benedicti, concepit in animo spem firmissimam, fore ut aliquando ex uirgine nasceretur Dei filius, semen promissum, quod serpenti conculcaret caput. Maximo ergo desiderio & uotis quàm ardentissimis cupiuit ecclesia, in & per singulare suum membrum diuam Virginem, aliquādo gigni Christum. Generatur prętera Christus in suis fidelibus, quando eius uirtute regenerātur. Nam Paulus: Filioli mei, inquit, quos iterum parturio, donec in nobis formetur Christus. Dupliciter ergo parturit & gignit ecclesia: corporaliter uidelicet, dum anxiè cupit sine dolore Christum nasci per uirginem: & spiritualiter per fidem & regenerationem, dum in membris posсit reformari ad Christum. Hoc ergo huius mulieris ingenium est, quòd summo desiderio Christi incarnationem & redemptionem complexa, multis innotescere optat: & quod subinde ad imaginem Christi regenerari aut reformari desiderat.

Ecclesiæ descriptio. Hæc est elegans sanè descriptio ecclesiæ. Ad hanc applica illos, qui se hodie ornant Ecclesiæ titulo & prætextu: & iudica, quàm pulchrè ipsis cum hac descriptione conueniat. Vera autem hæc Christi ecclesia in discrimen & pugnam trahitur.

Descriptio diaboli sub imagine draconis. Audiamus iam secundo loco, & ueluti ex oppósito, qualis sit antagonista uel hostis Ecclesiæ: nimirum antiquus ille, qui ab initio mendax & homicida fuit, *Der alt houpt bōßwicht*, omnis mali, omnis perniciei, omniumque errorum, iniquitatum, & cædium, & perturbationum author unicus, & conscelleratissimus diabolus: quem postea sathanam appellat, seductorem orbis uocat, & alijs dignis uocabulis ornat.

Draco magnus. Hic est draco, & quidem magnus draco, magnæ utique per orbem in membris suis poten-

potentiæ: & draco, quia olim ſibi ſpeciem ſerpentis ſumpſit, & parentibus noſtris impo ſuit. De draconibus multa Plinius & alij phyſici. Scriptura alicubi appellat diabolum, uectem & ſerpentem tortuoſum. Nam mirè eſt uerſipellis, ac in infinita ſe contorquet uolumina, ut decipiat, & deceptos in errore retineat. *Iſaiæ 27.*

Rufus eſt. Nam igni & ſanguine ſanctorum innocentũque madet, *der rächt blůthund*, omnium perſequutorum & cruentorum militum parens & patronus. In ipſo hærent adhuc maculæ & labes cruoris Abel. aſperſus fœtet adhuc ſanguine prophetico ac apoſtolico. *Rufus.*

Idem habet capita ſeptem: in ſingulis his conſpiciuntur ſingula diademata regia. Habet item decem cornua. nam diabolus appellatur princeps huius ſeculi: ac reuera præfuit omnium ſeculorum monarchis impijs, omnium cornuum uel regnorum ſanguinolentorum præſultor fuit. Caput ergo fuit Nini, rex & princeps Pharaonis, dux Balthaſſaris Babylonij, Cambyſis item Perſæ, Antiochi Macedonis, Iulij Cæſaris Romani, & omnium aliorum tyrannorum. *Capita ſeptem, & cornua 10.*

Caudam uerò Iſaias propter aſſentationẽ & blanditias dixit pſeudoprophetã, quòd mellitis uerbis ſe inſinuet in fauorem potentum. Blanditijs ergo, impoſturis & mendacibus promiſsis, quibus (ut quondam) diuina pollicetur ſuis cultoribus, perpellit ad nepharia quælibet, ſtellas, id eſt doctores & illuſtres uiros: quos abreptos à cœleſtibus, allidit terreſtribus, ut uidelicet cœleſtium & officij ſui ſancti obliti, inhæreant iam terrenis, uoluminibus caudæ diabolicæ implicati. Et quidem non paucos ita corrumpet. Nam tertiam partẽ ſtellarum ponit pro copioſo numero illuſtrium hominũ, quorum miniſterio utitur contra eccleſiam. Horum multa ſunt in ſingulis hiſtorijs ſingularum ætatum, & quidem memorabilia exempla. *Cauda.*

Poſteaquam uerò deſcripſit fœdam hanc belluam, & omnium ſanctorum ab exordio mundi iuratum hoſtem: mox etiã conatus eius, inſidias & uirulentiam in eccleſiam, & quomodo bella mouere cœperit, exponit. Stetit, inquit, hic draco ante mulierẽ, quę erat paritura: & ſedulus quidem, diligens, attentus, indefeſſus omnibus ſeculis ſtetit: obſeruauitq;, & eam occaſionem eccleſiæ nocendi captauit, neq; ullam omiſit opportunitatem. Finis autem omnium conatuum fuit, deuorare filium, genitum ex ſpõſa Dei. Perpetuò & ab ipſo mundi exordio conatus eſt intercipere gloriam Chriſti: & ſi qui ſpiritualiter Chriſto cõformes regeniti ſunt ab eccleſia fideles, hos quoque in errores retrahere & perdere annixus eſt. Vnde diuus Petrus non abs re dixit, diabolum circuire tanquam famelicum leonem, & quærere quem deuoret. *Draconis conatus contra eccleſiam.*

Obiter iam iudicat. Chriſtum eccleſiæ, uti promiſſus fuerat, exhibitũ eſſe, nec draconem in ipſum potuiſſe quicquam. Vnde omnino uult nos concludere, ne in nos quoq; quicquam, ſi in Chriſto maneamus, poteſtatis habiturum. Nunc enim ab uniuerſali eccleſia ad ſingulare & excellentiſsimum eius membrum Virginem matrem tranſilit, & paucis uerbis incarnationis myſterium contexit. Singularis illa mulier, de qua Geneſis 3. dicitur, matronæ illius filia, Eccleſiæ inquam, diua Virgo, peperit maſculũ, id eſt primogenitũ ſuum, regem & ſacerdotẽ: ſicut & Lucas teſtatur cap. 2. Mox qualis & quãtę potentię ſit, & quare maſculũ appellarit, exponit. Is eſt, de quo Pſal. 2. uaticinatus eſt, rectorũ ipſum omnes gẽtes uirga uel ſceptro, non ligneo aut plũbeo flexili, ſed ferreo, firmo utiq; & durabili, uerbo ſcilicet Dei: eos uerò qui uerbo Dei obedire noluerint, baculo ferreo, potentia nimirũ, cui nemo poterit reſiſtere, longè & latè proſternet. At huic tam potenti principi inſidiatus eſt ſathanas, draco antiquus, commouens in ipſum primores Iudęorũ & gentiũ: ſed nõ inuenit in ipſo quicquã, ſicut ipſe Dominus dixit Ioã. 14. nihil inuenturus tandem & in fidelibus Chriſti: Prętерea dum draco magna moliretur per Iudęos contra Chriſtum, ex mortuis reſuſcitatum, raptus eſt ueluti ex faucibus uel medijs conatibus draconis Dominus noſter, ad ipſum patrem ſuum cœleſtẽ, & conſedit in dextera Dei patris, fruſtrato ſerpente antiquo. Ac illuc etiã recipiet ad ſe fideles ſuos, rumpantur ut ilia colubro. Spe enim ſedemus unà cum capite noſtro in ſupercœleſtibus. Epheſ. 2. Hæc eſt autem prima & maxima ſpes eccleſiæ in hoc cõflictu. Sic enim colligit: Fortiſsimè & atrociſsimè draco irruit nõ tantũ in ueterẽ eccleſiã, ſed & in ipſum *Chriſtus incarnatus & exhibitus eſt eccleſiæ.*

caput ecclesiæ,& liberatorem Christum: uerùm furore suo insano nihil efficere potuit: ergo non prævalebit etiam contra membra eius.

Fugit ecclesia in desertum.

Porrò redit iterum ad ecclesiam,ac dicit:Postquam draco contra Dei filium nihil efficere potuerit,conuersum in se,ac bellum iam intulisse ecclesiæ,ecclesiam uerò fugisse in solitudinem.Certè Iudæa in prophetis cõparatur loco cultissimo: Gentes appellantur desertum & solitudo.Post ascensionem ergo Christi,apostoli ex Iudæa migrantes,transierunt ad Gentes:sed & Iudæi inspirati à rufo dracone,eiecerunt ecclesiam ex suis finibus:quæ coacta est,ut in Actis extat apostolicis, profugere ad Gentes. Vbi uerò locum parauit Ecclesiæ suæ Dominus,& ecclesia inter Gentes uehementer aucta est, certè illius gratia (nullo humano merito) qui parauit locum, qui uocat, & dirigit, & seruat suas ouiculas,idem disposuit, & adhuc disponit, huic ecclesiæ pastores,qui alant illam, ueluti corui Heliam,tempore illo uniuerso,quod erit in finem usque seculi.Nam superius disputaui de numero dierum illorum. Significatur autem hac expositione, draconem strenuè pugnaturum contra ecclesiam, ita ut fugere hæc compellatur: utcunque uerò sæuiat cõtra ecclesiam, Dominum tamen Deum semper ipsi paraturum locum in terris,in quo salua maneat:semper missurum pastores, qui pascant. Ostendit præterea, fugam non semper futuram ignominiosam. Dominus seruet nos.

Descriptio certaminis Christi & ecclesiæ cum dracone:uincitur draco, epinicium canunt cælites.

CONCIO LII.

ET factum est prælium in cœlo. Michael & angeli eius prę liabãtur cum dracone:& draco pugnabat , & angeli eius, & non ualuerunt, neque locus inuentus est eorũ amplius in cœlo.Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus,qui uocatur diabolus & sathanas, qui seducit totum terrarum orbem:proiectus est in terram, & angeli eius cum ipso proiecti sunt. Et audiui uocem magnam dicentem: In cœlo nunc facta est salus & uirtus,& regnum Dei nostri,& potestas Christi eius.Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante cõspectum Dei nostri die ac nocte: & ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni,& propter sermonem testimonij sui, & non dilexerunt animam suam usque ad mortem.Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Væ habitatoribus terræ & maris,quia descẽdit diabolus ad uos, habens iram magnam,sciens quòd paululum temporis habeat.

Dixit Apostolus de partibus insignis pugnæ,atq; belli memorabilis:dixit & de conatibus ac instituto draconis,qui uidelicet omnia sua consilia huc inflectat,ut omnem pietatẽ deuoret,id est tollat è medio:dixit quomodo cœperit mouere bellũ in ecclesiã,quę profugerit in desertũ:iam uerò ueluti relicta in deserto muliere,alios uidetur producere milites,qui draconi copiam pugnæ faciant,& eũ ualidissimè oppugnent,atq; etiã cum omnib.suis copijs fundant.Describit ergo Ioan.pugnam singularem excellentissimi cuiusdam,nempe Michaelis,qui uicerit draconem:describit & uniuersalẽ pugnam connexam cum singulari.Nam addit,omnes angelos Michaelis pugnasse contra draconem.

Locus certaminis.

Ac principiò ostenditur locus certaminis uel congressus, cœlum. Nam in cœlo, ait, factum est prælium ingens.Constat autem,ab exordio rerum sathanam cœlo esse deturbatum in terras,& ideo ipsum in cœlis nulla mouere bella,aut ullas excitare turbas.Cælum enim quietis gaudijq; locus est, nõ certaminis & dissidiorũ. Visioni ergo dandum

est

est hoc. Nam in cœlo per signa exhibuit uisendum hoc bellum Dominus, quod reuera geritur in terris in medio ecclesiæ.

Subijcitur autem imago pugnæ celebris, qua quid factum sit in terris, & fiat adhuc, ostenditur. Dixi modò, pugnam hanc singularem quidem esse, sed connexam habere uniuersalem. Nam pugnat Michael, qui ueluti dux est huius militiæ: pugnant & angeli Michaelis: id quod probè interstinguere oportet, licet interim unam duntaxat partè faciat Michael cum suis angelis. Ex aduersa parte pugnat draco, ceu imperator huius certaminis, præliantur & angeli eius. Et hæc quidem non alias constituunt partes, quàm superius in initio cap. audiuimus, partes huius pugnæ esse Ecclesiam & Diabolum. Interim ne ecclesiæ, & non Christo potius tribueretur uictoria, oportuit iam præteriri mulierem, & induci Michaelem pugnantem. Inde uerò est in his nonnulla difficultas: sed facile se explicabit, qui singula ordine obseruauerit.

Qui nam pugnent.

Principiò uidendum, quis ille Michael sit. Et dubium quidem non est, in uisione apparuisse angelum Michaelem, cum exercitu angelorum pugantium: ex aduerso contra illos pugnasse draconem cum exercitu diabolorum. Sed quia audiuimus ab initio, hæc esse signa, alias omnino res designare necesse est. significari ergo arbitror, Christum ecclesiæ suæ caput, regem & propugnatorem, unà cum suis membris, apostolis, martyribus & fidelibus. Neque rarum est, Christum nobis suffigurari per angelos: sed & receptissimum est, angelos appellari legatos Dei, & fideles seruos Iesu Christi. Christus ergo caput ecclesiæ, & fideles membra Christi, pugnant contra draconem, quamuis diuersissima ratione. Christus enim singulari certamine ipsum absq; ullius auxilio creaturæ superauit, dum & in tentationibus ipsum profligauit: tandem & moriendo in cruce, & resurgendo ex mortuis, caput eius prorsus attriuit. Hæc est uera, singularis & unica uictoria: ex qua deinde parantur membrorum Christi uictoriæ, reportatæ ex uniuersali illa pugna, qua iam non Christus duntaxat commissus cum sathana pugnat, sed omnia Christi membra omnibus temporibus duce Christo contra diabolum pugnãt, & in uirtute uel uictoria Christi pugnãt & uincũt: sicuti mox audiemus in epinicio. Cæterùm magnas ob causas dicimus, Christum nobis figurari aut significari in typo Michaelis. Agnoscimus ex scripturis docti, Michaelem, sicuti & Gabrielem, nomen esse angeli Dei boni. Significat Michael, quis ut Deus? At quis oro est talis, qualis Deus, nisi in quo est expressa imago substantiæ paternæ, & qui est imago inconspicua, & uerbum patris à principio, ipse inquam Dei filius Iesus Christus? Michael apud Danielem in 10 & 12. cap. est præses & defensor & patronus populi Iudaici. Constat autem, ab initio nullum alium populi Israelitici fuisse tutorem & patronum, nisi ipsum Messiam, semen benedictum. Claret hoc ex cap. 7 Isaiæ, ubi legimus, Dominum populo Iuda & regiæ urbi peperciſſe propter Christum. Alibi dicit apertissimè, Protegam urbem illam propter me, & propter seruum meum Dauid. Dauid autem Christus uocatur. Ezech. 34. Christus ergo reuera præses est populi sui, qui interim in asserendis & liberandis suis utitur ministerio angelorum: qui etiam nõ sibi quicquam, sed omnem gloriam Deo soli tribuũt. Præterea uictoria illa præcellens, non potest pietate salua tribui archangelo Michaeli. Ita enim præterito Messia Christo, prædicaremus angelos, Angelici magis quàm Christiani facti & appellandi. In lege scriptum est. Semen mulieris calcabit caput serpentis. Nusquam uerò angelos, sed semen Abrahæ assumpsit Dominus noster, & per peccatum condemnauit peccatum. Sequetur item mox in epinicio, Nunc facta est salus & uirtus, &c. & subiungitur: Quia proiectus est diabolus. Salutem aũt hanc solus perfecit Christus, unde necesse est per Michaelem adumbrari Christum uictorem sathanæ.

Quis Michael ille, dux belli contra draconem.

Quomodo Christus pugnarit cum dracone.

Cur Michael Christus.

Pugnauit autem singulariter draco contra Dominum, non modò commissus ei in deserto, sed & ipsum tẽtare & oppugnare nunquã destitit, quoad uixit in hisce terris: incitauit item in illum pharisæos, primores populi, reges & præsidem Romanum, atque adeò attriuit tandem Domino calcaneum. Hæc draconis omnium maxima pugna fuit. Draco idem ille inspirat reges & principes, sacerdotes impios & crudeles homines, angelos suos, qui ipsam Dei ecclesiam oppugnent. Et hi quidem omnes in uirtute rufi draconis persequuntur & uexant ecclesiam. Factum id ostendunt historiæ ante Christi tẽ-

Pugnat draco & angeli eius.

pora:eædem teſtantur,& probat experientia, idem fieri à Chriſti aſcenſione ad cœlos, in præſentem uſque diem,& ad finem uſque ſeculi.

Quo ſucceſſu ſit pugnatum.

Iam etiam quo ſucceſſu utrinque pugnatũ ſit, exponitur: nimirũ feliciſsimo, quod attinet Chriſtum:infeliciſsimo,quod draconẽ.Atq; in his,ut & in cõſequenti mox epinicio,totus huius diſputationis fructus continetur.Etenim diſcunt hinc pij omnes, ſathanam aduerſarium noſtrũ eſſe exarmatũ: & à partibus noſtris in hac pugna ſtare Chriſtum,utiq; imperatorem & ducem noſtrum omni tempore,per quem omnes pij facile in omnib.certaminibus ſuperare poſsint.Ideoq; negotium hoc certaminis atq; uictoriæ mox ab initio difficillimi prælij cum Antichriſto & Antichriſtianis, qui ſunt genimina uel caudæ,ſquamæq; ſerpentis, uel cõplices draconis,conſolationis gratia ponitur.Inuertitur enim ordo naturalis,qui nihil de euentu pugnæ agit,niſi prius omnẽ pugnã premiſerit. Pugna uerò poſt hæc demũ in reſiduis cap.12.& in toto 13 cõtinuabitur.

Vincit Chriſtus,uincunt & Chriſtiani.

Victoriam Chriſti in primis,deinde omnium Chriſtianorum tribus exponit membris.Primum eſt,*καὶ οὐκ ἰσχυσαν*, Non ualuerũt, nullas uires habuerunt,*habend kein vermögen,ſtercke noch krafft me gehept.* Magnę ſanè uires ſunt cacodæmonis, permittẽte illi Deo, maxima planè pro ratione iuſti ſui iudicij,ſicuti & in Iob apparet, ut ſcilicet perturbet & confringat potentiſsima.Sed Dominus in Euangelio dicit: Venit princeps mũdi huius, & in me non habet quicquam.Et iterum in Euangelio:Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam,petram inquam,deinde & contra eccleſiam. Licet ergo diabolus horribiliter tumultuetur & ſæuiat contra Chriſtum & eccleſiam, elumbis tamen manet.Præualet enim uirtus Chriſti.

Ioan.14. Matth.16.

Secundum membrum eſt,Neq; locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.Quod loquutionis genus aliud nihil ſignificat,quàm exutum eſſe angelum refugam omni dignitate,gloria,potentiaq;:præterea non habere illum locum ullum amplius in eccleſia, uel in electis Dei:non quòd non redeat,uel non tentet,uel nõ inſtauret prælia dæmon, ſed quòd manentem locum nullum habeat. Huc pertinet quod Dominus in Euangelio toties repetit,Nunc uerò princeps huius ſeculi eiectus eſt foras,Ioã.12.14.16.cap.Præterea ex alijs ſcripturis clarum eſt,diabolo reditum in cœlos eſſe præcluſum.Facile autem fuerit illum excludere à nobis qui eiectus per Dei filium, in nobis nullum locum obtinet,niſi ipſi cedamus ei.Quod ne faciamus, diligẽter admonet Dominus,ut uigilemus.Nota eſt hiſtoria Matth.12.de diabolo meditante reditum,& in hoc aſſumptis ſpiritibus nequioribus ſeptem.Quid uerò illum audias,cur illi obſequare,cui ipſum cœlũ uides eſſe præcluſum?Quãquã ſic etiã ſignificetur,ita plenè uictũ eſſe à Chriſto diabolũ, ut locũ etiam pugnæ coactus ſit deſerere, *hat ab der walſtat vnd vß dem fåld müßen entwychen.*

Proiectus ſatã in terram.

Tertium enim mẽbrum, ſecundũ ueluti enarrãs, ſubdit:Et proiectus eſt in terrã.Proſtrati enim in terrã,ſuperati eſſe iudicantur. Significatur ergo plena uictoria. Cæterùm ab ipſo Chriſto Domino noſtro ſemel in myſterio redẽptionis noſtræ proſtratus eſt in terrã ualidiſsimè,& in uirtute eiuſdem quotidie alliditur in terrã à fidelibus.Quéadmodum item in cœlo & in electis locum manentem diabolus non habet:ita ſanè inhabitat omnes terrigenas,id eſt terram ſapientes homines,cœleſtia contemnentes. Sed & cum illo audimus angelos eius eſſe proiectos. Nam Dominus in Euangelio ſecundum Ioan. cap.16.dicit:In mundo afflictionem habetis:ſed bono animo ſitis,ego uici mundum.Et

1.Ioan.4. 2.Ioan.5.

Ioannes in Canonica ſua: Vos ex Deo eſtis filioli,ait, & uiciſtis eos : quoniam maior eſt qui in uobis eſt, quàm qui in mundo.Et hæc eſt uictoria quæ uicit mũdũ,fides ueſtra.

Vocibus aliquot adumbratur ingenium diaboli.

Obiter autem exponit,quid intelligamus per draconẽ,de quo dixit hactenus, nimirum hoſtem antiquum generis humani.Eum ornat ſuis titulis,quatuor illi nomina attribuens,ut inde etiã naturam eius intelligamus rectius,& caueamus nobis à nephario latrone. Principiò uocat eum ſerpentem antiquũ. Ab initio enim per ſerpẽtem ueneno mortis & peccati parentes noſtros,& per eos totũ terrarũ orbẽ infecit:ut uidere eſt Gen. 3.Ro.5.Ideo dixi ab initio huius cap.appellari Draconẽ. Deinde uocat eũ Diabolũ,id eſt calũniatorẽ &delatorẽ,*den verrättſcher.* Sequitur enim mox,quod hãc uocẽ exponat,quia proiectus eſt accuſator fratrũ noſtrorũ,&c.Exemplũ eius rei elegãs exponitur Iob cap. 1.& 2.*διαβάλλω* ſignificat criminor,*διαβολὴ* aũt calũnia, & *διαβολία* crimen eſt uel dilatio.

Hinc

Hinc uocateum Sathanam, Hebraico uocabulo, nimirum aduersariũ, quod in omnibus aduersetur Deo, & seſe obijciat hominibus in rebus sanctis, si has uel impedire possit, uel corrumpere. Postremò appellatur ὁ πλανῶν impostor, uel qui seducit (*der betrieger, bschyßer vnd verfürer*) totum terrarum orbem. Hoc enim illi tribuit Dominus Ioan. 8. quòd ab initio fuerit mendax, & sit mendacij, impostura, utique erroris & seductionis, adeoque omnis mali pater, id est fons & origo. Omnes enim errores & hæreses, omnes impostur & mendacia omnia, denique mala, defluxerunt ex hoc fonte impurissimo. Quis uerò hæc audiens, non abhorreat à fœda bellua? Insanire eos necesse est, quos cernimus modis omnibus amicitiam colere cacodæmonis.

Consequenter porrò subiungeret reliqua huius pugnæ, quomodo uidelicet Draco persequatur & oppugnet mulierem, & hæc uicissim fugiendo repugnet & uincat per Christum. Sed suspendit eam narrationem adhuc aliquantisper, & inserit iã epinicion uictoriale carmen & triumphum sanctorum in cœlis, angelorum & animarum. Summa est, uicisse Christum, & uincere in Christo fideles: ideoq; lætandũ esse, & cantandum cœlis ipsis, omnibusque cœlum incolentibus. Repeto autem hæc in difficili pugna Antichristiana & Romana, consolationis ergò inseri, ne ob grauia discrimina sancti pro agnata infirmitate animum despondeant: sed inuocato nomine Christi, fortiter pugnent, cũ intelligant sub cuius pugnent auspicijs, & cum quo pugnent: utique cum uicto, sub auspicijs Christi. Cum autẽ draconis uires audimus fractas esse, cogitabimus, & furores utriusq; bestię tã decẽcornis quàm bicornis esse in Christi fide debilitatos. Addit & hoc non parum animi in hoc certamine, quòd uidemus draconem non habere ullam potestatem in sanguine Christi conspersos & purificatos, sed in terrenos & mundanos homines. Triumphus autem hic est cœlestis. Nam è cœlis audiuntur uoces, lætum pæana canentes, ut in afflictis tripudium beatorum spirituum plus habeat authoritatis, gratiæ & efficaciæ.

Victoriale carmen.

Concinunt unà omnes læti, nunc perfectam esse salutem & uirtutẽ. Moriente enim & resurgẽte Domino, Deus operatus est uirtutem, salutemq; promissam patribus perfecit, dum uidelicet caput serpentis conculcauit, peccatũ & mortẽ aboleuit, uitamq; reduxit. Sic stabilitũ est regnũ Dei in hoc seculo in electis, dum uidelicet Christi potentia princeps huius seculi eiectus & superatus est. Sequitur enim causa, cur ita lætãdum sit, & quæ nam uirtus & potentia Christi seſe exeruerit, aut quomodo perfecta sit salus: Quia, inquit, per Christum proiectus, id est superatus, adeoq; foras eiectus est diabolus, ut non amplius genus humanum coram tribunali Dei deferat. Huc pertinet quod Paulus scripsit, Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.

Perfecta salus per Christum.

Rom. 8.

Præterea prædicant cœlites non Christi tantum, sed & omnium fidelium uictoriam, quam contra sathanam in fide Iesu Christi obtinent: ut saltem hinc inclarescat, quid superius intelligamus per Michaelem, quid per angelos eius. Diligenter autem inculcat, Christianos non uincere sathanam suis meritis, aut uiribus, uirtutibusue, sed merito & gratia Christi. Et ipsi, inquit, angeli uidelicet Michaëlis, uicerunt draconem propter sanguinem agni. Cum enim sanguine Christi purificati sint credentes, nihil habet in eos sathan: quinimò cum spiritũ & fidem Christi habeant, superant diabolum. Ita quondam uastator nihil iuris in illas habuit ædes, quæ sanguine agni erant prænotatæ: Exodi 12. Addit & aliud, propter quod pij uicerint: Propter sermonẽ testimonij Christi, quod est Euangeliũ. Quia enim hoc est insuperabile & ęternũ, uincũt omnia huius seculi, quicũque manẽt in uerbo ueritatis uiuo & æterno. Quid quod in ueracissimo Euãgelio Dominus promisit se nõ desertũrũ suos, & pugnaturũ pro ipsis? necesse est ergo fideles uincere. His accedit rursus purificationis Christi effectus. Nõ plus amarũt uitã suam quàm Christũ: & ideo illam pro Christo in mortẽ dederunt, atq; ita uicerunt. Multi enim uincuntur hoc uno, quod uita propter Christum periclitari nolunt.

Fideles quoque uictores fecit Christus.

Propter hæc ingentia Dei beneficia hortantur iam ipsos cœlos, & omnes in cœlis cœlites, id est cœlites seſe mutuũ adhortantur, ut lætum pæana cõcinant. Et quod hic cœ-

lites facere dicunt, terreſtres ſanctos facere docent, & inſtruunt, quales eſſe oporteat eos qui uoluerint ſuperare in bello ſathanam, purgatos utique ſanguine Chriſti, innixos teſtimonio Ieſu Chriſti, & contemptores uitæ propriæ, quibus non uideatur graue pro Chriſto occumbere.

In quibus locũ habeat diabolus.

Poſtremò ſub carminis finem oſtendunt, in quibus locum & regnum habiturus ſit diabolus: in hominibus utique terrenis & carnalibus, qui uidelicet diuina rident, & tantummodo mirantur terrena hæc, perituraque: pro quibus uel conſequendis uel retinẽdis, nihil, quantumuis difficile uideatur, ſubire uerebuntur, nihil autem uel facere uel pati propter Chriſtum ſuſtinebunt. His denunciant horrendum uæ, maledictiones uidelicet præſentis & futuræ uitæ. *Dann es iſt kein ellender volck vnder der ſonnen, dann des tüfels marterer.*

Iram magnam exerit ſathan.

Cęterum in quib. regnum obtinet diabolus, in ijſdem etiam exerit iram ſuam contra electos, & quidem iram magnam. Nam crudeliſsimè ſæuit contra pios, & contra pietatem. Sæuit item acerbiſsimè in ſuos illos cultores, quos omni genere fœditatum proluit, omniq; turpitudine & infamia deturpat, &c.

Ad conſolationem rurſus piorum illud pertinere puto, quod breuis meminit temporis. Sæuiet quidem in Antichriſto crudeliſsimè contra eccleſiam, ſed decurtabuntur dies illi propter electos. Notatur interim etiam malignum ſathanæ ingenium, qui cum norit inſtare iudicium extremum, quo præcipitandus eſt in tartara, cogitat breuitatem illam temporis ſarcire & compenſare iræ ſuæ ſæuitia, & furore planè diabolico.

Et hactenus de uictoria Chriſti & ſanctorum eius: ſequuntur iam minore cum terrore horribilia alioqui de bello, quod draco matronæ Dei cupidiſsimè & infenſiſsimè infert. Dominus Ieſus ſubijciat illum ſub pedes noſtros Amen Amen.

Perſequitur draco mulierem: hæc defenditur & ſeruatur à Domino. Conſiſtit draco in arena, &c.

CONCIO LIII.

ET poſtquam uidit draco, quòd proiectus eſſet in terrã: perſequutus eſt mulierem, quę peperit maſculum. Et datæ ſunt mulieri alę duæ aquilæ magnæ, ut uolaret in deſertum, in locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie ſerpentis. Et eiecit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquam flumen, ut eam faceret rapi à flumine. Et adiuuit terra mulierem: & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumẽ, quod eiecerat draco ex ore ſuo. Et iratus eſt draco aduerſus mulierẽ, & abijt ut faceret prælium cum reliquis de ſemine eius qui cuſtodiũt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti. Et ſtetit ſuper arenam maris.

Perſequitur draco eccleſiã.

Quod ſuperius de perſequutione draconis, & fuga eccleſiæ dicere cœperat, & propter Chriſti uictoriam explicandam paululum ſuſpenderat: nunc reſumit & abſoluit, pugnamq; graphicè deſcribit, ac ſignificantiſsimè & conſtantiſsimè diuinum ſubinde auxilium, quod gratia Dei eccleſiæ confertur, ſubiungit.

Cum itaque Sathan ſe uidiſſet ſuperatum per Chriſtum, iectumq; eſſe foras, furere cœpit contra eccleſiam ſanguine filij Dei aſſertam, ac graui illam perſequutione implicauit. Nam protinus ab aſcenſione Domini grauis commota eſt in Apoſtolos & in Apoſtolicam eccleſiam perſequutio. Apoſtoli enim concluſi in carceres, uerbis acerbiſsimis uirgisque ſunt caſtigati. Stephanus lapidibus eſt adobrutus, Iacobus gladio percuſſus, denique Pauli opera (qui tum agebat Saulum) innumeri coniecti ſunt in carceres, & diris affecti ſupplicijs.

Act. 26.

Ex

Ex oppoſito commemorat præſens Dei auxilium, quod tropico dicendi genere pro natura uiſionis propter energiam effert. Dicit enim mulieri, Eccleſiæ inquam, datas eſſe alas duas aquilæ grandis, quibus adiuta profugerit in deſertum, ubi à dracone tuta aliquandiu latuerit. Significatur autem, ampla facultas conceſſa eccleſię fugiendi & euadendi hoſtium Chriſti furores, deniq; propagandi Euangelij inter Gentes. Qua de re legis in Actis apoſtolicis cap. 11. Non temerè autem meminit alarum aquilæ, & quidē magnæ. Nam & in Deut. meminit ſub hac figura in cantico ſuo Moſes, defenſionis & auxilij Dei potentiſsimi: Sicut aquila, inquit, ſuper pullos uolitat, & alas expandit, & portat in humeris ſuis, ita & Dominus te ſeruauit & prouehit.

Aſſertio Dei.

Alæ aquilæ.

Porrò locum ſuum ait datum Eccleſiæ in deſerto, nimirum conceſſum à Chriſto, qui quos uult ad ſe conuertit, & ſibi ſponſam parat. Alit autem Eccleſiam inter gentes uerbo ſuo Euangelico, ſicuti olim populum ſuum in deſerto nutriuit Manna. Tempus uerò Eccleſiæ non definit. Nam rurſus ænigmatico dicendi genere, ex Daniele mutuato, utitur: quod uſurpat Deus, quando uult nobis abſcondita eſſe tempora: quæ cum in ipſius poteſtate iuſta & bona nouimus conſtituta, nequaquam curioſius inquiramus. De qua re dictum eſt ſuperius. Certè conſtat, eccleſiam inter gentes ad iudicium uſque duraturam aut permanſuram. Porrò iudicij diem nemo definierit.

Locus eccleſiæ in deſerto.

Rurſus exponit, quantis furoribus inflatus dęmon, eccleſiæ nouum, adeoque perpetuum intulerit bellum. Cum eccleſiam inter gentes modò amplificari & confirmari indies cerneret, euomuit poſt mulierem aquam: & ut figuram agnoſceremus, addit, Tanquam flumen. Significat enim, diabolum mare malorum effudiſſe in eccleſiam, ſectas inquam, diſſenſiones, turbas, ſeditiones, perſequutiones, quibus inundauit totus ferè orbis. omnes certè ubique magiſtratus & ſacerdotes excitauit contra apoſtolos & apoſtolicam doctrinam. Legantur Acta apoſtolorum cap. 13. 14. 15. & ſequentibus capitibus. Nec rarum eſt in Pſalmis, per Aquas, flumina & torrentes, intelligi omnis generis afflictiones. In hunc autem finem ingentia illa mala excitauit & profudit in pios, *ἵνα ποταμοφόρητον ποιήσῃ*, ut flumine auferri aut aſportari faceret eccleſiam: *das er die kylch verflöſſt oder gar hinwåg ſchwåmpte*: ut pios unà cum doctrina pietatis tolleret. Atque hic eſt perpetuus ſathanæ conatus, huc omnia ſua conſilia & acta dirigit. Ita & Neronis & Domitiani imperio Eccleſiam ſanguine ſanctorum eluere ſtuduit, ſed fruſtra. Ideo enim dictum puto, Euomuit flumen malorum poſt mulierem, non in mulierem.

Euomit flumē poſt mulierē.

Nam Deus afflictæ Eccleſiæ nunquā defuit: atq; adeò (quod quis miretur) ut terra aperuerit os ſuum, & deuorauerit flumen profuſum ex ore ſerpentis. Imbibit hæc olim & contexit ſanguinem Abelis. Significatur autem, auxilium allatum eſſe pijs, afflictionem ſuſtinentibus, unde minimè expectaſſes: ſicuti olim Dauid legitur liberatus eſſe opera Paleſtinorum, minimè quidem cogitantium eripere Dauidem ex manibus Saulis: ſed tamen dum aliud interim conantur, efficiunt quod Domino uiſum erat, qui mala malorum conſilia in bonū piorū conuertere poteſt. Et certè uidemus nō rarò in Actis apoſtolicis, terrā abſorbuiſſe flumen malorum: id eſt, homines terrenos & mundanos, aliud interim agentes, pacem procuraſſe eccleſię. Sic ſcriba ille Epheſinus pacat tumultu concitatos Epheſios, & tantum non inſanientes. Lyſias tribunus militum eripit Paulum ex cruentis Iudæorum manibus: ſic Centurio tuetur Paulum, ne in naufragio trucidaretur à militibus. Ciuilia bella mox à nece Neronis cępta, pacem dederunt eccleſiæ ad imperium uſque Domitiani. Sed qui neſcit quieſcere ſerpens antiquus, noua prælia tentat. Nunc enim uehementer inardeſcens in eccleſiam, abit ut cum ſemine mulieris reliquo, quod ſcilicet ad iudicium uſque naſcendum eſt, ex eccleſia per uerbum pugnaret. Sic uerò aditum parat ad perſequutiones Romanas, mox tempora Ioannis inſequutas, in imperio Romano, & perſequutiones Antichriſtianas poſt exciſum imperium Romanum, exortas. De quibus dicetur cap. 13. &c.

Terra deuorat flumen.

Ceterùm hinc maximè claret, quid intelligat Ioan. per mulierē, eam uidelicet quę ſemen Dei generat. Eccleſia appellatur & mater & filia. Filia, quia generata eſt uerbo in eccleſia prędicato: mater, quia per uerbū generat Chriſto filios ſpirituales. Etenim ſemen Dei, & ſemen mulieris, ſunt omnes qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimoniū

Eccleſia generat. Gal. 4.

Iesu Christi. Custodiunt mandata Dei, qui magnificiunt legem Dei, & omnia uitæ suæ ad illam componunt. Non custodiunt mandata Dei, qui nihilificiunt legem uel uerba Dei, neque uitam suam ad illam componunt. De hac re copiose dicitur Ioan. 14. Testimonium Iesu Christi nullum aliud est, quàm Euangelium Iesu Christi, gratuitam nobis annuncians peccatorum remissionem. Habent hoc, qui fide possident.

Draco stat in arena maris.

Præparatio est autem ad consequentia, quòd dicit, draconem stetisse in arenam maris: mox enim dicit, bestiam singulare draconis organum emersisse opera diaboli ex mari. Consolationem autem habet, quòd dicitur draco insistere arenæ, non petræ. Nam significatur, non diu duraturos furores sathanæ contra ecclesiam, & regnum dæmonis futurum ruinosum, utpote cuius fundamenta collocata sint in arenam.

Exhibet uisendum nobile draconis organum, uetus Rom. imperium, quod describit quale sit, &c.

CONCIO LIIII.

Cap. XIII.

Et uidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem: & super cornua eius diademata decem, & super capita eius nomen blasphemiæ. Et bestia quam uidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes ursi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco potentiam suam, & thronum suum, & potestatem magnam. Et uidi unum de capitibus eius, quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Et admiratio fuit in uniuersa terra post bestiam. Et adorauerunt draconẽ, qui dedit potestatem bestiæ.

Organa per quæ operatus est sathanas, & operatur.

Pergit describere Ioannes ex reuelatione Iesu Christi, egregia diaboli organa, per quę ecclesiam Christi continua & grauissima persequutione afflixit. Loquitur autem de ueteri & de nouo Romano imperio. Non potuit illa sine maximo discrimine dicere, nedum scribere Ioãnes, homo nullis instructus præsidijs humanis, & alioqui proscriptus, iamq; damnatus exilio. Nam Romanum imperium habebatur pro diuino, inuicto, sanctissimo & æterno. Cæterùm de hoc ita loquitur & scribit Apostolus, ut uideatur non posse seditiosi uitare titulum, & in ipsam sacram peccare maiestatem cùm Imperatorium Imperij. Sed quid oro facias, iubente Deo te ita loqui & scribere? Fremit hodie quo que mundus, cum audit regna & politias uerbo Dei propter admissa peccata atque scelera castigari: ac satis pro imperio multi principes decreta uulgant, mandantes ne quid huius audiatur amplius. Dominus uerò in Euangelio clamat: Si hi tacuerint, loquentur lapides: significans omnino, oportere prædicari ueritatem, nec illam sopiri aut opprimi posse ullis decretis, minis, armis, supplicijs. Ergo si hodie taceant, quibus prædicandi munus concreditum est, excitabit Dominus alios præcones, qui inuito etiam uniuerso mundo, testimonium ferant ueritati. Iccirco suadeo principibus, ne inaniter & frustra se diuexent uarijs illis suis contra ueritatem Dei conatibus. Non proficient. Vincet ueritas. Qui enim Ioannem tunc instruxit contra Romanum imperium, tunc quidem florentissimum & potentissimum, ille idem reuelando hodie quoque ueritatem suam mundo senescenti & fracto uincet. Væ ingenijs refractarijs, & seductionem amantibus. Discant omnes concionatores, Ioannis apostoli exemplo, ea quæ in mandatis acceperunt, liberè proponere, & non metuere quenquã. Maior est qui in nobis est (quod idem Ioannes dixit 1. Ioan. 4.) quàm qui in mundo est.

Mundi impatientia & audacia contra ueritatem. Matth. 21.

Bestia, Romanum imperiũ.

Bestiam autem uocat Romanum illud, & magnæ authoritatis, uelutiq; diuinum Imperium, non absque rationibus grauissimis. Retinet enim phrasim scripturę Dominus, imitans Danielem, qui in 7. cap. Romano imperio bestiæ nomen tribuit. Et S. Hieronymus, exponens Danielis uaticinium, per bestiam intelligit Romanum imperium: quod ideo

ideo nec leonem, nec ursum, nec pardum appellatum putat, sed bestiã: ut quicquid ferocius cogitauerimus in bestijs, hoc Romanos intelligamus. Morib. certè bestias retulerunt. Mithridates rex Ponti glorioſiſsimus, de Romanis apud Iustinũ lib. 38. uerba faciens: Vt ipſi ferunt, inquit, conditores ſuos lupæ uberibus alitos: ſic omnem illum populum luporum animos habere, inexplebiles ſanguinis atque imperij, diuitiarũq; auidos ac ieiunos. Iam uerò quàm fœdę fuerint belluæ pleriq; principes Romani, teſtantur ipſorum hiſtorici, Suetonius in primis, ac reliqui qui uitas Imperatorum deſcripſerunt. Populum quoque Romanum beluinis fuiſſe moribus prędituũ, euincit uel 1. caput epiſtolæ Pauli ad Rom.

Dicis, ſat ſcio. Cum uerò totum corpus Imperij Romani ſub hac imagine comprehendat Ioannes, an beſtiam appellabimus Conſtantem, Cõſtantinum, Theodoſium, & reliquos imperatores pijſsimos? Dicimus, illo loquendi genere uti ſcripturas, ac per beſtias intelligere quidem imperia: licet in imperijs illis agentes non dicat indiſcriminatim omnes eſſe beſtias. Dicimus ergò, beſtias reuera dici & eſſe omnes, beluino ritu uiuentes: ergo exemptos in omnibus imperijs intelligimus, uitam uiuentes Deo acceptam: ac certò ſcimus, nec Danielem, neq; beatum Ioannem, immeritos, imò laude digniſsimos uiros, conuicijs conſpurcare uoluiſſe. Quinimò in tota hac actione Imperij & Antichriſti, ſemper excipimus innoxios, & uirtute pollẽtes homines. De quare poſtea fortaſsis plura dabimus. *Excipiũtur pij & innocentes.*

Initiò uerò indicat Imperij huius originem. Emergit beſtia ex mari, in cuius arena conſiſtit draco: & in 17. cap. dicitur, beſtiam emerſiſſe ex abyſſo. Refertur ergo initium eius ad ſathanam. Hic tamẽ diſpiciendũ diligenter, ne quid eripiamus domino Deo noſtro, quod ipſe ſibi uendicat. Scriptura alibi, & in primis per duos excellẽtiſs. teſtes, per Danielem in cap. 3. & S. Paulum ad Rom. 13. teſtatũ reliquit, regna atq; imperia eſſe à Domino, & hunc reges ponere & deponere. Non eſt poteſtas, inquit apoſtolus, niſi à Deo. Et hactenus quidem iubẽt apoſtoli obedire magiſtratibus, aut principibus. Quomodo itaque audimus Romanum imperium eſſe ex abyſſo, cum de eodem loquatur apoſtolus? Non quidẽ abſolutè Romanũ Imperiũ à diabolo eſt. Deus enim author eſt monarchiarũ, & ſeruat politias & regna, dando his fideles aliquot ſeruos. Cõiungit aũt ſe ſathanas reb. humanis, & corrũpit cùm reges tum regna: & hactenus quidem ſunt à ſathana. Obedierũt in omnib. reb. politicis Imperatorib. Chriſtiani: interim uerò mandantib. idololatriã non paruerũt. Certũ eſt quidem Deũ inſtituiſſe regnum Iſraelis ſeu decẽ tribuum per Ahiam prophetam: interim tamen apud alium prophetam clamat Dominus, Regnarunt quidem, ſed non ex me. Nam Dominus uoluit illos reges omnia ad uerbum Dei componere, & in timore Dei eos regnare: id cum non facerent, ſed ſecũdum inſtinctum Sathanæ omnia pro ſua libidine inſtituerent, rectè dicuntur nõ ex Deo, ſed ex diabolo regnare. Obediuerunt ergo pij regibus: ſed impia mandantibus non obediuerũt, licet hos nihilominus pro ſuis agnoſcerent regibus. Inſtituerat Deus ordinem ſacerdotij: Chriſtus tamen ipſorum ſacerdotũ conatus & opera appellat opera tenebrarum. Et beatus Petrus: Oportet Deo, inquit, plus obedire quàm hominib. Ita ſanè Romana monarchia, quæ ex Deo erat, ſimul ex mari (quod & Daniel dixit) emerſit, ex mundo utique turbulento, atque adeò ex inferis, per cædes, latrocinia, ſeditiones, & proditiones conflata. Nã ad diabolũ & mũdũ, nõ ad Deũ reſpectabãt cũ pleriſq; Imperatorib. populi. *Quomodo monarchia Romana ex Deo & ex dracone.* *3. Regum 11.* *Amos 8.*

Nũc etiá quale ſit regnũ Romanũ, adũbrat. Habet capita ſeptẽ, & cornua decem. ſingulaq; cornua ſuas habebãt coronas, nimirũ ſignificãtes cornibus adũbrari regna. Nec eſt quòd nouã aut lõgè petitã expoſitionẽ hic inferamus. Cap. 17. ipſe angelus ſeſe exponit, ac dicit, ſeptẽ capitib. ſeptẽ portẽdi mõtes uel colles, adeoq; & reges. Plures quidem in urbe Roma colles numerãtur, ſed excellentiores ſeptẽ. Eſt enim Palatinus mons, Capitolinus, Auẽtinus, Cœlius, Eſquilinus, Viminalis, Quirinalis. Propertiusid uno cõprehendens carmine, canit: *Septem urbs alta iugis toto quæ præſidet orbi.* Ideoque à Græcis ſcriptorib. ἑπτάλοφος, Septicollis dicta eſt. Et quidẽ urbs pro toto uſurpatur Imperio. Ita quoq; plures fuerũt Imperatores & reges, qui ſeptenario numero cõprehẽſi ſunt: ſed certum eſt tamen, ſeptenariũ quoque regũ numerum in hiſtoria exactè inueniri. Principiò enim *Regnũ Romanum ſepticeps.*

enim Romę primũ extructę, reges ordine septẽ prefuerũt, Romulus, Numa, Tullus Hostilius, Ancus Martius, Tarquinius Priscus, Seruius Tullius, Tarquinius Superbus: quo eiecto propter constupratam à filio regis Lucretiam, regnatum est per Cos. Decem uiros, Dictatoresque, usq; ad Iulium, qui primus diadema regium iterum sibi usurpauit: post quem regnarunt Antonius & Octauianus, Augustus dictus, Tiberius, Caius, Claudius & Nero, rursus septem. In Nerone Imperium accepit plagam: inde rursus septem numerantur, Ottho, Galba, Vitellius, Vespasianus, Titus, Domitianus & Nerua. Ab eo deuolutum est Imperium ad Hispanum, Vlpium Traianum. Proinde non potuisset significantioribus notis notari imperiũ Romanum. Huic imperio imposuit & Daniel decem cornua, cùm quòd ex multis sit regnis collectũ, tum quòd in multa regna rursus sit dilapsum. De quo dicetur 17. cap. Vulgare est autẽ scripturis, per cornua significare regna & potentiam.

Romanum Imperiũ blasphemum.

Tribuit autẽ huic regno apertam impietatem Dominus Iesus, imò blasphemũ appellat. Nã subijcit, Et super capita eius nomen blasphemiæ: id est, quicquid uspiam & unquam excogitari potest blasphemiarũ, id totũ in hoc imperio, & in capitib. maximè reperietur cõspicuũ. Si enim inspexeris colles Romanos, in primis montẽ Capitolinũ, inuenies ipsum à Cicerone appellatum deorũ domiciliũ, nimirũ quòd omniũ ferè deorũ statuas cõtineret. In collibus enim illis uisebantur tẽpla Iouis Statoris, Tonãtis, Pistoris, Custodis, Feretrij, &c. templa Saturni, Iunonis, Mineruæ, Martis ultoris, Herculis, Iani, Veneris, Apollinis: Fortunæ item, Salutis, Victoriæ, Concordiæ, &c. Si uerò ipsos principes inspexeris, Caius uoluit statuas suas collocari iu templis, & iurari per nomen ipsius. Nero nomen Christi blasphemauit, & Euangeliũ cruore innocentum abolere cogitauit. Domitianus iussit se Deum & Dominum appellari. Postularunt & alij honores diuinos, homines blasphemijs madentes, & sceleribus fœtentes.

Potẽtia Romani imperij ex oppressis monarchijs.

Porrò imagine ex uarijs bestijs composita ostendit, quomodo creuerit, & tãtas uires acceperit Romanum imperium, quibusque sit moribus præditum. Apud Danielem in 7. cap. per pardum suffiguratur monarchia Macedonica, per ursum Persica, per leonem uerò Chaldæa uel Babylonica. Constat autem, Romanos superatis gentibus illis, & monarchijs deletis, sibiq; subiectis, in supremum peruenisse cacumen. Etenim Orientem subdiderũt sibi maximè per Lucullum, Pompeium & Crassum: Macedoniam, totamq; Græciam, per Paulum Aemylium: bonam Aphricæ partem per Scipionem & Marium: Aegyptum, per Octauianum Augustum, &c. Sicut autem in religione fuerunt impij: ita in moribus reliquis ferisimis quibusque belluis non dissimiles. Sicut enim pardalis aut panthera maculosa est ac uaria, ita Romani colluuies erant multarum gentium,

Romani bestiæ.

natarum quodammodo ad seditiones & cædes. Pedibus nõ modò incedit ursus, sed & ferit & rapit prædam: ita & Romani nihil aliud quàm feriebant, pugnabant, rapiebant. Vt autem leonis robur excellentissimum est inter quadrupedes, ac os leonis insatiabile & fœtidum: ita Imperium Romanum fortissimum fuit, auarum & inexplebile, ipsaque sanies & putredo scelerum.

Draco dat Romanis potestatem & thronum.

Ac significantius quidem exponit Ioannes, Romanos ex diabolo habere omnem illam impietatem, crudelitatem & conscelerationem: Draco, inquit, dedit bestiæ illi potentiam suam, & quidem magnam: dedit & thronum suum. Quod perinde est, ac si dixisset: Diabolus totus regnauit in Romanis, & Romani ex diabolo egerunt, quæ egerunt. Nam diabolus, est origo cædium & mendaciorum. De throno diaboli dictum est huius libri secundo capite. Sciendum est autem, omnem potentiam esse Dei: at hunc iusto iudicio permittere diabolo permulta in filios diffidentiæ. Paulus enim secundę ad Thessalonicenses secundo capite, cum loquutus esset de operatione sathanica potentissima, per signa & prodigia mendacia, quibus decipiendi sint qui noluerunt recipere ueritatem, mox subiungit: Propterea mittet illis Deus efficacissimam illusionem, ut credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, &c. Alioqui maximopere (quod sæpe monemus) cauendum, ne commisceamus Dei opera & diaboli. Bona ex Deo, mala sunt ex malo. Certè ne quis miretur, cur Deus tanta Romanis & diabolo ipsorũ capiti permittat, & uim ipsorũ propter electos nõ infrin-

Vnum ex capitibus uulneratur in mortẽ.

infringat,inserit Ioannes tristem casum populi Romani,& totius imperij, qui ipsis accidit, à prima mox persequutione in ecclesiam Christi commota, & post sublatos è medio clariss. apostolos, nimirũ in uindictam sanguinis innoxij. Videt enim unum ex capitibus quasi occisum in mortem. Nero enim qui primus primam ex Imperat. persequutionem in ecclesiam commouit, manu propria sese iugulauit. at hic Cæsarum ultimus fuit, in quo hæc familia desijt. Imperium autem ita afflictum reliquit, ut uideretur multis iam nunc ruiturum. Defecerunt prouinciæ aliquot. Conflixerunt inter sese ciuilibus bellis Galba, Ottho & Vitellius. Hic præterea Sabinum, Vespasiani fratrem, nihil mali suspicantem, unà cum Flauijs cæteris, in Capitolium compulit, succensoq; tẽplo, & iuxtà simul flamma ruinaq; omnes in unum pariter interitum ac tumulum dedit. Nec dissimulat Orosius, cur hæc facta sint, dicens: Mox luit Roma cædibus principum, excitatisque ciuilib. bellis, illatas Christianæ religioni iniurias.

Plaga mortis curata est.

Addit tamen Apostolus, plagam illam incussam rursus esse sanatam. Nã Sextus Aurelius Victor: Vespasianus, inquit, exanguem diu, fessumque terrarum orbem (uide quid sit, caput uideri quasi occisum) breui refecit. Hæc ille. Habes quid sit, quod dixit, plagam mortis esse curatam. Id enim historici alij copiosius persequentes, scribunt. In urbem reuersus Vespasianus, nihil clarius aut melius esse duxit, quàm propè afflictam uacillantemque rempub. stabilire & ornare, prouincias & ciuitates seditiose agẽtes coërcere, disciplinam militarem nimis licẽtiosam corrigere, in prauos animaduertere. Vrbem ueteribus incendijs & ruinis deformem, nouis ædificijs reparauit: Capitolium incensum redintegrauit: condidit & amphitheatrum media urbe, instrumẽtum uetustissimum imperij, &c.

Mundi stultitia & impietas.

Ad hæc perstringit modò grauiter mũdi stultitiam & impietatem: Et admiratio fuit in uniuersa terra, &c. Mundus enim sequitur præsentem felicitatem, & ex fortuna prospera uel aduersa æstimat res quaslibet. Nam illam religionem maximè illustrem ait, & firmam ac ueram, quæ clara est uictorijs, & splendet huius mundi ornamentis. Ergo propter maiestatem Romani imperij, quam admirabantur ut maximam, maior pars hominum Romanam religionem recepit, & ueluti sinceram defendit. Cæterùm Ioannes peccati huius enormitatẽ explicans, dicit: Et adorauerunt draconem, &c. Non dicit, Adorauerunt deos, aut lignum & lapides: sed, Adorauerunt diabolum. Idololatræ quidem dicunt, se Deos adorare & colere, nec ignorare, idola esse composita ex materia corruptibili, ideoq; deorum esse signa: redundare autem cultum quem illis exhibent, non in signa, sed in eos quorum sunt signa. Ita quidem loquuntur omnes idololatræ: quibus si dicas, Colitis lignum & lapides, mox excipient, magnam sibi fieri iniuriam. Se enim non adeò stolidos esse, ut quod proprijs fecerunt manibus, adorent, &c. Cæterùm apostolus, qui non ignorabat ciuiles illas expositiones, & tergiuersationem ingeniosam idololatrarum, liberè contra ipsos pronuncians, non illud spectat, quod ipsi pro se adferebant: sed illud magis, quòd iudicat Deus, & rei ueritas pronunciat, ac dicit, Et adorauerunt draconẽ. Sic Paulus 1. Cor. 10. Quæ gẽtes, inquit, immolant, nõ Deo immolant, sed dæmonijs. At gentes illud negabant. Deus autem iudicia & intentiones & negationes, hac in re, hominum, non curat, sed pro suo iudicio pronunciat. In Leuit. 17. dicit: Si mihi oblationes aliter obtuleritis, quàm ego præscripsi, sanguine uos cõmaculabitis, *ich wills üch für ein mord zů hnen*. Clament iam ad rauim usque sacerdotes excelsorũ, Domino Deo immolamus, non dijs alienis: sentẽtia tamen Domini ueri sima stabit in æternum, illegitimo cultu peccare istos, non minus quàm si parricidia designẽt. Quod & Isaias testatur cap. 66. Dominus Deus approbat sinceram, quam legibus ipsius præstamus, obedientiam, nihil moratur nostras cõmẽtationes & bonas intẽtiones. Ita in præsenti paucis quod res est dicit, idololatras omnes adorare dæmonem. Hæc si hodie rectius æstimaremus, non ita tanquam pro aris & focis certaremus pro imaginibus in templo conseruandis. Dominus Iesus illuminet nos.

Adorauerunt diabolum.

Ado-

Adoratur beſtia, & hæc blaſphemat nomen Dei, & ſanctos Dei, deniq; bellum gerit cum ſanctis.

CONCIO LV.

T adorauerunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poteſt pugnare cum ea? Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias: Et data eſt ei poteſtas faciendi menſes quadraginta duos. Et aperuit os ſuum in blaſphemiam contra Deum, ut blaſphemijs adficeret nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant. Et datum eſt illi, bellum facere cum ſanctis, & uincere eos.

Adoratur beſtia, & quomodo.

Dixit, mundum adorare draconem: addit modò, eundem adorare beſtiam. Cum autem beſtia ſit imperium, mirari quis poterat, quomodo potuerit adorari imperium? At nos paucis dicimus, illos adorare imperium, qui recipiunt decreta, ritus & ordinationes ſuperſtitioſas imperij, totiq; ab illis pendent. Erant autem illo tempore non pauci, qui in gratiam Romani imperij abnegabant fidem Chriſti, diſcedentes ex eccleſia, & coniungentes ſe in religione ac ſacris ſocietati imperij Romani: hi reuera adorarunt beſtiam. Præterea quod uni Deo debetur, id Romani ſuo tribuerunt imperio. Cæterùm quiſquis diuinas proprietates alicui rei tribuit, illam ſanè deificat & adorat. Dei autem proprietates ſunt, nõ habere parem, ipſum ſolum eſſe opt. max. immortalem, æternum, potentiſsimum, inuictiſsimum. Ita enim clamant prophetæ: Quis tibi ſimilis, ô Deus, in cœlo & in terra? Quis ſicut tu? Quis poterit reſiſtere Deo? Romani autem hæc omnia tribuerunt ſuis imperatoribus, & imperio ſuo, dicentes, ſicuti & Ioannes commemorat: Quis ſimilis Romæ? Quis poteſt pugnare cum ea? Appellarunt Imperatores ſuos diuos, opt. max. potentiſs. & inuictiſsimos. Regnum ipſum uocarunt æternum. Videre hæc licet adhuc in uetuſtiſsimis authoribus ac numiſmatibus. Itaque quotquot hæc Rom. principibus & regno non erubuerunt tribuere, beſtiam rectè adoraſſe dicuntur. Et quid fit oro aliud hodie, dum in gratiam imperatorum, regum, pontificum, regnorumq́ue, abnegatur ueritas, aut detorquetur ad affectus hominum? Adorant & hi beſtiam.

Os loquens grandia.

Iam etiam datur beſtiæ os loquens grandia, & blaſphemias. De blaſphemijs mox dicemus copioſiora. Quia uerò Rom. Imperiũ maximas conſequutũ eſt uictorias, & triumphos egit ſplendidiſs. celeberrimosq;, occaſio ipſi uidetur eſſe data ſuperbè iactandi uictorias, ſibiq́ue ea arrogandi, quæ reuera erant diuina peracta uirtute. Et quidé maximæ & licentioſiſsimæ extant Romanorum iactationes: Se eſſe orbis domitores & dominos. Peſsimè autem ſuperbia ceſsit regi Nabuchodonozori. De qua re uidere licet Danielem in cap. 4. S. Petrus clamat, Deum ſuperbis reſiſtere, gratiam dare humilibus. Odit Deus arrogantes, & excindit nomina ipſorum de terra.

Quàm diu inſoleſcat Roma?

Cum uerò quis interrogare poterat, Quis autem finis iniuriarum, ſuperbiæ, inſolentiæ denique intolerabilis, & blaſphemiarum? occupatione præuenit Ioannes, & ait: Et data eſt ei poteſtas faciendi, nimirum perrumpendi (*ſölichs alles zethůn, vßzůfüren, vnd zů volbringen*) menſes quadraginta duos: id eſt, tanto tempore, quanto uiſum eſt Domino: qui tamen, etſi nobis hoc tempus uelit eſſe incognitũ, apud ſe definitũ habet, ita ut pij ſibi polliceri poſsint, non niſi menſib. aliquot duraturum hoc malum. De hoc numero diſſerui cap. 11. Concione 46. & oſtendi in ſuperioribus illos numeros æquipollere, nempe dies 1260, menſes 42. Tempus, tempora & dimidium temporis. Aenigmaticè ergo admonens nos Deus, non uult nos curioſius inquirere in tempora, quæ ipſe in ſua ipſius poteſtate conſtituit. Satis nobis ſit, quod omnia iuſtis definiuit terminis.

De blaſphemijs ueteris Romæ.

Iam ſequitur copioſa tractatio de blaſphemijs Romanis. Principiò per tropum dicit, Aperuit os ſuum: quo audaciam ſignificauit, & dicendi libertatem, imò licentiam. Nam

& nos dicimus, *Er wil das mul nitt vfftůn*: cum significamus, aliquem nolle loqui liberè. Tripliciter autem blasphemant Deum Romani, & Romanæ superstitionis assectæ. Principiò enim ipsum nomen Dei sanctum in eo blasphemant, quòd suos deos falsos, & superstitiones suas, præferunt Deo uero, & religioni ueræ, sanctissimæq; Cum enim omnium gentium deos & cultus deorum in urbe Roma reciperent, solius Dei Israelitici cultum respuebant: quòd intelligerent, illum uelle coli solum, nec alio ritu, quàm illo ipso quem ipse præscripserat. Impiè autem maluerunt suos plures illos deos, cultumq; ipsorum licet absurdiss. retinere, quàm se tradere in tutelam unius, & recipere cultum moderatum & simplicem. author Aurel. August. Non commemoro nunc istorum blasphemas uoces, iactatas in Deum uerum, illo potissimum tempore, quo per Vespasianum & Titum, finito bello Iudaico, triumphatum est & de excisa urbe, & victo Dei populo. Ferebantur in triumpho uasa templi sacra, atque adeò Deus Iudæorum ueluti victus & uinctus duci uidebatur in Capitolium, supplicaturus Ioui opt. max. scilicet. Vnde intelligimus, non minus enormiter blasphematum fuisse tunc nomen Dei, quàm legitur olim blasphematum à Palæstinis, cum arcam collocarent in templum dei sui Dagon: item à Rapsake & Sanheribo, item à Baltazare rege Babylonis apud Danielem in cap. 5. Sed reperti sunt tandem nocentes.

Deinde blasphemarũt Romani tabernaculum Dei. Tabernaculum illud uetus populi Israelitici, non tantum erat officina, uel locus cultus & religionis, sed etiam signum diuinæ præsentiæ. Est autem Deus modò præsens in medio Ecclesiæ suæ, cui typũ præferebat tabernaculum testimonij. Ecclesiam uerò Christianam appellarunt Romani impiam, stultam, seditiosam, sacrilegam, execrandam: quam & grauissimè persequebãtur, & excisam modis omnibus cupiebant: huc etiam omnes uires conferebant.

Postremò blasphemarunt etiam cœlum inhabitantes, felices beatasq; animas sanctorum prophetarum & apostolorum, quos appellauerunt impios, seductores, turbatores pacis, blasphemos, hæreticos & piaculares homines. Nam hoc tempore, dum hæc scriberet Ioannes, plerique apostolorum sub imperio Romano iam fuerant sublati ac cæsi, tanquam pestes orbis: sed & damnata habebatur eorum memoria atq; doctrina. Intelligis uerò hinc, quàm indignè ferat Deus, si quis doctores pietatis & ecclesiarum sanctos magistros uel ministros, conuicijs incessat. Nam conuicium in se dictum esse, æstimat Dominus. Extant hodie adhuc huius generis blasphemię aliquot apud Corn. Tacitum Augustalium lib. 21, scripta in Mosen, & Dei populum. *Sancti Dei cõ uicijs adobruti.*

Præterea permittit Dominus bestię, ut bellum inferat sanctis, & uincat eos. Romanũ enim imperium usque ad tempora Constantini Magni decem persequtiones grauissimas commouit contra ecclesiam. De quibus legere licet Eusebium Cæsarien. episcopũ, & Orosium in historia quam scripsit ad sanctum Augustinum. *Bestia bellum infert sanctis.*

Pertinet autem hic locus præcipuè ad ecclesiæ informationem & consolationem. Nam fata ecclesiæ prædicit in Euangelio quoque Dominus, ad consolationem & institutionem piorum, uti liquet Ioan. 15 & 16. cap. Quomodo autem uincantur sancti, exposui in cap. 11. Dominus Iesus seruet suam ecclesiam.

De potentia Romani imperij, & qui adorent bestiam: ac de interitu excidio'ue Romæ, & imperij Romani.

CONCIO LVI.

ET data est illi potestas in omnem tribum, & linguam, & gentem, & adorabunt eam omnes qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Si quis habet aurem, audiat. Si quis in captiuitatem duxerit, in captiuitatem abit: si quis gladio occiderit, oportet eũ gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorũ.

De potẽtia Romani imperij.

De potentia quoque & maiestate imperij Romani loquitur Apostolus ex reuelatione Christi. Potẽtissimum quidem fuit imperium Rom. tempore Octauij Augusti, item imperio Domitiani, regnante denique Traiano, Hadriano quoque, Aureliano, Diocletiano & Constantino. Parebat ei potior habitati orbis pars, ur Europa uniuersa propè, Aphrica & Asia: id quod testantur historiæ Latinorum & Græcorum. Cæterùm admonet nos horum Dominus, ne curiosè perscrutemur Dei cõsilia, quiritãtes, cur Deus tantam Romanis concesserit potentiam, quos prænouit abusuros fore ad oppressionem ecclesiæ Christi? Cum enim dicit, potentiam Romæ esse datam, compescit omnium murmurationes. A' Deo enim sunt imperia. At hic est sapientiss. iustissimus, sanctissimus. Quòd ergo regna mundi Romæ subiecit, sapienter, iustè & sanctissimè fecit. Quod Romani ordinationem Dei corrumpunt, & se tradunt diabolo gubernandos, ex malo est.

Cessant hic disputationes nostræ. Sed & Sapiens dicit, propter peccata populi hypocritas & abominabiles regnare. Quòd uerò numerat tribus, linguas & gentes, facit ex imitatione prophetæ Danielis, qui huiusmodi phrasi significare solet imperium amplissimum.

Quid uerò hæc ad nos pertinent, aut quæ (inquis) ad nos redit utilitas, ex eo quòd imperium Rom. longè & latissimè extensum est per uniuersum orbem? Hæc nimirum, uidemus uaticinium hoc, omnia attigisse acu, quæ præcesserunt: nullus itaque relinquitur dubitandi locus de sequentibus. Consideremus item potentissima regna, quæ uidentur inuicta hominibus, à Deo posse dissolui nullo negotio. Discamus ergo Deum timere, & in mandatis eius ambulare, & terrena hæc aspernari.

Qui nam adorent bestiam.

Iam etiam significantius exponit, qui sint adoraturi bestiam. Dixit enim, homines in orbe admiratione bestiæ capiendos, & bestiam adoraturos: id modò illustrat, ac adorandi uerbum ita collocat, ut non tam de præsentibus quàm futuris exponere possis. Non enim de sui tantum temporis hominibus loquitur, sed de omnibus qui admiratione Imperij & maiestatis eius capti, fidem Christi uel negaturi uel cõtempturi erant. Dicit autem, adoraturos bestiam omnes qui terram inhabitant: & ne quis hoc ad omnes absolutè referret, quasi nemo uerorum Dei cultorum futurus sit, adijcit, Quorum nomina non sunt scripta in libro agni uitæ, nimirum reprobi, non electi: increduli inquam, qui uerbum Euangelij aspernantur, audire dedignantur, & in Christum rebelles sunt. Aretas interpres: Inhabitant terram, inquit, qui nulla cœlestium, uel gloriæ quæ ibi est, cura tanguntur: uel terrenæ habitationi, ac brutali iuxta eandem uitæ, seipsos accommodant. Thomas de Aquino adducit etiam testimonium ex Ieremiæ 17. Qui à me recedunt, in terra scribentur. Dereliquerunt enim uenam aquarum uiuentium, ipsum Dominum. De libro uitæ dixi cap. 3 & 5. Dicetur de eodem capite 19 & 20. Apocal.

Adiungit his insigne quiddam pro more apostolorum, quibus usitatissimum est, qualibet occasione oblata, celebrare & inculcare Christum, & mysterium redemptionis eius. Dicit ergo Ioannes, agnum esse mactatum siue occisum, & immolatum ab origine mundi. Extra controuersiam est autem, per agnum intelligi Christum.

Agnus mactatus ab origine mundi.

Quæritur ergo, quomodo occisus sit ab origine mundi? Multi se hic torquent. tandem exponunt, Christum in Abel, & in omnibus sanctis esse occisum, participatione, non passione. Certè ad literam locum hunc exponere non possumus. Non enim potuit occidi Christus, priusquã erat natus. Præterea asserit Apostolus, Christum à cõdito mũdo, non sæpius fuisse mactatũ. Legatur testimoniũ eius ad Heb. cap. 9. Nequit autẽ cum semetipso pugnare uerbum Dei constantissimum, ueracissimumq;. Dicimus ergo, iuxta communem scripturas exponendi canonem, symbola rerum significatarũ nomina usurpare. Etenim agnus dicebatur transitus & præteritio, cuius erat symbolum: sic circuncisio ipsum appellatur fœdus. sacrificia dicuntur peccata. Ita sanè ab exordio mundi mactata sunt sacrificia, quæ erant symbola Christi incarnandi, & semel offerendi pro expiatione peccatorũ. Intelligimus ergo ex hoc Christi testimonio, omnia ueterũ sacrificia Christi fuisse sacramenta, & Christi redemptionem ab exordio mundi efficacẽ fuisse omnibus fidelibus. Proinde insignis & obseruabilis est hic locus. Huc pertinet testimonium

nium apoſtoli 1.Cor.10.dicentis, omnes patres noſtros eandem nobiſcum eſcam ediſſe ſpiritalem,& eodem potos eſſe potu.Bibiſſe uerò de petra eos conſequente, quæ quidem fuerit Chriſtus.

Et hactenus diſſeruit de Imperij Romani maieſtate, blaſphemijs & peccatis.Sequitur porrò de interitu tanti Imperij,& ſupplicijs ſcelerum.De quibus tamen rurſus & in 17.cap.nonnihil dicetur. *De Romani Imperij excidio.*

Excitat autem acclamatione, in Euangelio uulgatiſsima, & quaſi propria Chriſto, auditores omnes,& clamat:Si quis habet aurem,audiat.Mirum certè,& incredibile uidebatur hominibus,tantam potuiſſe ruere maieſtatē:ſed corruit.Mirabantur & fideles, & quis futurus eſſet finis blaſphemiarum,cædium,iniuriarum,abominationum. Præterea inſignis & memorabilis eſt doctrina,quæ ſequitur,omnibus modis retinenda.excitat ergo ad attentionem omnes homines, deinde ſubijcit: Quiſquis captiuitatem collegerit, in captiuitatē abibit: quiſquis gladio percuſſerit,&c.Sic enim excidium Romæ & Romani imperij exponit, ut ſimul iuſtitiam iudicij diuini aſſerat. Simul etiam mira breuitate, ſententiæ diuinæ contra Romam latæ uel pronunciatæ, immenſam illam abſorbet potentiam.Eſt autem lege Dei, lege naturæ & lege omnium gentium receptum pro æquiſsimo, ut quiſque expectet ſibi irrogādum,quod alteri intulerit. Huc enim pertinet ſententia à Noe commemorata Geneſis 9. Qui effundit ſanguinem, huius ſanguis effundetur.Repetitur eadem Iſaiæ 33.Væ qui prædaris,non ne & prædaberis? Teſtantur hoc Niniue apud Nahum,& Babylon apud omnes prophetas.Ergo Dominus in Euangelio docuit:Quod uolueritis ut faciant uobis homines, hos facite illis quoque.Qua menſura alijs menſi fueritis,eadem remetientur uobis alij. Quiſquis gladium ſumpſerit,gladio peribit.Aequiſsimum ergo eſt,ut cum Roma totum orbem deprędata ſit,& omnes gentes infeſtarit, & omnibus cruenta arma intulerit: uiciſsim ab omnibus gentibus impetatur, diripiatur,laceretur & conculcetur. Obſeruemus hoc Dei iudicium,& timeamus Deum,& benefaciamus hominibus.Nam lata eſt hic ſententia contra omnes homines iniuria afficientes proximos ſuos,maximè uerò infeſtantes innoxios bellis iniuſtis,mercenarijsque,&c.

Repetendum porrò ex hiſtorijs aliquid, unde ueritas huius prophetiæ agnoſcatur & intelligatur rectius.Cum clariſs.princeps Cōſtantinus gubernacula Imperij recepiſſet,Romam ueluti exhorrens,Conſtantinopolim extruxit, & ueluti domicilium Imperij parauit.Cœpit autem ab eo tempore maieſtas Romæ ad ruinam ſe inclinare. Sub principe Gratiano,prudentiſs. alioqui, barbari magno fuere terrori Romanis,unde & Gratianus eos ſibi fœdere coniunxit. Stilico Honorij ſocer, homo Vandalus,ſtipendia imminuit Gotthis,& alijs Romani populi ſocijs:quam ob rem ad arma proruerunt: pacati tamen iterū,Stiliconis & Saulis ducis malitia excitati rurſus ſub regis ſui Athalarychi ductu Romam feſtinant,obſident, obſidione fatigant per biennium, tandem capiunt atque diripiunt. Multis hanc obſidionem & direptionem in epiſtolis ſuis deplorat Hieronymus. Oroſius de eadem copioſe & Chriſtianè ſcribit,hiſtoriarum lib.7. cap.29.&c. Capta refertur Roma prima die Aprilis,anno 412. Mox tamen Gotthi relicta urbe in uicina lǫca mouent: denuò tamen furore inflammati, reuertuntur,& grauius, ſub duce Athaulpho, Romam afflixerunt ac deprędati ſunt. Statuerat Gotthus, Romano nomine deleto,urbem appellare Gotthiam,niſi à Galla Placidia Honorij filia fuiſſet retractus. Paucis intercedentibus annis Roma occupata eſt iterum à Genſerycho,Vuandalorum rege:& quæ omnium gentium ſpolijs fuerat ditata & referta,per integros dies 14. exhauriebatur. Superuenit deinde cum Germanis Odacer: expunctoq; Imperatorio nomine,ipſe rex urbi præfuit ad annos circiter 15. Pepulit hunc, atque trucidauit Theodorychus Veronenſis,& cum Oſtgotthis ſuis regnauit circiter annos 50. Recuperabatur inde à Belliſario, Iuſtiniano Imperatori Græco, ſed in perniciem Romæ.Nam Totilas Gotthus exercitum Græcum & Rom. fudit ad Placentiam: deinde Romam obſedit,irrupit,cæpit,diripuit,diruit atq; incendit. Arſit urbs dieb.13.nec fuit in ea quiſquam hominum per dies quadraginta. Legatur Sabellicus Enneade 8.libro quarto.Copioſiora fortè dabo de excidio Romę in cap.17. Itaq; intra annos 136 ſepties *Interitus Imp. Rom. & Romæ.* 333. 381.

uenit Roma in alienas manus,ac direpta est crudelissimè, gladioq; cecidit, & abducta est in captiuitatē:quæ diu gladio percussit,atque in captiuitatem abduxit omnes gentes.Iustum hoc fuit Dei iudicium.

Consilium quo modo se pij gerant in tantis malis.

Subijcit autem doctrinam Ioannes, quomodo se pij gerant in tantis turbis & difficultatibus. Hic, id est regnantibus, imò sæuientibus Romanis, deinde in funestis & cruentis illis mutationibus,Romaniq́ue Imperij excidio,opus erit sanctis patientia,siue perseuerantia & fide. Hæ duæ uirtutes seruabunt fideles, ne & ipsi pereant.De patientia loquitur apud Lucam Dominus:In patiētia uestra possidebitis animas uestras. Lucę 21.De fide loquitur beatus Ioannes:Et hæc est uictoria,quæ uincit mundum,fides uestra.Impatientia & incredulitas multos in abnegationem,in idololatriam,& in omnem impietatē abstraxit.Ita quoque discimus,quomodo & nostro tempore nos armemus contra omnem impietatem.Dominus liberet nos à malo.

De alia bestia,quæ ascendit ex terra:id est,de Antichristo.

CONCIO LVII.

Tuidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo,similia agni: & loquebatur sicut draco.

Quis finis huius prophetiæ.

Apostolus Paulus diserte testatur,ea quæ scripta sunt,ad nostram doctrinam esse scripta,ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus: unde oportebit præsentia quoq; illuc referre. Christus enim omnium Dominus,cùm præuideret quantopere sathan per electa sua organa,uetus & nouum Rom. imp.afflicturus erat ecclesiam,de singulis diligēter monere uoluit, ut inde omnes afflicti patientiam discerent, consolationem denique & spem conciperent,neq; frangerentur mole malorum. Sicuti ergo diligenter descripsit uetus Rom. imperium, & quanta mala irrogaturum erat ecclesiæ,ceu digito ostendit, omnesq; fidei & patientiæ admonuit: ita describet porrò Papatum seu Antichristianismum, qua descriptione ponit ob oculos, quæcunque passuri sunt sancti:ut scilicet præmoniti, fortius ferant persequutionem,minusque succumbant tribulationibus.

Rom.15.

Secunda bestia non prodit,nisi sublata prima.

Pulchrè autem Antichristianismum post laceratum & sublatum Imp.Romanū proponere incipit. Nam Daniel dicit, corniculum exile & contemptum oriri inter decem cornua,& ex his humiliare,euellere atque tollere cornua tria, atque ita emergere in ualidam potentiam.Significat enim,diuiso Romano Imp.& iam ueluti dilapso,oriturum Antichristum,qui nouum sibi, imaginariumque paret imperium. Sed & Paulus dicit, Christum non uenturum in iudicium, nisi Antichristus præcesserit: hunc autem non præcessurum,nisi hoc tollatur è medio,quod iam, quo minus ueniat, detinet & impedit.Id S.Hieronymus & reliqui interpretes sacri exponunt de Romano Imp. quod diuelli tolliq́ue oporteat,deinde uerò oriturum Antichristum. Destructa est autem Imperij maiestas circa annum Domini 480, cum Odacer Romam occuparet. Inde enim per 300 annos & amplius,nullus ab Augustulo fuit Occidentis Imperator.Quib.accedit,quòd à Totila sub Iustiniano Imp. Rom. combusta & desolata est.Inde uerò cœperunt Romani pontifices cristas erigere,& de nouo regno cogitare.

2.Thess. 2.

Bestia secunda ex terra.

Ideoque Dominus dicit,oriri hanc bestiam ex ipsa terra. Domini nostri Iesu Christi regnum oritur ex cœlo,& deducit ad cœlum.Papatus nec ex Christo, neq; ex doctrina eius ascendit,sed ex terra:id est,ex malis artibus,ambitione,auaritia,proditione & crudelitate. Quales instituerit Christus ministros ecclesię, nullo negotio intelligitur ex Euāgelio Iesu Christi.Quòd his prohibuerit dominatū,primatū,& ut uocāt, maioritatem,claret ex Matth.18 & 20.cap. itē ex Lucę 22.cap.Ergo testātur Acta apostolica & doctrina Petri, Petrū ministrū fuisse, nō dominū apostolorū,nedū Romanæ urbis aut imperij principē.Mentiūtur enim,qui dicūt,Romā & Italiā Petri esse patrimoniū, à Domino ipsi concessum. Ab initio apostoli & uiri apostolici, ecclesiarum ministri,ex æquo gubernabant ecclesias,nec alter alteri se præferebat. Id quod multis testimonijs uetc-

rum

rum demonſtrare poſſem,ſi neceſſe eſſet.Circa concilium Nicęnum,& paulo antè,cum multiplicarẽtur eccleſiæ, non aſpernanda, ſed tamen humana ordinatione, conſtituti ſunt,& per conſuetudinem recepti metropolitani:id eſt,in prouincia aliqua ordinatus eſt in primaria urbe epiſcopus uel paſtor, qui cæteris ueluti præſideret, imò omnibus inſeruiret in indicendis ſynodis uel cœtibus.Diligentur interim cautum eſt,ne Primas appellaretur:ne quis exiſtimaret, ipſum alijs prælatum poteſtate, niſi ordine. Nec erat Romanus epiſcopus tum reliquis omnibus præpoſitus: ſed plures erant metropoles, in quarum numero & Roma erat. Concilium Nicænum illam conſuetudinem confirfirmauit,ac ratam haberi uoluit.Socrates in hiſtoria ſua Eccleſiaſt.lib. 5.cap.8. plures in Aſia commemorat metropoles.S.Hieronymus ad Euagriũ, & in epiſtola ad Titum diſertè dicit,olim communi presbyterorum conſilio eccleſias eſſe gubernatas,& eoſdem fuiſſe presbyteros,quos epiſcopos:poſtea ex conſuetudine eccleſiæ, non ex diſpoſitionis Dominicæ(uerba refero Hieronymi) ueritate,presbyteris prælatos eſſe epiſcopos, attamen in commune regere debere eccleſias.

Ex illa uerò conſuetudine, imò ex abuſu conſuetudinis, exordia ſua deduxit Antichriſtus,è terra exortus.Etenim cœpit antiſtes Romanus Bonifacius, primus ſibi dominium uendicare in eccleſias Aphricæ.Verùm mox repreſſus eſt authoritate Concilij Aphricani 6,in quo fuiſſe legitur & Auguſtinus:poſtea uerò cœpit & antiſtes Conſtantinopolitanus ſibi uelle uendicare primatum, eo potiſsimum nomine,quòd regia tũc, & prima imperij ciuitas eſſet Conſtantinopolis.Verùm hic ſe oppoſuerunt epiſcopi ali quot:inter quos & Leo erat, ueteris Romæ antiſtes.Extant huius aliquot epiſtolæ ad Imper. Conſtantinop.ad orientis epiſcopos & alios.Itaque ſedata eſt tunc quoque illa turba.Sed mox ambitione cæcatus alius Conſtantinopolitanæ urbis epiſcopus,de nouo primatum ſibi tradi poſtulauit. oppoſuere ſe huic Pelagius & Gregorius, Romani præſules:& hic ita oppugnauit Conſtantinop. præſulis primatum,ut non dubitarit dicere, eum eſſe Antichriſti præcurſorem,qui ſibi uniuerſalis epiſcopi titulum uendicet. Extant eius epiſtolæ non paucæ hac de re ſcriptæ,in Regeſto eius.

Quomodo emerſerit Ro. epiſcopus in ſublime.

Nihilominus paucos poſt annos, cum Romani prędules miſerè metuerent, ne ſumma dignitas deferretur Conſtantinopolitanis pontificibus, impetrauit à Phoca Imp. parricida,Bonifacius 3.ut ipſe qui eſſet ueteris Romæ pontifex,haberetur pro uniuerſali epiſcopo,& Roma pro capite eccleſiarum: quæ conſtitutio Pontificem in authoritatem extulit,ut iam haberetur apoſtolicus ab occidentalibus pleriſque,ipſiſque plurimę deferrentur cauſſæ dijudicandæ:qua re animos multorum ſibi principum conciliauit, Francorum maximè,quorum opera & Gręcum imperatorem,& Longobardorum principes Italia eiecit,Romam uerò & potiſsimam aut florentiſs.Italiæ partem in ſuam poteſtatẽ redegit. Sic inquam è terra aſcendit beſtia ſecunda.

Apoſtolicus.

Porrò beſtiam appellat Chriſtus Romanum Papatum,quòd auaritia, tyrannide,crudelitate,adeoque beſtilitate nihil differat à ueteri beſtia,de qua dixi ſuperius.

Beſtia.

Hactenus de origine Antichriſti ſiue Papatus,nouiąue Imperij:pergit porrò beſtiam illam alteram graphicè deſcribere Ioan.ut illam agnoſcamus omnes,& fugiamus: & de poteſtate Antichriſti primùm differit.

Habebat,inquit,beſtia illa altera cornua duo:& addit, Similia agni.nam de his dictũ eſt cap.5 huius libri.Significat autem Dominus ſacerdotium & regnum, quæ Pontifices ſibi uſurpant, aſſeuerantes ſibi poteſtatẽ datam in cœlo & in terra,in rebus ſpiritualibus & temporalibus.Ideo enim & in inſignijs ſuis duas claues,id eſt duo cornua præferunt.Iactant ſe habere gladios duos.De quibus blaſphemijs,qui ad plenum inſtrui uelit,legat beſtiarum uerba, Bonifacij 8. in ſex. Decr.de Maiorit.& obedien. Vnam ſanctam:rurſus Clementis 5.in Clement.lib.2.Tit.9.de Iureiurando: denique Gregorij 9. uel potius Innocentij 3.lib.1.Tit.33.De maior.& obedient.Solitæ.Commemorant omnes hiſtoriæ, Bonifacium 8, anno Domini 1300, inſtituiſſe primum Iubileum, & in eo palàm coram populo oſtentaſſe pontificiam & imperatoriam maieſtatem,dum altera die Pontificis habitu apparuit, altera paludatus & imperatorio ornatu redimitus ſe ſpectandum exhibuit.Prætulere illi duos gladios.Clamauit & ipſe,Ecce duo gladij hic:

Habebat beſtia cornua duo.

quasi digito ostenderet toti mundo, se suosque aliquot antecessores ac omnes sequaces, illam esse bicornem bestiã. Quid quod omnes ab eo creati episcopi, mitras uel infulas gerunt in capitibus bicornes? Nisi ergo Tiresia simus cæciores, oculis nostris cernimus, quis sit magnus ille Antichristus.

Similia agni. Obseruandum autẽ, quòd non dicit, cornua illa agni esse. Retinet enim Christus & sacerdotium & regnum apud fideles in ecclesia: nec ulli alij resignat, nullum uicarium constituit. Nam in momenta ad dexteram patris obit regis & pontificis munia, & sentiunt hoc omnes fideles cum gaudio. Dicit ergo, Similia agni. Vult enim Pontifex credi ab omnibus, se à Christo accepisse sacerdotium & imperium, se esse Christi uicarium: cũ nihil sit minus. Vbique ille iactat, se pastorem esse magnum, & claues se regni cœlorum accepisse: idque ab ipso Dei agno, in apostolo Petro: ideoque ipsi subiectos esse omnes episcopos, omnes denique reges & principes & populos.

Loquebatur sicut draco. Pergit indicare præterea, qualis sit Antichristi sermo, qualis doctrina, quale eloquiũ. Loquebatur, ait, sicut draco. Draco, diabolus est, sicuti superius clarè est ostensum. Tribuit ergo Antichristo uel papatui doctrinam diabolicam, uel os sathanicum. Videndũ ergo, quomodo loquatur diabolus: ut sic rectè intelligamus, quomodo loquatur Antichristus. In paradiso sermonem suum sic temperat, ut in dubium uocet certitudinẽ & ueritatẽ uerbi Dei, atq; ea occasione suum uerbũ in locum uerbi Dei reponat. An ita habet, inquit, quod Deus uobis prohibuerit, uitæ periculo, ne edatis de fructu arboris scientiæ boni & mali? Quin potius si ederitis, Deo pares reddemini. Ad eundem uerò modũ Antichristus in suo papatu in dubium uertit ueritatem scripturæ, quam modis omnibus imperfectam, mutilam, obscuram & dubiam infamat. At mox ex illa occasione suas traditiones & constitutiones inducit, quibus farciat quod scripturis deesse contendit. Cæterùm traditionibus, contraria uerbo Dei asserit, atque ita homines decipit. Sciunt autem omnes, uersati in rebus Papisticis, primarium omnium papismi rerum principium & fundamentum esse, scripturas esse mutilas & obscuras, & ideo opus esse traditionibus. Præterea contradicit palàm draco legibus Dei: contradicit manifestè & Papa. Deus uult se solum adorari, coli & inuocari: Papa addit ei diuos. Deus prohibet idola & idololatriam: Papa præcipit disertè. Deus uult nomen suũ sanctificari, & iurari per nomen eius duntaxat: Papa dispensatione iuramentorum prophanat nomen Domini, atque per nomina deorum sacramentũ præstare mandat. Deus iubet sabbathum religiosè colere: Papa hoc in contemptum adducit, suas ferias euehit, & festa duplicia condit. Deus præcipit honorare parentes: hoc abrogat Papa, & pluris facere iubet abbates & abbatissas. Deus mandat, Ne occideris, mœcheris, aut furtum feceris: Papa indulgẽtias largissimas ad bella temeraria, & suo susceptа arbitrio, suis militibus concedit, omnes ecclesias sacrilegijs suis deprędatur: adulterijs, stupris, ut ne quid dicam turpius, suo imundo cœlibatu, orbem opplet. Cumque Deus mendacia inhibeat, & falsa testimonia: Papa, & doctrina eius tota (quam scilicet extra Scripturam tradit) est consuta ex mendacijs: nec tantum dispensat cum falsis testibus, sed & publicam fidem datam uiolare concedit: & subditos à sacramento fidelitatis, si principem oderit, absoluit: concupiscẽtijs omnibus frena laxat, leges q; promulgat, quæ desideria carnis foueant. Quod nam

Matth. 4. uerò fuerit os draconis, si hoc non erit? Loquutus insuper legitur draco, & dixisse Domino: Hæc omnia tibi dedero (ostendebat autem regna mundi) si procidens adoraueris me. Quid uerò aliud loquitur Papa? An non opibus huius seculi ditat obedientes filios, ac ad oscula pedum proruentes? Nunquam opinor diabolum tam impudentem futurum, qui pedem ad oscula Domino obiectet: at bestia illa in conspectu Dei, angelorũ eius, & totius orbis, audet exerere pedem, signo crucis interim (nimirum magno cum ludibrio) signatum & ad oscula omnibus filijs Dei proferre. Horrendas & infinitas ex Decretis & Decretalibus blasphemias proferre non possum. Pudet me impietatis. Quis ergo non agnoscat in hac bestia sathanam ipsum furere? Deus citò supplantet illam. Amen, Amen.

Rursus

Rursus de potentia Antichristi, & quomodo adoretur bestia prior.

CONCIO LVIII.

ET potestatem prioris bestiæ omnem facit in conspectu eius: & facit terram & inhabitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.

Iterũ de potestate bestiæ secũdæ, uel Antichristi ac Papatus disserit. Facit, inquit, potestatem prioris bestiæ: id est, eam exercet potestatem, quam uetus Roma num imperium exercuit. Quod addit, In conspectu eius: Aretas exponit, Eueſtigiò illá subsequendo, adeoque imitando. Qualem uerò exercuerit, antea exposui suo loco, circa principium huius cap. Ergo sicuti Romani principes omnia regna & prouincias omnes ad se pertinere, & suas esse existimauere: sic & pontifices Romani omnia regna sua esse iactitant. Nihil hic affectui aut odio indulgeo. Prodijt nuper, aut ante annos aliquot, Lugduni impressus liber, Augustini Steuchi bibliothecarij sedis Romanæ, in quo ex Registro cuiusdam Gregorij (septimum esse arbitror) recitat omnia Europæ regna, Hispanias, Angliam, Gallias, Daniam, Pannonias, &c. Quarum proprietas pertineat ad sedem illam, usus ad principes, sedis illius uasallos. Sæpe conati sunt Pontifices & orientis regna sibi & sedi suæ subijcere idque prætextu Sacri belli, & recuperandi sepulchri Dominici. Quemadmodum uerò Romani perpetuis bellis fatigarunt gentes, non agnoscẽtes aut recusantes Aquilas Romanas ueteres: ita sedes nostro seculo, & memoria patrum nostrorum, negotium fecit regnis, gentib. & populis, defectionem à sede molientibus, & claues illas geminas, id est, cornua duo nõ agnoscẽtibus. Quis enim nesciat quàm crudelia bella intulerit olim Bohemiæ? Quis ignoret, quid superioribus annis passa sit Germania & Anglia? Ita certè ueteris bestiæ tyrannidem exercet egregiè bestia secunda. Vetus belua uulgauit edicta de religione, & de tributis uectigalibusque pendendis, euacuauitque omnes propè prouincias, Romam delatis ipsarum facultatibus. Quid uerò aliud hodie facit sedes illa? Quid fecit iam annis, ut minimum supputem, quingentis? *Rom hat allenthalben ſuber vffgerumpt.* Quis ergo non uideat, secundam bestiam primæ bestiæ potestatem exercere abundantissimè? Lusit quidam carmine, auaritiam & impostoras taxans Romanas: cumque Roma prædicet se caput esse mundi, canit ille:

Potestatẽ prioris bestiæ exercet posterior.

Si caput à capio, uel dixeris à capiendo,
Tunc est ipsa caput: omnia namque capit.
Si declinando capio capis, ad capiendum
Retia laxauit retia larga nimis.

Addit his aliud, secundam hanc bestiam procurare, ut inhabitantes terram adorent bestiam primam. Quod quidem duplici ratione in Papatu uidemus impletum. Principiò enim, huiusmodi authoritatem ac reuerentiam imperio Romano, quod & sacrum & sacrosanctum appellant, parauerunt Papistæ, ut quotquot ferè nunc uiuunt homines, cum uel nomẽ audiunt Romani imperij nominari, diuinum aliquid, & ex cœlis ipsis delatum, imaginentur. Fateor, plures fuisse principes illustres, pios & laudatissimos, in illo imperio: quales fuisse constat Constantem, Constantinum cum liberis aliquot, Gratianum, Valentinianum, Theodosium, & alios nonnullos. Fateor, sacrum sub his & similibus fuisse imperium, & quidem Christi fuisse imperium. Nam agnoscebatur uera fide Christus: sed interim cernimus, Dominũ Iesum nihilominus, sicuti & Danielem, imperiũ illud appellauisse bestiam, certè per synecdochen & propter tyrãnos. Prudenter ergo & iustè singulis suum illud uidetur tribuendum, neq; promiscuè amplexandum & adorandum illud sanguinolentum imperium pro sacrosancto. Sed & nos superius exposuimus, quatenus regna sint à Deo, & quatenus probanda sint opera illorum qui in regnis uersantur. Dicetur eadem de re paulo pòst copiosius.

Qui adorent bestiam primam.

Deinde uerò facit secunda bestia homines adorare primã, in hoc maximè, quòd Papatus ethnicismum, mutatis duntaxat nominibus, reduxit. Dixi enim superius, primam

Papatus reduxit gentilismũ.

beſtiam adoratam eſſe, per id quod Romanam religionem receperũt miſeri homines, & idola adorauerunt. Ethnici quidem fatebãtur eſſe Deum ſummum, opt. maximum: ſed huic adiungebant plures deos, quibus elementa, morbos, artes, prouincias, urbes, membra hominis, & alia eius generis ſubijciebant. Ventis præerat Aeolus, mari imperabat Neptunus, terræ præſidebat Pluto, bellis Mars, artibus Minerua cum Apolline, morbis Aeſculapius, Hercules, & plures alij: amores & coniugia conciliabat Venus, & pronuba Iuno. Nec erat in corpore membrum, quod non haberet deum ſuum: ſic ſingulæ prouinciæ & urbes, ſuos habebant deos tutelares, ſingulæ ædes habebãt ſuos lares. His deinde fabricabant idola, id eſt ſigna & memoracula, quæ diuos ipſos cœlites reuocarent in memoriam terrigenis. Extruebant his ſacella & templa, inſtituebant ſacerdotia, feſta, ſacra & cultus. Reperiuntur hæc in libris gentilium, & noſtrorum hiſtorijs, ac libris eorum qui confutarunt gentes idololatras. At hodie in Papatu, mutatis duntaxat hominibus, quis negauerit eundem eſſe cultum, eandem religionem, imò ſuperſtitionem? De his quondam copioſe diſputaui in libro de Origine erroris. Docent Papiſtæ, diuos in cœlis cum Deo regnare, & his ſubditos eſſe morbos, artes, artus uel membra, urbes & omnia, ideoque inuocandos & colendos. Significantur & repræſentantur diui ſimulachris, extruuntur ſimulachris aræ & templa: breuiter, fit his quod factum eſt dijs & idolis gentium. Quis ergo iam non intelligat, Antichriſtum procurauiſſe ut adoretur beſtia prima: id eſt, ut ualeat iterum, & ferueat uetus idololatria & cultus ſuperſtitioſus?

Qui adorent beſtiam primã ſub ſecunda.

Sicut autem ſuperius dictum legimus, Et adorabant eam omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro uitæ agni: ita diſertè hic quoque dicit, Et facit terram, & inhabitantes terram, id eſt, terrena duntaxat quærentes & reſpicientes, adorare beſtiam primam. Non enim omnes polluuntur idololatria Papiſtica. Huc enim pertinet memorabilis hiſtoria Leonis tertij Imperatoris, & Gregorij ſecundi, aliorumque Pontificum, quorum improbitate rurſus in eccleſiam introducta eſt idololatria: quam ego olim retexui in lib. noſtris de Orig. erroris.

Cuius curata eſt plaga mortis.

Neq; uerò ſine myſterio his adiunctum legimus, Cuius curata eſt plaga mortis. Etenim uidetur inter ſe conferre primam & ſecundam beſtiam, ſimilitudinemque ipſarum commonſtrare. Dixi autem, plures ab initio homines in erroribus Romanis & idololatria retentos eſſe, quòd Dij, opera Veſpaſiani, dicebantur ſeruaſſe rempub. quæ alioqui ciuilibus bellis iam ueluti corruerat. Denique legimus in hiſtorijs, non rarò Romanum imperium plagas accepiſſe mortiferas: ſed mox tamen quorundam heroum ſapientia & robore, dijs ſcilicet (ut loquuntur) aſpirantibus, eſſe curatas. In eo catalogo numerantur in primis L. Septimius Seuerus, Valerius Aurelianus, C. Aur. Val. Diocletianus, &c. quorum felicitate triumphis & reſtitutione imperij, commoti pleriq; clamabant, Quis non uideat, Romam fore æternam, & religionem Romanam dijs eſſe gratiſsimam, Imperatores item & rempub. eſſe diuinitate quadam tinctam, & adorabilẽ? Ad eundem modum Papatus diuerſiſsimos expertus caſus, ex deſperatis emerſit ſæpiſſimè periculis. Afflixit illum robur & ſapientia, denique religio Henrychi 3 imper. & filij eius Henrychi 4. Exercuit Papas Friderychus primus & ſecundus. Fuerunt & alij principes potentes, qui uulnera ſedi inflixerunt mortifera. Fuerunt rurſus Pontifices, qui ſingularibus artibus uulnera inflicta rurſus curarunt: quales fuerunt, Gregorius 7, Vrbanus 2, Paſchalis 2, Calixtus 2, Alexander 3, Innocentius 3, Honorius 3, Gregorius 9, Clemens 4 & 5, Bonifacius 8, Ioannes 22, & alij nonnulli. Quid quod omnium periculoſiſsimè laborare olim uidebatur ſedes illa, dum tres eſſent creati Papæ: quorum unus in ipſa ſede reſidebat, alter Auenionam in Galliam ſeceſſerat, tertius in Hiſpanijs uiuebat? Sed deiectis his omnibus, potentia, ſedulitate, authoritate & artibus Imper. Sigiſmundi, & concilij Conſtantienſis, plaga illa mortis egregiè curata eſt in Martino 5. Atqui hæc felicitas, hæc reparatio papiſmi, multis perſuadet efficaciter, papiſmum eſſe à Deo, & religionem Papiſticam certiſsimam eſſe religionem, ueriſsimamque: utpote quæ toties & à tam potentibus petita principibus, concuti quidem, ſed non potuerit deijci. Nota eſt omnium Romanenſium acclamatio: Nauicula Petri concutitur quidem, at ſubmergi nunquam poterit.

Curata uulnera Papatus.

poterit. Cæterùm hoc futurum ipſe quoque Daniel prædixit, dicens: Et proſperabitur & faciet, & interficiet robuſtos & populum ſanctorum, ſecundum uoluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius. Quæ quidem non obſeruant, qui hodie tantopere offenduntur felicitate illa ſedis peſtilentiæ & beſtiæ eius. Sicuti uerò dies luctus & repentini interitus Romæ ueteri ueniebant, & funditus urbem & imperium exhauriebãt: ita audiemus cap. 17 & 18. ſua fata Babylonem manere. Dominus Ieſus confirmet nos in fide Ieſu Chriſti, & liberet nos à dolis, ſucceſſu & fœlicitate Antichriſti Romani. Amen.

De ſignis Antichriſti, & imagine beſtiæ ab eo excitata.

CONCIO LIX.

ET facit ſigna magna, ut etiam ignem faciat deſcendere de cœlo in terram in conſpectu hominum. Et ſeducit homines habitantes in terra, propter ſigna quæ data ſunt illi, ut faceret in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem beſtiæ: quæ habet plagam gladij, & uixit. Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ. Et faciet, ut quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur.

Pergit diligentiſsimè deſcribere Antichriſtum, & regnum eius, quod tantopere oppugnat fidem Chriſti, ac affligit eccleſiam eius, in hoc, ut agnoſcatur & caueatur ab omnibus.

Dicit illum magna effecturum ſigna. Per ſigna intelligit miracula. Sunt autem ſigna alia quidem uera, alia uerò falſa. Vera uoco, quæ reuera fiunt, & nullis artibus malis aut præſtigijs adulterata ſunt, & quæ ad ueritatem reuocant, & ueritatem propagant. Cuius quidem generis dubium non eſt fuiſſe ſigna prophetarum, apoſtolorum, ſanctorum martyrum, & in primis Moſis & Chriſti. Benefaciunt hæc hominibus, nullo damno afficiunt, oculos miſerorum non expilant: adde quòd Deum glorificant, & fidem faciunt ueritati, unicè ad Deum, ut ad fontem omnium bonorum, attrahendo. Sic de ſigno Domini primo in Cana Galileæ edito teſtatur Ioannes, & ait: Hoc edidit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Verum fuit hoc ſignum, nullo ſuſpectum præſtigio. Beneficium fuit tenuioribus collatum coniugibus. Eodem glorificatus eſt Deus. Commoti hoc, & interius quoque trahente Dei ſpiritu, crediderunt Chriſto diſcipuli eius. Ita omnia ſigna uera teſtantur Chriſtum eſſe ſalutarem & beneficum, & ideo ſolum inuocandum & colendum. Sic ſignum quod Petrus & Ioannes in Actis 3. cap. edunt, ipſimet interpretantur. Talium uerò ſignorum infinitam habemus copiam in hiſtoria Euangelica, apoſtolica & eccleſiaſtica: nec alium omnia illa finem habent, quàm credendum eſſe in Dei filium, ut qui ſolus uiuificare, & omnia bona conferre poſsit. *De ſignis ueris.*

Falſa ſigna uoco, quę uel artib. præſtigijs ue ſathanicis, dolóue & impoſtura hominũ ſceleratorũ fiunt: qualia magorũ uel incantatorũ ſunt: quales fuiſſe cõſtat ſapientes Pharaonis, & Simonẽ illum magũ: & quales illi ſunt, quorũ mẽtio fit Deut. 13. deniq; qualia miracula fuerunt monachorũ Prædicatorij ordinis, Bernæ combuſtorũ: ac ualde metuendum, ne paria fuerint plurima multorũ monachorũ & eremicolarum miracula. Falſa item illa quoq; appellantur, quæ tametſi reuera ſint facta, teſtimonia tamen mendacio contra ueritatẽ ferunt, confirmantia Papam eſſe caput eccleſiæ, uenerandas eſſe imagines, inuocandos eſſe ſanctos, peregrinationes religionis, imò ſuperſtitionis ergò ſuſcipiendas, adorandũ nouum Deum ſub ſpecie panis & uini latitãtem, colendum eſſe Deum uotis & conuerſatione monachali, & ſi qua huius generis alia ſunt. Huiuſmodi ſignis fallacib. impleta ſunt hodie omnia templa, omnia ſacella. Permouerunt hæc plurimùm *De ſignis falſis.* 2. Tim. 3. Act. 8.

etiam

etiam prudentes homines,& permouent etiam hodie.Id quod Dominus futurum prædixit,dicens:Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ,& dabunt ſigna magna & prodigia,ita ut in errorem inducantur,ſi fieri poſsit,etiam electi.Sed & Paulus:Antichriſti, inquit,aduentus erit ſecundum operationem ſathanæ,cum omni potentia,& ſignis,ac prodigijs mendacibus:& reliqua, quæ leguntur 2.Theſſ.2.cap.Scimus autem plurimos Pontifices feciſſe ſigna: ſed id non tam præclarum eſt, quàm quòd omnia ubiq; in toto Chriſtiano orbe ſigna qualiacunque edita & uulgata,pontifex Rom. confirmauit & auxit ſuis bullis & indulgentijs.Omnia certè contrarium finem ſignis Chriſti habuerunt, ac habent etiamnum. Non enim proſunt hominibus,ſed expilant eorum loculos,onerant cultorem uarijs ſumptibus, & abducunt à fide Chriſti ad fidem Antichriſti, huius religionem,cultum & dogmata approbantia.Neque uerò inter poſtrema ſua argumenta collocant hæc ſua ſigna,dum oppugnatur ſimplicitas Euangelica.Verùm ſi ſapimus, cauemus illa ceu peſtem præſentiſsimam.

Facit ignem de cœlo in terrã deſcendere.

Inter ſigna uerò illud ante omnia commemorat Dominus noſter per Ioannem,quòd ignem faciat deſcendere in terram,idq; in conſpectu hominum. Videtur autem alluſiſſe ad hiſtoriam Heliæ,de qua legis 4.Reg.1. & cuius meminimus cap. 11. Miraculũ non exiguum fuiſſe legimus in Actis apoſtolorum,quòd ad impoſitionem manuum apoſtolorum,dabatur ſpiritus ſanctus. Ambiuit eandem gratiã & Simon Magus: ſed grauiter repulſus eſt à Simone Petro apoſtolo:ſicut legimus in Actis apoſt.cap.8. Obſeruandum autem (quod & beatus admonuit Auguſt.lib.de Trin.15.cap.26) apoſtolos non dediſſe ſpiritum ſanctum. Solius enim Dei eſt dare ſpiritum ſanctum: ad preces ergo apoſtolorum,& ad manuum impoſitionẽ datus eſt cœlitùs ſpiritus ſanctus. Vnde & Ioannes legitur dixiſſe,ſe baptiſare aqua,Chriſtum baptiſare igni & ſpiritu ſancto. Et per ignem quidem figuratur ſpiritus ſanctus.Antichriſtus uerò Papa iactabit ſe cœlitùs data poteſtate conferre gratiam ſpiritus ſancti.Certè in conſecratione dicit, ſe conferre ſpiritum ſanctum.Ita in confeſsionibus auricularibus & abſolutionibus, iactant ſe conferre plenariam abſolutionem peccatorum.Quod quidem grande miraculum eſt. Imponũt peccatori confitenti manus,ac addunt ſe abſoluere ipſum à pœna & culpa, idque poteſtate accepta à ſede illa ſanctiſsima.Primaſius hunc locum exponens:Non mirum eſt,inquit, ſi illa beſtia,quæ ſibi ſimulatè agni occiſi & uiuentis nomen uſurpat, hanc etiam ſancti ſpiritus per imitationem fraudulenter uindicet ſpecietenus largitatem, ſuisque miniſtris ſimulet dationem:ſicut Simonem quendam affectaſſe, nec potuiſſe meminimus. Hæc ille.

Papa confert gratiam.

Papam fulmẽ torquere in hoſtes ſuos.

Eſt & alius ignis,quem Antichriſtus cœlo deuocat,& in hoſtes ſuos ad uindictam uibrat atque contorquet:telum uidelicet,& fulmen excommunicationis. Hæc formidabilis fuit regibus,& principibus,& populis.Atque hi fulmen excommunicationis tantopere metuerunt,ut multa fecerint & dederint, quæ nemo alioqui extorſiſſet. Nota eſt hiſtoria Heinrychi 4.Imp. Nam Platina in uita Gregorij 7. indicat, Heinrychum à Pontifice excommunicatum eſſe.Deinde de Heinrycho iſta ſubijcit:Venit properè Canoſſum (ubi erat cum Mathilde Pontifex) ſtatimque depoſito regali ornamento, nudis pedibus,portæ oppidi appropinquans,ſuppliciter intromitti petebat. Denegatum ingreſſum ęquo animo tulit,quamuis aſpera eſſet hyems,& gelu cuncta rigeſcerent. In ſuburbio quidem oppidi triduo immoratus,continuò ueniam petens, tandem rogatu Mathildis & comitis Sabaudiæ ac Cluniacen.abbatis abſoluitur,&c. Friderychus Barbaroſſa ut reconciliaretur Pontifici,collum ſuum eius ſubſtrauit pedibus proculcandũ. Notæ ſunt iniuriæ ab hac beſtia illatæ,alijs quoque regibus & populis. Vnum adhuc referam. Veneti bello Ferrariã Romanæ eccleſiæ uectigalem oppugnarant,eam ob rem excommunicatione feriebantur Clementis 5. Franciſcus ergo Dandalus, qui poſtea dux creatus eſt,ad eam culpam deprecandam ingreſſus eſt Galliam, ubi tum erat Pontifex. At ſerò in conſpectum admiſſus eſt Pontificis. Iniecta autem in collum catena ferrea ad Pontificis menſam,canis inſtar & inter canes (miſabile dictu) tam diu abiectus proſtratusq; iacuit,donec expugnata Clementis (profectò inclementis) ira, ignominioſam notam (excommunicationem) ademerit patriæ. Atque ex eo fuit illi poſtea

Canis

Canis cognomen inter ſuos: quia ut canis, ad pontificiam menſam pro abſolutione iacuiſſet. Leguntur hæc apud Sabellicum Enneade 9. lib. 7. in fine. Addidit egregiè excõmunicationi faces, uel cereos ardentes Pontifex, quos è ſublimi eiaculatur: ut uel inde intelligeremus, hunc eſſe illum qui in cœlo deuocet ignem in terram ſuper homines terrificum. Hæc autem facit beſtia in conſpectu hominũ, nimirum magna audacia aut confidentia: denique ad terrendos, & in ordinem redigendos homines. Iubet enim eodem loquendi genere Paulus, peccantem procerem corripere coram omnibus, ut cæteri terrorem concipiant. 1. Timoth. 5.

Cæterùm addit Dominus uſum & effectum ſignorũ Antichriſti, ut & eccleſia de eis rectè iudicet: Et ſeducit, inquit, habitantes in terra propter ſigna, &c. Seducet his ſignis ſeu miraculis, nempe gratia illa ſpiritus, quam ſe dare mentitur, & ſuis illis excommunicationibus quibus ſe homines ad tartara deijcere fingit, habitantes in terra, terrenis magis quàm cœleſtibus intentos. Seducet autem à Chriſti fide, ad ſuas nugas. Iudicandum ergo eſt de doctrina & ſignis Antichriſti, quòd ſeducant homines. Deſine ergo mirari, quî factũ ſit, quòd in partes ſuas Pontifex pertraxerit tot homines ſapientes & potentes. Audiſti iam, quibus artibus hoc factum ſit. Noli ergo deſipere ſemper. Diſce & ſape, caue, & Chriſto & euangelio eius credito ac adhæreto. *Seducit ſignis.*

Rurſus dicit, beſtiæ datum (nimirum iuſtiſsimo Dei iudicio, ut ſecundum uerbum Apoſtoli, iudicentur qui maluerunt credere mendacijs, quàm ueritati) ut faceret illa ſigna in conſpectu beſtiæ. Quid eſt facere ſigna in conſpectu beſtię, niſi ſigna facere conſpicientibus omnibus intrepidè & audacter, & ad terrendum decipiendumq; ipſam beſtiam? Hic ergo iam audimus duas beſtias. Beſtiam quæ ſigna facit: & beſtiam poſteriorem, in cuius conſpectu altera illa prior ſigna illa facit. Sed & poſtea ſequetur, & beſtiam & pſeudoprophetam, qui fecit ſigna coram ea, per quæ & ſeduxit eá, utrunq; conijcien dũ in ignẽ æternum. Quæ ergo prior & bicornis beſtia, niſi Papa? Idem ille eſt & pſeudopropheta. Quæ autẽ beſtia, in cuius conſpectu ſigna facit Papa, niſi imago beſtię, & ideo & ipſa beſtia, quatenus ſcilicet imperiũ eſt excitatũ à beſtia, beſtięq; ſpiritu regitur. *Beſtia facit ſigna in conſpectu beſtiæ.* *Cap. 19.*

Sequitur enim, beſtiam excitare imaginem beſtiæ, & quidem eius quę habuerit plagam gladij, & uixit: id eſt, ueteris illius Romani imperij. Proinde nouũ iam inſtituitur imperium Romanum, quod tamen beſtia ſimpliciter non dicitur, ſed beſtiæ imago: id eſt, imperium quidem, quod tamen tanto ſpacio ad uetus accedere non poteſt, quanto diſtat imago ab exemplari. Nam exemplar quodammodo eſt uetus Romanum imperium, cuius quidem à põtifice Antichriſto excitatum imperium, ſimulachrũ duntaxat, repręſentatio, umbra ac ueluti ſomnium eſt, ſimilitudinem interim aliquam cum illo habens. *Beſtia beſtiæ imaginem excitat.*

Dixi ſuperius, & demõſtraui ex hiſtorijs, Romanum illud imperium uetus fruſtillatim eſſe diſcerptum & ſublatum. Olim alter imperatorum imperitabat in oriente Conſtantinop. alter in occidẽte Romæ uel Rauennę. Ab Auguſtulo uerò amplius quàm per 300 annos nullus fuit occidentis Imperator. & quæ fuerant Imperatoris dominia, ab alijs iam occupabãtur, interieratq; imperiũ prorſus. Ergo circa annũ Domini 800, cum Carolus Magnus, Francorũ princeps, Romã ueniſſet, in ipſo feſto Natalis Domini, Leo eius nominis 3, pontifex Rom. impoſita Carolo corona Imperatorem fecit, acclamante toto populo, Carolo Auguſto à Deo coronato uita & uictoria. Leguntur hæc in omniũ hiſtorijs, præſertim Auentini libro 4 Annalium Boiorum. Rurſus cum uideretur Imperium hoc fluctuare & labaſcere, caque de cauſa mox ruiturũ, pontifex Romanus heptarchas uel ſeptemuiros inſtituit. Referunt hanc inſtitutionem alij ad Gregorium 5, qui ſedit ſub Otthone 3. alij uerò ad Gregorium 10, qui præfuit ad imperium uocato Rodolpho Habſpurgico. De qua re mox plura dicentur. Significanter autem dicit Dominus per Ioannem, beſtiam dixiſſe habitantibus terram, ut faciant imaginem beſtię. Nã Pontifices dicendo, non pugnando (ſicut ex hiſtorijs Pontificum, Leonis maximè 3, inclareſcit) conſtituerunt nouum imperium. Prædicando enim, perſuadendo & practicando tranſtulerunt imperium ad Carolum. Platina certè in uita Leonis 3: Pontifex Carolo, optimè (inquit) de eccleſia Dei merito, aliquã gratiam relaturus, in baſilica Petri, poſt ſolen- *Quomodo excitata imago beſtiæ.* *Beſtia dicit habitãtibus in terra, ut faciant imaginẽ beſtiæ.*

ſolennia ſacra populi Romani ſcito ac precibus, ipſum Carolum magna uoce imperatorem decernit, ac diademate donat. Et cætera.

Quid ſit propriè imago beſtiæ.

Videndũ autem diligẽtius, quare inſtitutũ imperium à Papa appellatur imago beſtię ueteris. Et quidẽ poſſent hic in mediũ adduci plurima: ſed paucula dũtaxat ego ex multis enumerabo. Ante omnia imago dicitur, quod & ipſum appelletur imperiũ, & uetus illud uideri uelit, cũ reuera nomẽ ſine re & titulus ſit inanis, abſq; ueteri illa potẽtia, maieſtate & gloria. Niſi enim Imperatori ex hęreditate propriũ ſit regnũ, quale ex nomine imperatorio regnũ habet? An Romam? an Italiam, ueterẽ imperij ſedem? an Gallias, Hiſpaniã, Pannoniã, Germaniã? Hæc tametſi habeatur nũc pro ſede imperij, ſuos tamen habet principes, ſuas urbes liberas, & priuilegijs gaudentes, licet interim uocitatas Imperiales. Theodorychus à Niem Germanus, & Pontificũ quorundã familiaris, qui & hiſtorias Pontificũ aliquot antecedentiũ proximè Conciliũ Conſtantien. cõſcripſit, hiſtoriarũ lib. 3. cap. 43. Quàm magnificũ, inquit, ſit imperiũ Romanũ, in Alemannia ſaltem apertè uidetur. Reperitur enim ibi aliquis archiepiſcopus uel epiſcopus, qui fortè in duplo plus habet in redditibus, quàm percipit rex Romanorum in omnibus terris ſibi ſubiectis. Et aliquis princeps ſecularis, qui detinet plures terras, quàm poſsidet Imperator, Et reliqua. Præterea fuit in Imperio ueteri monarcha aliquis potẽs, qui plena utebatur poteſtate, ac ueluti Deus terrenus adorabatur ab omnib. ut Caius, Domitianus, Diocletianus, &c. Huius imaginem refert Papa, pontifex & rex, & ueluti Deus quidam terrenus, monarcha maximus, cum plenitudine poteſtatis. Habuit item Roma uel beſtia uetus ampliſsimum Senatum. Habet & Pontifex, Cardinalium purpuratum & auguſtũ quendam Senatum. nam ſinguli propemodum ſunt principes. Enumerat uolumen Præfecturarum Romanarum, Vicarium diœceſeos (eſt autem διοίκησις diſpoſitio, adminiſtratio, diſpenſatio, gubernatioque, uel iuriſdictio) Aſianæ, Vicarium diœceſeos Ponticæ & Thraciæ. Ita erat uir illuſtris præfectus prætorio Italiæ. Multas diœceſes is ſub ſe habebat: nec pauciores præfectus prætorio Galliarum. Sicuti autem comes Argentoraten. prefectus militum apud Nemetas, & præfectus militum apud Vangionas, ducem Moguntiacen. agnoſcebant, & Conſularem ipſum: ſic hodie præſules iſtarum urbium archiepiſcopo Moguntiacenſi ſunt ſubiecti. Videntur ergo epiſcopi, ordinatione Pontificis, in locum ſubijſſe præfecturarum Romanarum. Certè ex epiſcopis iſtis uideas, non paucos ſalutari non tantum Reuerendiſs. patres in Chriſto, ſed & Illuſtriſsimos potentiſsimosque duces & principes Imperij. Cõſtat & illud, Imperatorem beſtię ueteris habuiſſe ſuas legiones, aquilas Romanas, & duces belli peritiſsimos, potentiſsimosq;. At Pontifex maximus & rex ſummus in imaginario illo imperio habet obedientes filios, Reges & principes per Europam non aſpernandos: quos, ſi neceſsitas poſtulet, iubeat ſtringere brachium ſeculare. Sic enim detonat Bonifacius 8, Extra. de Maior. & obed. lib. 1. Vnam ſanctam: Certè qui in poteſtate Petri, inquit, temporalem gladium eſſe negat, malè attendit uerbum Domini, dicentis, Conuerte gladium tuũ in uaginã (quàm acutè, quàm propriè) Vterque ergo eſt in poteſtate eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis: ſed hic quidem pro eccleſia, ille uerò ab eccleſia exercendus. Hic ſacerdotis, ille manu regum & militum, ſed ad nutum & patientiam ſacerdotis. Et reliqua. Vetus bellua leges habuit ſcriptas, & promulgauit quotidie propemodum nouas. Pontifices ergo ad imitationem legum imperatoriarum aut imperialium, cõſcripſere Decretales, & promulgant recentes leges ſubinde. Quinimò uocem & præcepta ſiue mandata Papę, perinde ut ipſius filij Dei Ieſu Chriſti Domini noſtri, & apoſtoli Petri pronunciata, palàm aiunt eſſe recipienda. Addunt inſuper & hæc: Papali approbationi eſt ſtandum. Vbi Papa, ibi uniuerſalis ſynodus. Vbi Papa, ibi communis patria. A nemine cogitur, etſi dicatur hæreticus. Habet omnia iura in pectore, uel in ſcrinio pectoris ſui: omnia interpretari poteſt. Idem ratificat ſententiam nullam: & ſolius eſt, ius unius auferre, & alteri dare. Poteſt auferre priuilegia, & pro arbitrio ſuæ uoluntatis non ſolum transferre epiſcopos, ſed ipſum etiam Imperatorem depõnere, & ſententiam Imperatoris nullam declarare. Totus mundus eſt diœceſis Papæ: & Papa eſt ordinarius cunctorum, plenitudinem poteſtatis habens in ſpiritualibus & tẽporalibus. Eſt enim Dominus

Imperij Ro. inopia & angustia.

Diœceſes.

Exercitus & Potentia gladij Pontificis.

Decretales.

nus dominantium,habens ius regis regum in ſubditos.Non enim habet parem: & eſt omnia,& ſuper omnia,eſtque de neceſsitate ſalutis ſubeſſe Romano pontifici.Dei enim & Papę eſt unum conſiſtorium. Hæc ex illorum libris Decretalibus utique & Gloſsis huc transcripſi.Extat liber Antonij de Roſellis ab Aretio,de poteſtate Papę & Imperatoris,in quo huius generis innumera legas. Ex his autem quæ conſignaui hactenus, arbitror planum fieri ſatis,quomodo Papa,qui & pſeudopropheta hic dicitur,excitauerit beſtiæ imaginem.

Et datum eſt illi ut daret ſpiritum imagini beſtiæ.

His adijcit Ioannes aliud:Sic conſtituto Imperio, ſuisq; diſpoſitis ordinibus, beſtiã ſeu pſeudoprophetam illum,totam illam molem mouere,ipſamque imaginem animare,ut loquatur:nimirum illud,quod pſeudopropheta loqui dederit.Niſi enim Papa regis Romanorum electionem confirmauerit,Imperatorio nomine minimè dignus uidebitur.22.Quæſt.5.De forma,in Gloſſa iurat Imperator Papæ, tanquam uaſallus Domino ſuo.Idem legis lib.1.Titu.9.de Iureiurando,in Clementinis. Quis præterea non uideat,tam Imperatorem quàm reliquos principes, ſeptos eſſe turma epiſcoporum, qui ipſis quid loquantur, aut quid agant, & quomodo in omnibus ſe gerant,inſpirent? In hoc mittuntur & legati à latere.Neque obſcurum eſt,in Concilijs principum omnibus propemodum,primas obtinere patres ſpirituales. Sunt hi ferè cancellarij & à ſecretis, legati item,& quid non?Atque palàm dicit Pontifex & rex ipſorum,ſe iudicare debere omnes,iudicari uerò deberi à nemine.Sed & hoc ipſum uſurpant ſibi & eius creaturæ. Si coeant comitia,præſidet his ſuo ſpiritu ferè Pontifex, & moderatur in his præcipua, religionis uidelicet negocia in primis.Niſi enim decreta & receſſus,ut uocant,placeant patribus,minantur ſe abolituros,quæ ab ordinibus ſunt conſtituta.Si uerò coeat concilių uel generale uel nationale,totũ hoc Papę ſpiritu regitur.Loquitur hoc & decernit, quod placet Pontifici.Niſi uerò ad placitũ Pontificis definiat,abrogationẽ ille omnium molitur. Modò enim audiuimus,ibi ſynodũ eſſe,ubi Põtifex eſt.Et Innocẽtius 9.quæſtio.3.Neque ab Auguſto,inquit,neque ab omni clero,neque à regibus,neque à populo iudex iudicabitur. Et Gloſſator in eum locum annotat, Concilium non poteſt Papam iudicare,ut Extra.de Elect.Significaſti . Vnde ſi totus mundus ſententiaret in aliquo negotio contra Papam,uidetur quòd ſententiæ Papæ ſtandum ſit. Quinimò idem Gloſſator,De cappel.monach.Ex parte tua:Papa ſi uult, inquit,poteſt diſpenſare contra Concilium.Maior eſt enim, quàm Concilium. Veriſimè ergo dixit in prẹſenti Dominus,beſtiæ datum eſſe,ut daret ſpiritum beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ. Nam qui ſe morigeros,paratáque organa huic beſtiæ in omnibus eius negotijs non præbent, habentur pro mortuis aut putreſcentibus membris,eáque de cauſa reſcindendis ab hoc uitali corpore.Scilicet.

Papa ſupra cõciliũ:ſed diuerſum diſputat concilium Baſilienſe.

Imperia à Deo, imperiorũ corruptelæ à malo.

Interea ne quem laude dignum uituperem,neúe nil mali meritos petulantius impetere uidear, aut Domini bonitatem in imperijs operantem non agnoſcere, quin potius ſuggillare dicar,bonaq; & mala citra delectum commiſcere,conuoluereque, quædam hic per copioſam & neceſſariam digreſsionem, admonenda, rectiusq; explicanda ueniunt. Moneo itaque & repeto, Dominum Deum noſtrum imperiorum eſſe authorem, ipſaque in ſalutem hominum inſtituere: diabolum uerò inſtitutis Dei bonis ſeſe coniungere,& ipſa pro ingenio ſuo malo bona Dei inſtituta corrumpere, hominum affectus uariè commouendo,pertrahendoque ad res prauas. Vnde in gubernationibus oriuntur improbanda à pijs plurima:qualia ſunt, tyrannis, ordinis perturbatio, & huius generis alia.Nihilominus, tametſi Deus oderit omnem prauitatem, neque corruptelas unquam probare poſsit,uidemus illum pro immenſa ſua bonitate gubernationibus hominum prauis uti non rarò ad bonum,uel utilitatem ſuorum.Amat enim exi miè ſuam eccleſiam Deus:totumque genus hominum imperijs, licet non omnino aut per omnia probatis,ſubleuare & fouere contendit.

Gubernatio nõ improbãda, & principes boni ſub imagine beſtiæ.

Non ergo negauero, ab innouato occidentali Imperio, hoc eſt ab excitata beſtiæ imagine,ſeptingentis hiſce annis, non rarò ſic regnatum eſſe,ut facile Deum in gubernationibus ſalutem populi ſui operari apparuerit. Monarchias orbis quatuor Daniel

per beſtias adumbrauit, qui interim non omnes earum principes beſtias eſſe putauit, neque omnes damnauit principes, neque exiſtimauit nihil integri in ijs fuiſſe aut futurum eſſe, tametſi potior pars deprauatiſsima fuerit. Reperti ſunt in ueteri beſtia Romana (ut nihil de Aſſyriacis, Babylonicis, Medicis, Perſicis, aut Macedonicis principibus commemorem) qui utiles ediderint leges, inſertas Codici Iuſtinianeo. Reperti ſunt ſub ueteri illa truculentiſsima beſtia, qui ueram Chriſti religionem prouexerunt, & eccleſiam Dei acerrimè defenderunt, qualem ſuperius fuiſſe diximus Conſtantium, Conſtantinum, Theodoſium & alios plurimos: qui omnes ſub imperij quidem cenſum ueniũt, at non ſub beſtiæ, niſi quatenus deſignat beſtia imperium. Ita ſanè non paucos inuenire licet ſub imagine beſtiæ principes, qui & utiles leges promulgarunt, & magna beneficia contulerunt generi mortalium: ut fecerunt Caroli, Ludouici & Saxo Lotharius, & alij. licet illi ipſi in multis probari à pijs non poſsint. Inueniuntur inter poſteriores hos noui imperij reges, qui quidem potentia & maieſtate fuerunt ueteribus multum diſsimiles, uirtutibus autem non admodum impares, imò in quibuſdam æquales. Inueniuntur qui imperium à Papiſticis corruptelis repurgare, & Papas in ordinem redigere conati ſunt: ſed nullo, aut certè non magno cum ſucceſſu. Nam quales fuerint Otthones, Heinrychi, Ludouici, Friderychi, breuiter multi principes Francici, Saxones, Sueui, Bauari, Auſtriaci, teſtantur hiſtoriarum luculenta teſtimonia: quæ & Gallorum & aliorum quorundam regnorum aliquot reges cõmemorant, qui genua ſua huic Baal non inflexerunt: aut ſi aliquando inflexerunt, reſipuerunt tamen, & aliquam ſaltem ſignificationem ediderunt, ex qua intelligere potuerunt ſapientes, ipſos non magnifeciſſe illam beſtiam.

Excuſantur & excipiuntur uiri ſancti.

Proinde hic mihi excuſandi ueniunt uiri ſancti & præſtantes quique, qui toto temporis curriculo, quo beſtiæ imago excitata regnauit, uixere. Intelligo autem imperatores, reges, principes, epiſcopos, ordines, urbes & populos imperij & regnorum, qui ſub imperij quidem imagine uixerunt, at non fuerunt beſtiæ: quia non præbuerunt ſe ſpiritui beſtiæ animandos & gubernandos: neque loquuti ſunt diſertè, quod loqui dedit beſtia: quin potius contradixerunt beſtiæ, corruptelamque eius tulerunt indignè. Sicuti ergo in monarchijs, & præſertim in ueteri beſtia Romana, pios principes & gubernationem bonam nõ incluſimus, includendoque beſtialitatis ut ſic dicam damnauimus, ita ne nunc quidem exagitando imaginem beſtiæ, innoxios & benemeritos principes & populos gubernationemque ipſorum non prauam, cum corruptela Antichriſtiana commiſcemus. Semper enim excipimus imperia moderata & utilia, homines honeſtos, & pietati ſtudentes, utcunque uiuant ſub imagine beſtiæ, non tamen ſecundum inſpirationem beſtiæ aut pſeudoprophetæ.

Prophetia exponẽda pro ratione rerum & temporum.

Addimus his & illud, non repentè conſtitutum eſſe imperium hoc pro arbitrio libidineque Pontificis, ſed per interualla conatusque uarios, & inſidias innumeras: ergo tandem ad ſummam deuolutum eſſe corruptelam, & ut ſic dicam, beſtialitatem. Vnde apparet, uaticinium Ioannis applicandum eſſe rebus ipſis, temporibusq;, pro cuiuſuis rei & temporis conditione, malitiaque & corruptione. Certiſsimum illud eſt, & communi omnium hiſtoricorum conſenſu teſtatiſsimum, in Carolo magno, Leonis 3 pontificis opera reparãtum eſſe imperium collapſum in occidente: atque ita imaginem beſtiæ, id eſt imperij Romani excitatam eſſe. Et quamuis hoc tempore per Papam ſit reparatum, quod in occidente collapſum fuerat imperium: conſtat tamen, Papas ab initio huius imperij per donationes quidem ſatis potentes factos, nondum interim tanta uſos eſſe potentia, quantam deiectis poſtea Imperatoribus ſibi uſurparunt. Licet enim à Pipino rege Donatio facta uideatur, principiumque regni pontifex accepiſſe legatur: ſubiectus tamen Imperatoribus & regibus unà cum Roma fuiſſe, inter alia illud euincit, quòd in Annalibus Regum Francorum, à Carolo geſtarum, anno incarnationis Domini 801, ita ſcriptum reperitur: Ordinatis deinde Romanæ urbis, & Pontificis, totiusque Italiæ (obediebat ergo tunc quoque Italia Imperatori) non tantum publicis, ſed etiam (obſerua) eccleſiaſticis & priuatis rebus (nam tota hyeme

hyeme nõ aliud fecit imperator) cũ Philippo filio Roma ꝓfectus Spoletũ uenit. Idẽ au thor in reb. anni 816. Stephanus, inquit, in locũ Leonis 3. electus, quàm maximis potuit itinerib. cõtendit uenire ad Imperatorẽ, miſsis interim duob. legatis, qui quaſi pro ſua cõſecratione imperatori (Ludouico Pio) ſuggererẽt. Ita in geſtis anni 817, oſtenditur & Paſchalis electus legationẽ miſiſſe ad Ludouicũ. In geſtis anni 823, idẽ Põtifex cogni tioni & iudicio ſubiacet Imperatoris. Inuenias & in geſtis cõſequẽtis anni, Italicas res, & Romanas ordinaſſe Lothariũ Imperat. Rurſus tamẽ meminit idẽ author Donationis Pipini, qui Rauẽnã & Pentapolim, omnẽq; exarchatũ S. Petro tradiderit. Nõ tamẽ idẽ Donationis uel Caroli meminit, uel Ludouici Pij. Meminit eius Diſtinct. 63. Ego Ludouicus. Et 23. quæſt. 8. Igitur. in Gloſſa ſic ſcribitur: Ibi Ludouicus donat Romã, & re liqua multa S. Petro & Paſchali papæ. Meminerũt ferè omnes hiſtorici Donationis regum Frãciæ. Cõpendiũ omniũ collegit ex bibliothecario Volaterranus, Geograph. lib. 3. in rebus geſtis Pipini & Carolorũ. Vnde conijcere poſſumus, qualis ſit canon Diſt. 96. in hæc uerba editus: Conſtãtinus imperator coronã & omnẽ regiam dignitatẽ in urbe Roma, in Italia & partibus occidentalibus apoſtolico cõceſsit. Id quod mox multa expoſitione ex uita S. Sylueſtri per Gelaſiũ (ut dicũt) deſcripta, conſequenti capite proſequitur. At negat Antonius Florẽtinus epiſcopus, in ſua hiſtoria, donationẽ hãc in uetuſtis extare codicibus. Oppugnauit eandẽ Cuſanus & Laurẽt. Valla: neq; probarũt Friſingẽſis epiſcopus Ottho, hiſtoriæ lib. 4. cap. 3. & Marſilius Patauinus in Defenſorio pacis, & Raphael Volaterranus, ut multos alios non commemorem. Sed & in Chronicis Regum Frãciæ, præfixis Pauli Aemylij hiſtorię de reb. geſtis regũ Frãc. in anno 755. ita legis: Pipinus iterũ intrauit in Italiã, Aiſtulpho deuicto, Maximo Pont. Rom. dona dedit, etiã Exarchiã Rauẽnatiũ finib. bene maximis, ne quis iſtam largitionẽ à Frãcis principibus ingratè iniuſteq; auferat, Cõſtantino Imperatori aſcribẽs, quã Pipinus in eccleſiam Rom. cõtulit inuito & reclamãte Græco, eã quoq; poſſeſsionẽ iuris Auguſtorum eſſe. illinc Pipinus primus eccleſiaſticos Romanorũ ritus, & cantuũ cęremonias in Franciam accepit atque attulit. Et reliqua.

Anno 756.

Porrò nõ admodũ ſtabilis & diuturna fuit gubernatio poſteritatis Carolinæ. Nam à primo anno Caroli, quo imperio inauguratus eſt, ad ſeptimũ uſq; annũ Cõradi, qui erat Ludouici 3 ex fratre nepos, ultimus ex poſteritate Caroli magni, numerantur anni circiter 119. Imperauit enim Carolus magnus annis 14, Ludouicus 26, Lotharius 15, Ludouicus ſecundus 21. Carolus 2, Caluus cognominatus, 2. Carolus 3, Craſſus cognominatus, 12. Arnolphus 12. Ludouicus tertius 10. Conradus 7. Moriturus Conradus Heinrychum Aucupem appellatum, Saxonẽ, regem deſignat. Atq; ita imperiũ trãslatum eſt ad Germanos. Heinrychus hic 1. appellatus, nunquã Italiã ingreſſus eſt, nunquam à Papa conſecratus aut coronatus. Huius filius Ottho, primus eius nominis, euocatus in Italiã, legitur magno cum exercitu illuc profectus, Romę receptus, & à populo ſalutatus Imperator & Auguſtus. Ottho Friſing. hiſtoriarũ lib. 6. cap. 17. aſſerit ex Decretis, Leo nẽ papam nimirũ eius nominis 8, hunc Otthonem primum Theutonicorũ regem conſecraſſe. nam patrem Heinrychum renuiſſe. Albertus Krantz rerum Saxonicarũ lib. 4. cap. 10 & 11. aſſerit, Leonem pontificem per donationem tradidiſſe, quæcũq; acceperant Põtifices à regibus Francorum, eamq́ue donationem ut ueram defendit author. Cæterùm Bibliothecarius teſtatur, Otthonem confirmaſſe donationem principum Francorum, Pipini, Caroli & filiorum eius. Extat inſuper formula iuriſiurandi in Decretis, Diſt. 63. Tibi. qua ſe Pontifici obſtringit rex Ottho, nihil ſe ordinaturum eorum quæ ad Papam pertinent, & Romanos: redditurum denique quæcunque de terra S. Petri in eius deuenerint poteſtatem. Quæ qualia ſint, iudicet Lector.

Imperium trãſlatum à Francis ad Theutonas.

Paulo poſt hæc tempora, circa annũ Domini 996, aiunt ex decreto Gregorij 5. pont. & conſenſu Otthonis 3. Imp. ſeptemuiros electores eſſe deſignatos, quib. eccleſię patrocinium (ut ait Vuimphelingius) Imperiumq; Romanum commiſſum ſit. Conſentiunt in hac re hiſtorici & chronologi omnes, & ex Italis quidem Blondus, Platina, Sabellicus, Volaterranus, Egnatius & cæteri: ex Germanis, Albertus, Nauclerus, Carion, Funcius, & quidam alij: nõnulli nõ meminerunt huius inſtitutionis. Vnde Auentinus lib.

Electores.

annalium Boiorum 5.fol.510,& 707.dicit sibi (nescio quàm certò) cõpertũ esse, post facta Friderychi 2.electores institutos,& à Gregorio 10.cõfirmatos esse. Vtcũq; uerò ea res habeat,certũ est,mox à Gregorio 5.põtifice diabolum occupasse sedẽ Romanã. Nec dissimulare hoc potuit Platina,Vitarum põtificum omnib.notus scriptor, qui admodum benignè pepercit suis dominis,& nõnunquã scelera ipsorũ infanda texit:de successore tamẽ Gregorij 5.scribẽs:Syluester secũdus,inquit,Gilbertus antea uocatus, monachus Floriacen.relicto monasterio diabolũ secutus est,cui se totũ cõtradidit. Et mox subiungit:Gilbertus ambitione & diabolica dominãdi cupiditate impulsus,largitione primò quidẽ arhiepiscopatũ Remensem,inde Rauennatẽ adeptus,pontificatũ postremò maiore conatu,adiuuãte diabolo,cõsequutus est:hac tamẽ lege,ut post mortẽ totus illius esset.Et reliqua.Qui plenã uelit cognoscere historiã,ac cõpẽdiũ quidẽ decerptũ ex Antonino,Nauclero & reliquis,legat Ioã.Funccij Chron.lib.9. sub anno 998. Beno cardinalis,hisce temporibus existimat impletos esse mille illos annos, post quos sathanas ruptis catenis, rursus in orbe furere cœpit. De qua re sequentur quædam cap.huius libri 20.Cæterùm non pigebit hic quædam ex hoc Benone Card.decerpere, & ad illustrandum nostrum negotium summa breuitate commemorare.

Vide quid idẽ ille dicat de põtificibus,in Vita Syluestri 3.

Sedes Romana extremè corrupta.

Improbitas põtificum imperatores uexantium.

Beno itaq; in Vita & rebus gestis Hyldebrãdi,Gregorij 7.dicti: Gerbertus quidã qui urbẽ maleficijs infecerat (inquit) post cõpletũ millenariũ,ascẽdés de abysso permissionis diuinæ,sedit annos 4.mutato q; nomine,dictus est Syluester 2.Anno autẽ post Gerbertũ 25.(puto legendũ 32.Quomodo autẽ his annis regnatũ sit,testãtur historiæ,& quidem pessimè) Theophylactus discipulus eius sedẽ uiolẽter obtinuit, dictus Benedictus 9.Habuit omniũ secretorũ cõscium & intimũ Gratianũ,S.Ioan.de porta Latina archipresbyterũ.Cui Hyldebrandus Cluniacensis monachus,deserto monasterio, arctissimè adhęsit,factus ipsius imitator egregius.Benedictus uerò sibi metuẽs,Gratiano Hyldebrãdi magistro uẽdidit sedẽ,acceptis ab eo libris mille quingẽtis : qui sedi impositus, Gregorius 6 est appellatus.Mox tamẽ tertius illis accessit põtifex, episcopus : Sabinus, & nũcupatus est Syluester 3.Heinrychus proinde Imperator dictus 2,& Niger,uir pius, fortis,prudẽs & magnificus,Romã profectus purgãdæ (nõdũ itaq; tũc,sicuti postea,usus est plena potestate Romanus pont.) ecclesiæ gratia,Benedictũ magũ in fugã coegit, Gregorium in uincula cõiecit, & Syluestrũ in episcopatum suũ remisit:ipse uerò celebrata synodo,Bãbergen.episcopũ,quẽ Clementẽ dixit, in sedẽ collocauit,à quo & coronam accepit.Gregoriũ autẽ unà cũ discipulo suo Hyldebrãdo,deportatione dãnatũ,adduxit secũ in Germaniã.Interea Benedictus Romã reuersus ex fuga, Clemẽtẽ uexat, & multis maleficijs urbẽ polluit:ab Hyldebrãdo uerò acceptis literis,ex Germania,quidin aula Imperatoris fieret,discit.Moritur in uinculis Gregorius,ac hæredẽ reliquit perfidię simul & pecuniæ Hyldebrandũ. Moritur etiã Clemẽs. cui mox surrogatur Damasus 2. uerùm ,ptinus extinguitur ueneno:ac ,ppter turbas in urbe exortas,mittit Heinrychus Brunonẽ (episcopũ Tullensem, prognatũ ex comitib. Alsatiæ de Egesheym) uirum egregiũ.Hic adijcit Beno: In cuius comitatu nimia imperatoris indulgentia permissus est reuerti Hyldebrandus:hac permissione sacerdotiũ pariter & regnũ sub specie religionis euersurus.Ac fuit hic Beno nimis uerax uates,qui & hęc in historia Hyldebrãdi sub iungit:Brunoni multa loquẽdo,in itinere se insinuauit: & ut Romã uenit,ab eo obtinuit,ut fieret unus de custodibus altaris beati Petri.Et breui quidẽ tẽpore loculos adimpleuit.Sed & antiquũ dominũ & magistrũ suũ Benedictũ magũ, simulãtẽ pœnitentiã, in dolo recõciliauit Leoni 9, (ita enim Bruno põtifex factus, est nũcupatus) consilioque Benedicti, Theophylacti aliàs appellati, Leonem contra Normãnos armauit,ac ipsum illis prodidit. Interfectis ergo proditione Germanis,uix Papa desolatus euasit. Hęc Beno Card. Certum est autẽ,hunc monachum Hyldebrandum,ab eo mox tempore aspirasse ad occupandam sedem:interea uerò dum ab alijs gubernaretur, inspirasse & rexisse pontifices, Leonem 9, Victorem 2, Stephanum 9, Benedictum 10, Nicolaum secundum,& Alexandrum secundum. Ac resipiunt Hyldebrandinum stilum & genium,quæ nomine Leonis, Nicolai & Alexandri prodierunt. Tandem uerò artibus impijs ascendit & ipse in cathedram, in qua ita se exercuit, ut nemo nisi cæcissimus

Aexen in dem Elsęß.

Gregorius 7. pont.

simus, uidere potuerit diabolicam gubernationem, ac abundantissimè rependisse Henrycho 4. filio Heinrychi 3, Nigri parentis, deportationem in Germaniam. Atq; hic palã & impudenter ad se rapere cœpit potestatem imperatoriam. Nec potest paucis exponi, quàm infandis modis & Imperatorem & Imperium afflixerit hæc bestia, toto illo tempore quo præfuit, annis integris 12. Compendium eius tragœdiæ contexuit Ioannes Funccius Chronolog. lib. 10. sub anno Domini 1074.

Scio Platinam & plerosque Italicos scriptores, adde & Germanicos aliquot, admodũ prædicare religionem & uirtutes Gregorij 7: quare tyrannis Pontificia, religionis uidelicet prætextu uehementer est aucta & roborata, & excæcati multi. Rursus tamen Dei gratia factum est, ut uiri authoritate, pietate & uirtutibus graues, huic bestiæ detraxerint laruam egregiè. Damnarunt ergo Gregorium hunc, Synodi, uel concilia non contemnenda: & principiò quidem Concilium Moguntinum, in quo erant decem & nouem celebres episcopi. Deinde coibat apud Noricam Brixiam, cœtus triginta episcoporum, nec non & optimatum Germanię & Italiæ plurimorum. Cõgregata est & Vuormaciæ synodus, ubi præsente rege Heinrycho, uniuersi penè (Saxonicis exceptis) Germanici episcopi, Papam abdicarunt suo munere. Epistolæ & fragmenta horum Conciliorum inueniuntur in Chronicis, Vrspergen. maximè. Accusatur ab istis palàm omnis nequitiæ & impietatis, hypocriseos & truculentiæ. Commemorauimus paulo antè, quid de ipso Cardinalis Benno, synchronos eius, scriptis mãdauerit. Extant & Sigeberti, antiqui historici, de hoc pontif. testimonia. Legat cui libet Ioan. Auentinum lib. Annalium Boiorum 5, à folio 562, & deinceps: simul etiam libri 6. præfationem. Idem Annalium lib. 7, folio 684, uerba referens Eberhardi Salisburgen. episcopi, habita in Synodo Reginoburgen. Hildebrandus, inquit, ante annos 170, primus specie religionis Antichristi imperij fundamenta iecit. Hoc bellum nephandum ipse primus aulpicatus est, quod per successores hucusque continuatur. Primò illi Imperatorem à comitijs Pontificalibus extrusere, ea ad populum & sacerdotes transtulere. Deinde & his ludibrio habitis atque explosis, nunc & nos in ordinem redigere, atque in seruitutem conãtur, ut soli regnent. Et quæ sequuntur. Sed & res ipsa clamat, non multos hoc audaciores & impudentiores uixisse Pontifices, qui sedis maiestatem altius prouexerint. Imp. Heinrychum 4. excommunicauit, Cæsareaque dignitate priuauit: insuper & subditos inter se commisit, rebellesque & perfidos à sacramento fidelitatis absoluit: ipse uerò coronam Imperij ueluti monarcha, alijs pro sua contulit libidine. Bellis proinde & intestinis & exteris Imperij uires & facultates ita sunt attritæ atq; consumptæ, ut multis annis nec uires recuperare, neque Pontificum insolentis. tyrannidi obstare potuerint Germanorum reges: atque ita tandem Pontifices sint facti Monarchæ, reges uerò imperatores & principes Pontificum uasalli.

Diuersæ de Gregorio 7. sententiæ.

Successerunt mortuo Gregorio 7, Hyldebrandinarum partium morum & malignitate ingenij ceu hæredes filijque non degeneres, monachi quatuor, Victor 3, Vrbanus 2, Paschalis 2, & Gelasius 2. Paschalis filium Heinrychum 5, (proh scelus & parricidium abominandum) armauit in patrem, miserum illum Heinrychum 4. Et quidem mox excommunicant & Heinrychum 5, Gelasius 2, & Callistus 2. neque desinũt uexare & hũc principem, donec extorquerent ex eius manibus episcopatuũ collationem uel inuestituram. Idque maximo & inæstimabili Romanæ sedis commodo: irreparabili uerò detrimento Germanię, &c. Describuntur hæc fusius ab Vrspergen. in Chron. anni 1122.

Anno 1119.

Inuestitura erepta principib.

Subsequentibus temporibus, crescente in horas Pontificum & audacia & potentia, restiterunt quidem eis strenuè satis Germanici reges, uerùm paruo cum successu. Vbi interim meminisse oportet uerborum Domini, per Danielem prolatorum, dicentem: Et consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in uiribus suis: & supra quàm credi potest uniuersa uastabit, & prosperabitur & faciet, &c.

Tyrannis pontificum contra Imperatores.

Perstringam ergo paucis, quæ consequentibus temporibus pro imperio suo & monarchia sua stabiliẽda, cõtra reges tentauerint Pontifices, & audacter patrauerint. Alexander 3. pon. Friderychum primum, Barbarossam nuncupatum, excõmunicauit calca-

Anno Domini 1178.

uitque pedibus. dũque bonus princeps diceret, hoc se S. Petro exhibere obsequij: clamauit bestia, se Petro etiam præponens, & dixit, Et mihi & Petro. Innocentius 3. pont. Philippum Barbarossæ filium, Cæs. creatum, ferre omnino, nedum approbare, noluit: sed Electoribus mandauit, ut alium eligerent, Otthonem inquam Saxonem, quem tamen & ipsum mox excommunicauit. Dixit superba illa bestia, se Philippo ablaturum diadema regium, aut periclitaturum de petaso apostolico. Huic Innocentio ascribunbuntur superbissima illa uerba, quæ in Decretali Gregorij 9. de Elect. & electi potest. Titulo 6. cap. 34. Venerabilem, in hęc uerba legũtur: Principibus ius & potestatem eligẽdi regem, in Imperatorem postmodũ promouendũ, recognoscimus, ut debemus, ad quos de iure & antiqua consuetudine noscitur pertinere: præsertim cum ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenerit: quæ Romanũ imperium in personã magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos. Sed & principes recognoscere debent, quòd ius & authoritas examinandi personam electam in regẽ, & promouendam ad imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus, cõsecramus & coronamus, &c. Idem lib. 1. Tit. 33. de maioritate & obedient. Solitæ. Constantino scribens Imperat. Quãta est, inquit, inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & reges est differentia. Scilicet.

Anno Domini 1198. 1212.

Vide ut omnẽ sibi usurpent iã potestatem.

Friderychus 2 polyglottatos.

Porrò Friderychum 2, Barbarossę nepotem, principem egregium, plures excommunicauere Pontifices: Honorius 3, Gregorius 9, & Innocentius 4. Et quidem Gregorius 9, dum Frider. princeps optimus in Syria bellum gereret religionis ergò cum Soldano, pronincias Frid. inuasit & occupauit. Grauissima fuerunt dissidia & bella inter Pontifices & hunc Friderychum. Idẽ Innocentius 4, Conradum eius nominis 4, Friderychi 2 filium, excommunicat, & contra ipsum excitat principem Thuringię. Mortuo uerò Conrado, insinuauit se Pontifex in animos Neapolitanorum, ut se sedi dederent. Reliquerat Conradus filium Conradinum hæredem, & Manfredum fratrem spurium, qui se Siciliæ regem dici uoluit. Proinde papa Vrbanus 4, (quidam Clementem 4 habent) contra Manfredum euocauit, Ludouici diui Franciæ regis fratrem, Carolum Prouinciæ & Andegauorum comitem, cum exercitu in Italiam, eumque utriusque Siciliæ regem dixit. Is Manfredum uicit ad Beneuentum, & occidit, & regna Siciliæ à Papa in feudum accepit. At Conradinus Sueuiæ dux, in societatem adducto Friderycho Austriæ duce, instructissimas ex Germania copias ducit in Italiam contra Carolum, pro recuperando auito & paterno regno. Cæterùm ad Fucinũ lacũ à Carolo superatus, unà cum Friderycho captus est. Ad duodecim milia ibi cecidisse dicuntur. Authores tanti mali erant Pontifices, in primis Clemens 4: qui rogatus à Carolo principe, quid de captis agi placeret, ita respondit, ut Gallus intelligeret cædendos esse. Vtrunque ergo securi percussit. In quibus & prosapia posteritasque illustrissimorum ducum Sueuiæ & Austriæ defecisse dicitur. Copiosius hæc prosequitur Paul. Aemylius, de rebus gestis Francorum lib. 7. & Auentinus lib. 7. quem si libet, lege folio 706. Ac ne sic quidem placari potuit ira furorque sanctissimorum illorum patrum, conceptus ex eo, quòd pijssimi Sueuiæ duces constantissimè sese pro gloria Dei & salute reipub. opposuissent Romanis pontificibus, lupis dicere uolebam.

Anno Domini 1243. 1247.

Anno Domini 1263.

Anno Domini 1268.

Desolatum imperium.

Displicebant autem hæc parricidia & bella funesta bonis passim omnibus, potissimum uerò principibus prudentioribus & pijs, ita ut ab imperio illo ceu peste sibi cauendum intelligerent: quippe quod non tantum umbratile esset, sed præterea eius opes hæreditarias, etiamsi essent ullæ, exhauriret funditùs, qui se illi sustinuisset præfici. Iam enim in toto orbe decantatum erat, quid annis circiter 119, Germaniæ principes fortissimi & optimi, ab Heinrycho 4, usq; ad Friderychi liberos secundi, passi erant ab audaci pontificum ambitione, incredibiliq; malicia: quodque ex his plerique & uitam amiserant cum regnis suis auitis, & libertatem omnium præstantissimam.

Atque hic iam intercessit interregnũ annorũ aliquot: ego desolationem regni uel imperij appellare soleo. Pontifices enim insuperabili intolerandaq; improbitate & tyrãni de ita fregerãt imperatorum uires, ut imperium ueluti euersum uastatumq; uideretur: neque reperiretur aliquis facile, qui hoc magnificaret, aut magnopere sibi exoptandum existimaret. Tandem iubente pontifice Gregorio 10, concilium Lugduni celebran-

lebrante, eligitur comes Rodolphus ab Habſpurg: qui licet oblatum munus non reſpueret, ſæpe tamen Romam inuitatus, reſpondiſſe fertur: Auerſa me terrent ueſtigia pedum, ſignificans, ſe nihil fidere Pontificibus, utpote qui artibus ſuis & principes Germaniæ plurimos, & populum innumerum Romam uenientem perdiderant. Legitur autem regno inauguratus Rodolphus anno Domini 1273, ducenteſimo anno à Gregorio ſeptimo: quanto tempore durauerat Pōtificum & Imperarorum pugna. Paulo pòſt, dum Albertus Rodolphi filius eligeretur rex, & electio referretur ad Bonifaciū eius nominis 8 Pont. reiecit hic illam animosè, protinusq; & uerbis & factis oſtentauit, ſe eſſe Pontificem & Imperatorem, qui iure habeat utrunq; gladium. Id quod expoſui concione 58, expohitq; idipſum elegāter Albertus Krantz, rerum Saxonię. lib. 8. cap. 36. Alberto regi ſurrogatus eſt Heinrychus Lucemburgen. princeps. Quid autem in hunc & in imperium ſibi uendicauerit poteſtatis, Clemens 5 pont. cognoſcat ex Clementinis, qui uelit. Extat enim longa eius rei tractatio, lib. 2. de Iuram. tit. 9. Poſſem huius generis & alia plurima ex Ioan. 22. pont. alijsque cōmemorare, niſi ſuperuacaneū id fore crederem.

Proprietas regnorū eſt Pontificis, ſed uſus regum & principum.

Ex his enim quæ hactenus commemoraui, abundè colliqueſcit, ipſos Pontifices audacia ſcelerata ſibi rapuiſſe Imperium, ſe uenditare pro monarchis, regum opera & miniſterio ut uaſallorum abuti: filiorum tamen nomen obtendere, quo habeant obſequētiores. Sic enim ad Geuſam Hungarię regem ſcripſit quondam Gregorius ille ſeptimus: quem locum lege in libri huius cap. 17. Concione 75. At intelleximus interim, potiorem principum & procerum partem beſtiam illam non agnouiſſe, ſed oppugnaſſe potius, eaque de cauſſa in cenſum beſtiæ non uenire, niſi quatenus ſub Imperio uixerunt, alieni tamen prorſus à beſtia.

Hoc paucis, ijs uolo reſponſum, qui clamabunt: Quis æquo ferat animo, beſtiæ imaginem appellari ſanctum imperium, & tot illuſtres reges & principes, urbes & populos laude dignos? Ego uerò modum loquendi Scripturæ mutare nec debeo, nec uolo. Domini uniuerſorum uerba ſunt, quæ olim Daniel, & nunc Ioannes nobis reuelarunt: excipere autem & excuſare poſſum teſtimonio Scripturę excuſatos. Breuis & expedita eſt ratio: Quiſquis alienus uult eſſe à beſtia, caueat ne inſpiretur ſpiritu Pontificis: neúe loquatur & faciat, quod iuſſerit contra pietatem Pontifex. Regatur potius Chriſti ſpiritu: ita fiet, ut agens in media Babylone, ſecundum iniquitates Babylonis non uiuat, ſed in regno Chriſti.

Qui non adorauerint beſtiā occidentur.

Sequitur: Et faciet beſtia, ut quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur. In idem autem recidunt, adorare beſtiam illam ueterem, & adorare nouæ beſtiæ imaginem. De adoratione illius dixi paulo ſuperius. Adorant imaginē beſtiæ itaq;, qui decreta & ordinationes illas ſedis, & imperij loquētis inſpiratiōne beſtiæ, recipiūt: qui Romanas approbant religiones, qui proruunt ad oſcula pedum, ac ſe per omnia exhibent obediētes filios ſedis, & fideles ſunt Papiſtici Imperij. Porrò ſi quis talis eſſe nolit, & Chriſtianiſmum ſatis eſſe uelit, Romam beſtiæ ſedem & beſtiæ imaginem horreat, is tanquā ſacrilegus & perduellis indignus uita iudicatur. Extat Canon in Decret. lib. 5. tit. 7. De hæret. Ad abolendam, quo abſque uerborum ambagibus, ſimpliciter decernit Lucius eius nominis 3, hæreticos eſſe æterno percuſſos anathemate, quicunq; aliter ſentiunt & docent de ſacramentis, quàm ſentit & docet Romana eccleſia. Præcipit præterea, ut huiuſmodi omni dignitate nudati, arbitrio obijciantur ſecularium, debita (ut aiunt) animaduerſione puniendi. Si uerò ſecularis magiſtratus punire nolit, atq; ita defendere eccleſiam, ut is quoque omni ſpolietur honore, &c. Sed quid his recenſendis immoror? Sciunt & uident hodie omnes, quæ fiunt quotidie. Condemnantur, proſcribuntur, eijciuntur, in carceres concluduntur, uarijs tormentis excarnificantur, tandem & atrociter trucidantur, quicunque & beſtiam & imaginē eius adorare renuerint.

Dominus Ieſus, uerus eccleſiæ ſuæ rex & pontifex nobis ſuccurrat, & coherceat beſtiæ ſceleratæ truculentiam. Amen.

De charactere & numero nominis beſtiæ.

CONCIO LX.

ET facit omnes puſillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos ac ſeruos, accipere characterem in manu ſua dextera, aut in frontibus ſuis. Et ne quis poſsit emere aut uendere, niſi qui habeat characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt. Et numerus eius ſexcenti ſexagintaſex.

Adijcit reliqua, ex quibus agnoſcatur Antichriſtus, & caueatur. Et quidē ex his præcipuè agnoſci poterit, quæ conſequuntur.

Subditi Antichriſti. Loquitur autem de Antichriſti & regis huius noui, Pōtificisq́; ſubditis. Parabit ſibi, inquit, immenſam turbam ex omni genere hominum, ex omnibus ſtatibus ſeu ordinibus. Nam regnum eius futurum eſt ampliſsimum. Ideo genera aliquot hominū & ordines recitat Dominus: & ſub his intelligit, quicquid eiuſdē ordinis eſt in toto orbe. Obnoxios ſibi fecit Antichriſtus Romanus puſillos & magnos, diuites & pauperes: liberos, id eſt nobiles, & ſeruos. Videmus enim illi parēre Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Lantgrauios, Comites, regna, prouincias, urbes, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, prælatos, doctores, clericos, plebeios: item homines potentiſs. opulentiſs. ſapientiſs. unà cum paupere uulgo. Nullum eſt tale ac ita compoſitum uariè in mundo regnum, ne inter Mahumetiſtas quidem. Et iſti quidem omnes libenter ſubiecti ſunt ſedi: quinimò perſuaſerunt ſibi, ſe non poſſe commodè uiuere, non poſſe ſeruari ſe, niſi ſubiecti ſint ſedi.

Character Antichriſti. Quemadmodum uerò principes, ſed & uulgus ipſum, ſuos ſibiq́ue deditos notis diſtinguūt, per quas agnoſcantur cuius poteſtati ſint ſubiecti, aut cui miniſtrent. Etenim habet quiſque ſuos colores: hic nigrum & album, ille rubrum & giluū, alius puniceum & candidum, quib. miniſtros aut ſeruos ſuos inſigniunt, & hi iſtis ſeſe illis addictos eſſe profitētur. Inuruntur & equis ſtigmata, & domeſticis uaſis inſculpūtur characteres. Ita ſanè Antichriſtus habebit & ſuum χάραγμα, utique characterem, quo & homines ſibi deuinciet, & deuinctos notabit, ut diſcernantur ab alijs, atque hoc modo notam & ueluti colores gerant ſui domini. Dabit aūt characterē in manu dextera, aut in frontibus.

Character in dextera, aut frontibus. Aretas & Primaſius, denique interpretes concorditer omnes, exponunt confeſsionem oris & ſtudium, operationemq́; boni operis. Audiuimus ſanè, Chriſtū in ſeptimo cap. ſuis illis cultoribus imprimere in frōtes fidem, per charitatem efficacem. Ac reuera ſignum filiorum Dei, eſt fides, & quæ ex fide naſcitur charitas. Ita ſcripta teſtantur Euāgelica & apoſtolica. Habet interim Chriſtus externas quoque ſuorum notas, ipſa ſalutaria Eccleſiæ ſacramenta, baptiſma & cœnam Dominicam.

Cæterùm ſi quis hodie baptiſatus ſit, & participet de cœna Domini, inuocet Deum patrem oratione Dominica, fidemq́ue ſuam profiteatur per ſinceram confeſsionē ſymboli Apoſtolici: addè & bona opera eſſe fateatur, quæ ex fide fiunt ſecūdum normā Decalogi, & clarus præterea ſit bonis operibus: an is habebitur pro orthodoxo, pro catholico, & uerè Chriſtiano homine? Olim quidem omnes illum amplexi fuiſſent pro fratre. Quid autem hodie fit in Papatu? Nihil uideberis hiſce omnibus confeſsus eſſe ueræ fidei, niſi diſertè profitearis, te credere ſecundum fidem & traditionem eccleſiæ Romanæ: ac illa te pro bonis agnoſcere operib. quæ approbauit Romana eccleſia. Niſi ita ſentias, & ita profitearis, fruſtra cōfiteberis ſuperiora omnia. Adde, & te credere Legi, Prophetis, Euangelio & Apoſtolis. Multo melius de te ſentient iſti, ſi dicas te obedientem eſſe filium Romanæ Apoſtolicæq́ue eccleſiæ: quàm ſi dicas, te filium eſſe Dei, eſſe hominem Chriſtianum, omnem tuam fiduciam figere in ipſum Dei filium, qui ſit unica ſalus & iuſticia. Quinimò reperies, qui protinus ad iſta uerba clamabunt, Reſipere illa hæreſim,

resim,& animum infectum peste. Nihil fingo. Vera me loqui, testatur ipsa experientia. Ita uerò insignit & frontem & dextram hominibus Papa. Ita internoscuntur ab alijs fidelibus, ceu notis, boni Romanenses

Accedit his etiam aliud. Disertè conteſtantur omnes Papistæ, nisi quis chrismate per manum episcopi in fronte notetur, Christianum non esse: utcunque baptisatus sit, & credat in Christum Iesum. Vnde consequens est, illos plus tribuere suæ Confirmationi aut unctioni episcopali, quàm fidei Christianæ. Legatur Summa, quam uocant, Angelica, in titulo Cõfirmationis. Est ergo hæc consignatio religionis Papisticæ: Christianę, sufficiunt notæ Christi. Imprimit & alia ratione notam Papa dexteræ hominum, per uotorum nuncupationem, & iuramentorum (ut uocant) persolutionem. Qui enim uouent in religionis, uti appellant, ingressu, ueluti stipulatione facta, Romano Papæ & sedi Romanæ sese obstringunt. Vota illa prophana audent uocare secundarium baptismum. Cæterùm iuramentis quoque, eleuatione manus dextræ præstandis, obstringit & obnoxios sibi reddit Papa Antichristus, Imperatores, Reges, Archiepiscopos, Principes, Episcopos, Doctores, Scholas, & omnes ordines. Promittunt illi se nihil tentaturos contra Romanam ecclesiam, contra eius summum Pontificem, contra priuilegia & statuta sedis. Extant in Decretis & Decretalibus formulæ iuramentorum. Paucis hęc perstringo. Plura uident, qui oculos non comprimunt. Omnes autem cernunt, quomodo Pontifex characterem dederit in manum dextram, & frontem hominum.

Sequitur rursus de truculenta sæuitia, immaniąque tyrannide, quã exercet Antichristus contra Christianos, id est, contra illos qui characterem bestiæ recipere nolunt: hoc est, qui se libidini Pontificis & sedi pestilentiæ prostituere nolunt. Efficiet, inquit Dominus, potentia sua Antichristus, ne quis possit emere aut uendere, nisi qui habeat characterem bestiæ, &c. In idem autem recidunt character bestiæ, nomen bestiæ, & numerus nominis bestiæ. Nam habet characterem bestiæ, qui agnoscit sedem, & profitetur fidem Romanam: adeoque, cui non est satis fides Christiana. Nomẽ bestię habet, quisquis uult se nominari sanctæ sedis obedientem filium, ac Papam agnoscit caput esse ecclesiæ uniuersalis. Numerum nominis bestię habet, qui cum bestia coniunctionẽ habet, quam numerus ille prodit aut indicat. Ergo nisi agnoscas Papam esse supremum in terris caput ecclesiæ, cum potestatis plenitudine: nisi profitearis te sequi fidem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, & execrari omnia quæcunque sedes illa damnauit, igni & aqua tibi interdicitur. Id uocauit Dominus prohibere, ne possis uel emere uel uẽdere. Germanicè dicimus, *Im ist malen vnd bachen abgeschlagen*: significantes, aliquem omni abdicatum esse hominum consortio. Intelligit ergo excommunicationem, fulmen illud horrendum Papæ, quo feriuntur omnes qui Christum pluris fecerint, quàm Pontificem, aut qui decreta Pontificis fastidierint præ Euangelio. Legat qui uelit, Sextum Decretal. Bonifacij 8, lib. 5. tit. 2. de hæreticis. item Clement. lib. 5. tit. 3. de hæreticis. Compendium uerò tyrãnidis, & speculum lanienæ, qui exactè cognoscere uelit, legat Martini 5 Diploma, quod subijcitur sessionib. concilij Constantiensis, ac scriptum est episcopis & inquisitoribus hæreticæ prauitatis. Inter alia, quod mirè illustrat hunc locum quem interpretamur, præcipit, communionem cum Romana ecclesia aspernantibus, ne domicilia quidem tenere, larem fouere, contractus inire, negotiationes & mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittant. Lege tu reliqua, fol. 134. Huc accedit, quod in templis Papisticis emptiones & uenditiones fiunt omnium maximæ. At nisi cuius uertex rasus sit, & oleo imbutæ manus, hoc est, nisi in fronte uel capite & in dextra susceperit characterem indelebilem (ita enim appellant) non relinquitur ipsi ullus in domo mercatus, uel angustissimus locus. Christus uerò mercatores, siue ementes & uendentes semel & iterum flagello è templo eiecit: Antichristus rursus induxit. Ac mirum est sanè, plus hodie parci Iudęis, Turcis & ethnicis, quàm Christianis. Nam solis Euangelicis nullus conceditur locus: nimirum quòd Christo omnia tribuãt, Christum unicè prædicent, Papæ nihil relinquant, immò accusent constantissimè, infensissimeque.

Prohibet, ne quis possit emere aut uendere.

Sed quid facies illis, quorum manus & frontes fuerunt charactere inquinatæ? Iubeo ut

Consilium pro seductis.

ut abluant ſanguine Chriſti, deſciſcant ab Antichriſto, & conuertantur ad Chriſtum, reſipiſcendo ab erroribus, & pœnitendo. Si iureiurando temetipſum aſtrinxiſti Antichriſto, noli temerarium & impium iuramentum perſoluere, impia Euangelio contradictione. Age pœnitentiam, purga te, reuertere ad Chriſtum, & ſaluus eris.

Hic eſt ſapientia.

Porrò ne quis hic obſtreperet, poſſe nos Chriſtianos eſſe, & abundè doctos in ſapientia cœleſti, utcunque nihil de Papa & rebus Papiſticis audiamus, aut dicamus. Diſputationes illas eſſe inutiles, imò odioſas, & pertinere ad turbas concitandas, ideoque noxias eſſe & ſtultas: præoccupat id Dominus noſter, & diſertè dicit, Hic eſt ſapientia: in his cognoſcendis & rectè dijudicandis uerſatur uera, cœleſtis & diuina ſapientia. Niſi in hac re fuerimus ſapientes, ſtulti erimus, non ſapientes. Excitat ergo auditores Dominus ad ſtudium inquirendi Antichriſtum, cauendique inuentum. Nam 14. cap. audiemus, bibituros de uino iræ diuinæ, quotquot receperint characterem beſtiæ, imaginemque eius adorauerint. Proinde bibent in eadem menſa cum Chriſto de poculo uitæ & gratiæ diuinæ, quotquot Papatum fuerint auerſati. Quis autem negauerit ueram eſſe ſapientiam, per quam ab ira Dei ad eiuſdem gratiam atque conſortium uel participationem peruenitur? Quinimò ſubijcit Dominus, intellectu præditos, id eſt, non dementatos & ſtultitia adobrutos pernicioſa, computaturos nomen beſtiæ: hoc eſt, diligentiſsimè uerſaturos in hac cauſa, ut ea quoque ſcrutentur, quę mundani homines curioſe inquiri, aut ſine fructu, imò cũ detrimento inueſtigari clamitãt. Præterea iubet Dominus ſupputare numerũ nominis beſtiæ. Addit id nõ fore difficile. nam numerũ hunc hominis eſſe numerum, nimirum quem homo induſtrius facile, fide, labore, aſſequatur. Nam ita exponit & Aretas, dicens, numerum eſſe conſuetum & cognitum hominibus. Deſinant ergo noſtra turbare ſtudia pia, qui ſuggillant noſtras conciones contra Papam inſtitutas, noſtramque diligentiam qualemcunque in explicandis abominationibus Papiſticis rident, denique in ſupputatione temporum inanem nos operam collocare autumant. Audiunt ſanè hic, niſi nihil audire uelint, nos præceptum accepiſſe à Domino, ut hoc faciamus: inſuper Dominum teſtificari, in his eſſe ſapientiam.

Iubemur diligenter ſcrutari Antichriſtũ.

Numerus nominis beſtiæ.

Moneo autem genus loquendi eſſe obſeruandum, ne fruſtra defatigemus & nos & auditores noſtros inquiſitione certi nominis in numeris, eo quòd dicatur numerus nominis eius, quaſi uoluerit nomen certum elici aut componi ex characteribus χξς: ſicutĩ plerunque ex his tribus characteribus uel elementis χξς, nomen Chriſtus colligitur. Nec deſunt qui characteribus illis tribus nihil aliud ſignificatum putent, quàm Chriſti nomen: quod Antichriſtum uſurpaturum, ipſe Dominus prædixit Matth. 24. Certè uicarium Chriſti ſe uocat. Scio quidem, magnorum uirorum nomina propria, uaticinijs eſſe conſignata atque prædicta: ut Ioſias, Cyrus, Ieſus. At tale nihil hic collegeris, niſi coactè, & renitente Minerua, quod dicitur. Intelligo ergo per numerum nominis Antichriſti uel beſtiæ, ſupputationem ipſam, per quam peruenitur ad nomen eius. Eſt autem nomen, breuis cuiuſuis rei definitio uel deſcriptio, unde, quæ & qualis ſit, cognoſcitur. Supplet autem hoc, hac in noſtra cauſſa, numerus, qui ad ea nos perducit tempora, quæ induntilli nomen, *die im den namen gãbend*, hoc eſt, quæ nobis Antichriſtũ in prophetis prædictum reuelant, oſtenduntque quis & qualis ſit, aut quem pro Antichriſto habeamus. eum utique, qui humiliatis tribus regibus, ipſe ex nihilo emergit, & in perniciem ueræ religionis imperare incipit.

Exponitur numerus annorũ 666.

Iam ergo numerum hunc nominalem, ut ſic dicam, uocalemque, qui nos ad Antichriſtum perducat, ut ſciamus quis ſit, & cognitum Antichriſtum caueamus, diſertè edit, & iubet nos numerare annos ſexcentos ſexagintaſex. Tantum enim pollent uel ualent hæc Græcorum elementa χξς. In quo numero explicando mirè uariarunt interpretes. Mihi præ cæteris probatur expoſitio beati Irenæi martyris, qui fortaſsis centum annis ab edita Apocalypſi librum ſuum contra hæreſes ſcripſit, ac quoſdam uidit, qui Ioannem prædicantem audiuere. Cum Irenæo facit & beatus Cæſarienſis epiſcopus Andræas, qui apud Aretam ſic dicit: Exactum quidem calculum, & numeri ſupputationem, ſicut & cætera, quæ de illo (Antichriſto) ſcripta ſunt, temporis patefaciet opportunitas, & ipſa experientia, ijs qui uigilauerint. Si enim neceſſarium eſſet, ut quidam doctorum

Tempus reuelabit.

ctorum uolunt,ut manifestè nomen hoc cognosceretur:qui ipsum uidit, utique reuelasset.Sed diuina gratia non approbauit,ut in diuino libro nomen huius pestiferi recenseretur. Hæc Andreas.

Ad eundem modum & sanctus Christi martyr Irenæus,ante Andream scriptum reliquit,5. lib.contra hæreses edito.Sub finem enim libri:Certius, inquit, & sine periculo est,sustinere uel expectare adimpletionem prophetiæ,quàm suspicari & diuinare nomina quælibet:quando multa nomina inueniri possunt habentia prædictum numerum, unde tamen quæstio non explicetur.Mox tamen idem:Nomen λατεῖνος Latinus continet sexcentorum sexagintasex numerum. Et ualde uerisimile est. Quoniam uerisimũ regnum hoc habet uocabulum.Latini enim sunt,qui nunc regnant.Hæc ille.Ac reuera nihil aberrauit bonus hic doctor,imbutus sancto Dei spiritu. Videmus enim Romanã ecclesiam appellari Latinam, Papam Latinæ ecclesiæ Pontificem summum. Videmus omnia in templis peragi Latina lingua:in curia & in omnibus iudicijs episcoporum usurpari duntaxat linguam Latinam.Quinimò nemo seruierit huic ecclesiæ, nisi sit Latinus.Quid quod Hebræam,id est, sanctam linguam,Latini illi appellant probroso nocabulo Iudaicam, Græcorum ecclesiam & linguã hæreticã? Suspecta illis sunt exemplaria Bibliorum Hebræa & Græca. Nam sola Latina biblia uolunt esse authentica,& legi ab omnibus ut authentica.Sed hæc notiora sunt, quàm monere, & multis recitare debeam.Cęterùm beatus Irenæus hanc suam diuinationem non omnino affirmat ut certis.quam tamen maximè uerisimilem uel probabilem esse dixit.Subiungit enim: Nos tamen non periclitabimur in eo (nam & nomen τειτὰν Titan,regale,Nimrodicũ & tyrannicum nomen,recensuit) nec asseuerantes pronunciabimus, hoc eum nomen habiturum:scientes,quoniam si oporteret manifestè præsenti tempore prœconiari nomen eius, per ipsum utique editum fuisset, qui & Apocalypsim uiderat. Hunc autem numerum nominis ostendit,ut caueamus illum uenientem,scientes quis est. Nomen autem eius tacuit:quoniam dignum non est præconiari à spiritu sancto.Et reliqua.

Irenæi expositio.

Latinus erit Antichristus,si cuti & Sibylla prædixit.

Idem tamen ante hæc uiam nobis commonstrat,quomodo supputemus illos 666 annos.Nam sic dicit:Scientes firmum numerũ, qui à Scriptura annunciatus est, id est, sexcentorum sexagintasex,sustineant (uel expectent pij) primùm quidem diuisionem regni in decem, post deinde illis regnantibus & incipientibus corrigere sua negotia, & augere suum regnum,qui de improuiso aduenerit, regnum sibi uindicans, & terrebit prædictos,habens nomen continens prædictum numerum, hunc uerè cognoscere esse abominationem desolationis. Hæc ille.

Danielis locus cap.7.hunc illustrat.

Quis autem non uideat,beatum martyrem ablegare nos ad Danielis uaticinium,qui in cap.7.dicit,Romanum imperium dilapsurum in regna plurima: tum demum in medio regnorum illorum oboriturum cornu paruulum, quod deijciat & humiliet tria cornua,ipsumque superbè & tyrannicè impieque imperitare incipiat,Deo aduersum & hominibus,fidelibus uerò maximè intolerandum?

Videamus ergo,quomodo & quando hæc sint adimpleta. Romanũ imperium cum Imperatores haberet pios,nec tamen impia Roma ceruicem induratam Christo flecteret,sed pertinacissimè semper aspiraret ad ueterem & consuetam idololatriam, quam & restitutam cupiebat:tempus deniq; adesset fatale, quo iustissimus Dominus sanguinariæ Romæ cogitaret rependere,Gotthos,Vuandalos & Germanos in ipsam armauit Romam,qui & ipsam mundi dominam subiugarunt & perdiderunt, & totum dissiparunt Imperium.Qua de re require copiosiora 57 Concione,& in consequentibus.

Deficit Romanum imperiũ.

Constat autem ex historijs,Romanum imperium, Gotthis hoc impetere incipientibus,dilapsum,deficientibus ubiq; prouincijs, in plurima discissum esse regna. Nam ut de Asia & Aphrica,istam Persis,hanc Vuandalis deuastantibus,nihil commemorem,tota Græcia Constantinopolitanum Imper.sequuta est,eundem sequutæ & uicinæ gentes.Vuestgotthi occuparũt Hispanias,Gallias uerò & Germaniã uicinasq; gentes Frãci subiugarũt.Ostgotthi & Langobardi obtinuerũt Italiã.Ita sanè cõstituta sunt regna plurima,& reges regnauerũt ꝑ una Roma multi.Cęterùm dũ hi reges dispicerẽt,quomodo quiq; sua regna q̃ latissimè ꝓpagarẽt,& alios deijcerẽt ac pellerẽt, episcopus Romanus callidè

Oriuntur multa cornua, uel reges multi.

callidè ſuam quoque rem egit. Nam ut omnibus epiſcopis præemineret, impetrauit: ita uerò authoritatem ſibi apud reges & regna parauit, imò in regum & principum amicitiam ac fœdera ſeſe inſinuauit, implicauitque. Vnde mox & derepentè, aut ſicut martyr Chriſti prædixit de improuiſo, emerſit, ſibique regnum, Romanum utique, tandem uſurpauit. Nam regem Childerychum, ex ſtirpe Merouingorum, regem Francorum legitimum, ſuis iudicijs falsò pro apoſtolicis habitis, humiliauit: & Pipinum, prætorio tunc Francico præfectũ, ſubuexit in regnum. Atque ita unum quidem cornu deiecit, ſeu humiliauit: ſibi uerò potentiſsimum regem deuinxit, cuius opera poſtea uſus terrorem incuſsit regib. Græcorum & Langobardorum.

De Exarchatu Rauennate in Italia.

Nam circa annum Domini 569, aut circiter, inſtituit in Italia, eiectis Oſtgotthis, Imperator Conſtantinopolitanus exarchatum. Cum autem hoc gubernationis & dominationis genus non ſit cognitum omnibus, paucis quale fuerit, & quantum, commemorabo Naucleri hiſtorici uerbis ex Generat. 20. Cœperunt, inquit, tunc urbs Roma & Italia nouam habere gubernationis formam, ex qua dignitatem, gloriam, & apud orbem terrarum timorem magis amiſerunt, quàm omnibus ex calamitatibus, quæ eos 160 annos attriuerunt, atque aliquando reliquerant Romam feris inhabitandam. Longinus nanque nouum dignitatis nomen induxit, exarchatus Italiæ: is eſt ſummus magiſtratus. Et Rauennæ ſe continens, nunquam iuit ad urbem Romam. In adminiſtratione uerò Italię & urbium hunc primus ſeruauit morem, ut non prouinciæ aut regioni præeſſet præſes: ſed ſingulæ urbes à ſingulis regerentur magiſtratibus, quos appellauit Duces. Parem itaq; faciens urbem Romam, alijs urbibus uel oppidis, hac una in re illam honorauit, quòd impoſitum tunc magiſtratum Præſidem appellauit. Sed qui ſucceſſerunt, ſunt appellati Duces, ut poſtea per multos annos, ſic ut Romanus appellaretur Ducatus, ſicut Narnienſis & Spoletanus eſt dictus. Neque poſt Narſetem & Baſiliũ ullos amplius uel Coſs. habuit, uel Senatum legitimè coactum: ſed Duce homine Græculo, quem Exarchus ex Rauenna mittebat, res Romana per multa tempora eſt adminiſtrata. Tantum ille.

Roma prorſus deiecta.

Opinor ex his quemlibet nullo negotio intelligere, uaticinia abundè eſſe impleta, & cecidiſſe Romanum imperium in cineres. Quæ enim fuerat mundi domina potentiſsima, nunc facta cernitur uilis præfectura, nihilo excellentior Spoletana & Narnienſi, &c. Sciendum autem eſt, hunc exarchatum in Italia tertiam inſtitutam eſſe dynaſtiam à peremptо Auguſtulo, in quo finijſſe aut deſijſſe dicunt hiſtoriæ Occidentale imperium. Principiò enim cæſo Auguſtulo, Germani duce Odacre rege Romam occuparunt. Deinde Oſtgotthi duce Theodorycho Veronenſi, eiecto Odacre, & cæſo, Romæ & in Italia regnarunt. Poſtremò deletis, & Italia eiectis, opera Langobardorum, Oſtgotthis, hic exarchatus eſt inſtitutus. Et Langobardi quidem euocati in Italiam à Græcis, contra Gotthos, noluerunt cedere Italia, quòd cernerent uberem & diuitem, amœnam & affluentem delicijs eſſe terram. Potentes ergo facti in Italia, quamplures ſibi urbes & populos Italię ſubdiderunt, quartam iam dynaſtiam conſtituentes, quam appellarunt regnum Langobardicum. Habuerunt reges potentiſsimos. Cæterùm exarchatum illum Rauennatem, quamuis ſedulò ei inſidiarentur, & occupare niterentur, nunquam tamen extinguere potuerunt: donec ſuam operam Pontifex Romanus adiungeret, religionis ſinceritatem prætexens.

Langberter.

Idololatriæ aſſertio facit ex Põtifice Rom. regem.

Exarchas numerant ordine hiſtorici ſedecim, qui regnarunt per annos circiter 180. Decimusquintus Paulus appellabatur. Nauclerus Gener. 25. Mandauit Leo 3 Imperator Conſtantinop. ait, ut qui Romano imperio ſubderẽtur, imagines quaſq; tollerent, abraderent & exurerent. Contrà Pontifex (alij Gregorium 2, alij 3 uolunt) per uniuerſum orbem ſcripſit, ne tam impijs mandatis Imperatoris obedirent. Addit Platina in uita Gregorij 3: Gregorius cleri Romani conſenſu Leonem 3 Imper. Conſtantinopolitanum imperio ſimul & cõmunione fidelium priuat, quòd ſtatuas demolitus eſſet. Pergit Nauclerus: Tantam uerò tunc authoritatem decreta Pontificum habuerunt, ut Rauennates primi, exin Venetiæ populi atque milites, apertam in Imperatorem Exarchumq; rebellionem prę ſe tulerint. Et procedebat in diẽ rebellio. Marinus enim Spatarius, qui

Romanæ

Romanæ urbis dux erat, eiusque filius Adrianus, dum Campaniam penetrant, à Romanis occisi sunt. Quorum in locum ducem ipsi sibi, Petrum nomine, creauerunt. Rauennates quoq; dum alij Imperatori, alij Pontifici obtemperandum dicerent, facto tumultu, Paulum exarchum cum filio interficiunt. Hæc Nauclerus.

Fräci per Papam euocãtur in Italiam.

In his turbis Lãgobardi diu exoptatam sibi occasionem oblatam existimantes, duce Luitprando rege ipsorum, irruunt in loca Exarchatus, & ipsam quoque Romam obsidione cingunt. Papa uerò Gregorius, turbarum omnium per Italiam fax, miles & practicator, non sacerdos & prædicator, Carolum Martellum Pipini parentem euocat cum suis Francis in Italiam contra Langobardos. Cæterùm Carolus amicè Langobardorũ regem ab urbe auertit. Attamen non multo pòst tempore Aistulphus Langobard. rex, agrum Rauennatem rursus depopulatur, bellum reparat Italicum, adeoq; Rauennam ipsam capit, & Romanæ urbi tributum indicit. Porrò Stephanus 2, pont. qui aspirabat ad exarchatum, & Langobardos optabat deletos, à Pipino Francorum rege, cui regnum non ita pridem Zacharias pontifex iniquo suo (quod non paucis uidetur) iudicio attribuerat, auxilia postulat, & liberationem, ipsi ueluti delato regno. Proinde in armis sunt Franci, cupientes & ipsi Italia potiri. Dum descendisset in Italiam Pipinus, obuiã habuit legatos Constantinop. imperatoris, qui postulabant, ut Rauennam, & eius exarchatum, imperio, cuius iure esset, non Papæ aut Romanis, redderet. Respondit Pipinus, se militare S. Petro & Pontifici: conariq́ue, ne Langobardi uexent Ecclesiam. ac ab illis se uelle Exarchatum, & alia Italiæ auferre, & Pontifici tradere, quod & præstitit. Nam Aistulphum uicit, exarchatum ipsi ademit, & Pontifici Romano tradidit.

Papa electis regibus, ipse fit rex.

Vident in his omnes homines, nisi qui nihil uidere uolunt, pastorem illum despectũ, & cornu exile admodum, uno impetu duo deiecisse cornua. Nam & Imperat. Constantinopolitanum eiecit Exarchatu: deinde & Longobardorum regem tolli curauit, gentemq́ue Italiæ eiecit. Etenim paucos post annos pontifex ultimum Langobardorum regem Desiderium, armis Caroli magni deleuit, & pariter uniuersam Langobardorum gentem excidit. Sic autem emersit Papa, & factus est ueluti Rex ueteris Romæ, & eximiæ partis Italiæ. Et quidem initia regni sunt posita, nondum cum plenitudine potestatis regnatum est. id quod superius est expositum. Proinde Eberhardus Salisburgen. archiepiscopus, cuius uerba in Præfatione libri huius recensui, lõgius ista extẽdit. Ego uerò existimo explicationem nostram congruere prophetæ & temporibus rebusque, &c. Rependit autem Pipino regi pro tanta donatione titulum, quod Platina refert in uita Stephani 2, ut omnes Reges Francorum appellentur Christianissimi. Carolo collatum est postea imperium imaginarium: de quo antea dictum est.

Potentiß. rex factus Papa.

Ne aũt nihil accepisse uideatur Papa, dum Exarchatũ dono accepit à Pipino, sic referunt historiæ: Erat Exarchatus in regiones duas distributus, in Pentapolim & Aemyliam. Habebat urbes Pentapolis quinque, Rauennam, Cesenam, Classem, Forum Liuij & Forum Popilij. Fuere in Aemylia, Bononia, Rhegium, Parma, Placentia, & quicquid terræ est à Placentinorum finibus & Ticinien. ad Adriam usque, & ab Adria Ariminum usq;, &c. Sed legat, qui uelit, Donationem Ludouici Pij apud Volaterranum in Geographia, ubi Reges Francorum enumerat. Nihildum dicimus de eo quod sequentib. temporibus potestatem sibi usurpauit in reges & regna, denique in omnes ecclesias & animas hominũ, ut fateri nos oporteat, nusquam uixisse principem mirabiliorem,

Põtificis aucta potentia in spiritualib. & tẽporalibus.

Habes breui compendio historiam, explicantem quomodo Papa humiliatis & deiectis tribus regibus, ipse fieri cœperit rex. Applicemus autem his numerum nominis bestiæ, ut ita toti orbi innotescat, non alium expectandum esse Antichristum, quàm qui aduenit, Pontificem Romanũ: qui quidem initia dominij iecit sub Phoca, sub Regibus Francorũ fundauit regnũ, ac nonnihil prouexit: ampliauit autem sub Heinrychis & Friderychis, confirmauit demum sub sequentibus regibus: regnat nostro seculo, ac præcedentibus iam aliquot, &c.

Supputatio 666 annorum ineunda est ab eo tempore, quo Ioánes Apocalypsim uidit. Irenæus: Non ante multum temporis, inquit, uisa est, sed penè sub nostro seculo, ad finem imperij Domitiani. Eusebius uerò in Chronicis dicit, illum annũ fuisse à natiuita

Fatalis annus Domini 763.

te Domini 97. Iccirco reſtant adhuc anni 3, ad complendã primam à natali Domini centuriam. Adde ergo annis centum, annos hos numeris nominis beſtiæ 666, & detrahe annos illos primæ centurię tres, & habebis annum Domini 763, qui fuit 13, aut circiter, regni Pipini & Pauli pontificis 7. Sunt tamen hiſtorici ac chronographi, qui non niſi unum annum Paulo tribuant, &c.

Iam uerò non ſpectandum eſt, quid illo ueluti pũcto anni 763 euenerit: ſed quid proximis annis præcedentibus & conſequentibus contigerit. De quo paucula ex hiſtorijs & Chronicis recitare uolo.

Prodigia & portenta.

Nauclerus Generatione 26. Anno Domini 750, ſub Zacharia papa, inquit, & ſub Cõſtantino V, incœpit 26 generatio, in qua facta eſt regni Francorũ innouatio, regũ Langobardorũ exterminatio, & Imperij Romani à Græcis trãsferẽdi diſpoſitio. Has mutationes fortè præſagiebãt prodigia, quæ hoc tempore cõtigerunt. In Meſopotamia terra diſrupta eſt ad duo miliaria, & mulus humana uoce loquutus fertur. Cinis de cœlo cecidit. Fuere terremotus mirabiles. Cruces in ueſtib. hominum apparuerunt. Hęc Naucler. Similia leguntur in Eutropij, quæ extat, hiſtoria, lib. 22. ſub anno Conſtantini 6 & 23. denique in Speculo hiſtoriali Vincentij, & in Faſciculo temporum.

Pipinus fit rex.

Anno Domini 751, cõſilio Zacharię põtificis Pipinus maior domus (præfectus prætorio) oppreſſo Hilderycho rege Frãcorũ regnare incipit, & regnat annis 18. Hęc Aemylius tradit lib. De regib. Frãc. 2. Anno 755, Pipinus ingreditur cũ exercitu Italiã, cõprimit Langobardorũ regẽ, & exarchatũ Rauẽnatẽ omnẽ donat S. Petro, reclamãte Imperatore Cõſtãtinopolitano. Hæc tradit Vrſpergẽſis in Chronicis. Vides itaq;, pro Imperatore Romæ & in Italia iam regnare utcũq; incipere Põtificẽ, decuſsis ſecundũ uaticiniũ cornibus.

Exarchatus donatur Papæ.

Initia & præludia translati imperij.

Matthæus Palmerius in Chronicis ſub anno 756: Deficiẽte ſedulò, inquit, in oriente Romano Imperio, & imperatore Chriſtianos (idololatras dixiſſet) perſequẽte, Stephanus pontifex Imperiales titulos ac dignitates Francorum regibus conceſsit, & Pipinum, ſuosque tantum à ſtirpe ſucceſſores in eorum reges confirmauit, cæteris uerò omnib. interdixit, & Romani populi nomine patriciũ dixit. Hactenus Palmerius.

Romana religio obtruſa.

Ioan. Funccius in Chron. ſub anno Domini 756. Romanæ eccleſiæ ritus & cæremoniæ in Frãciam translatæ, & primũ ſunt receptæ. Anno Domini 757, fit Paulus pontifex, & ſequitur mox fatalis ille annus 763. Quaſi medius pũctus inter 750 annũ, & 770, uel 773. Quibus ea omnino contigere, quæ & Antichriſto nomẽ dãt, & ex quib. ceu res quęlibet ex ſuo nomine cognoſcitur, & ipſe nomen indipiſcitur & agnoſcitur.

Confirmatur idololatria.

Anno Domini 768, Stephanus 3. Romę in Lateranẽſi eccleſia coegit cõciliũ epiſcoporũ Gallię & Italiæ: ac cõſtituit, ne quis ordinaretur Rom. pontifex niſi Cardinalis. Damnauit item Græcam ſynodum Conſtantini Imperatoris contra imagines, quas ipſe habendas & uenerandas mandauit. Hęc tradidit Antoninus in Chron. Tit. 14. cap. primo. §. quinto.

Carolus confirmat omnia.

Poſt hæc Carolus ille magnus, Pipini filius, in Italiã euocatus ab Hadriano pont. De ſyderium Langobardorum regem capit, & regnum Langobardorũ delet. Acta ſunt hęc anno Domini 773, quarto itẽ & ducẽteſimo anno, poſtquam in Italiam uenerant Langobardi. Confirmauit autem Pipini patris donationem, & auxit. Id quod plerique commemorant hiſtorici. Ioan. Funccius in Chron. addit, per uniuerſum regnum Francorũ inſtitutas eſſe, opera Caroli, cæremonias Romanæ eccleſiæ. Habemus ergo iam Antichriſti nomẽn ex numero 666. Scimus quis ſit, & quem caueamus.

Sic & Miſſa obtruſa eſt Germanis.

Non poſſum hic omittere, quin paucis annotẽ & Sibyllinãde Antichriſti origine ſupputationẽ, admodũ, meo iudicio, cõgruẽtẽ cũ ſupputatione quã adduximus. Editi ſunt enim ex bibliotheca ampliſs. reipub. Auguſtanę Vindelicorũ, per integerrimũ doctiſsimũq; uirum D. Xiſtum Betuleium, anno Domini 1545, & Græcè quidem editi, libri Sibyllinorum oraculorum 8. Vaticinatur autem lib. octauo Sibylla Erythrea, ſiue quæcunque illa fuerit, Romam ruituram, & igni concremandam. Verba Sibyllę ex Grẽco ferè ita uerbotim habent:

Veniet tibi olim deſuper par ô iactabunda Roma,
Cœleſtis plaga, & flectes ceruicem prima,
Et ad ſolum deijcieris, & ignis te totam abſumet.

Id

Id uerò factum completumque constat, cum Totilas rex Gotthorum urbem inflammauit, sicuti superius commemorauimus. Mox uerò in oraculis illa subijciuntur:

Verùm ubi tibi reges delicati ter quinque fuerint,
Qui mundum seruitute pressérunt, ab ortu usque ad occasum
Erit rex cano galero, habens uicinum nomen ponto,
Mundum spectans, scelerato pede munera conferens.

Et reliqua, quæ ibi leguntur.

Iubet ab exusta Roma reges numerare 15. post quos uenturus sit nouus rex, quem describit. Constat autem, sub Iustiniano Romam esse captam, uastatam & exustam. Inde numerantur à Iustino iuniore ad Theodosium usque Imper. 15. Theodosio succedit Leo 3 Isauricus. Istos appellauit delicatos, quòd plerique parum fuerint strenui. Cæterùm Leone 3 imperante, deficit Italia ab Imperatore: mox item Exarchatus donatur à Pipino rege, inuito Imperatore, Pontifici. Vides ergo supputationes congruere. Deduximus enim nos quoque ad Pipinum usque annos 666. Ita uerò rex nouus exoritur, quem Sibylla nuncupat πολιόπτερνον, insignem candido galero, uel infula alba. Ita enim notat episcopum (qui quondam albas portabant in capitibus infulas) futurum regem. Nomen quoque ipsi indit. nam dicit nomen illum habere uicinum ponto. Adde enim uocabulo Ponti, fex, habes Pontifex. Notas quoque aliquot adiungit: Illum mundana spectaturum, non cœlestia: sed & munera comparaturum (πορίσῳ) uel excogitaturum atque daturum, scelerato pede. Et rectè scelerato pede, cum post Domitianũ & Diocletianum nemo regũ nisi Papa, pedes ad oscula obiecerit: qua re existimant stulti, magna sibi munera conferri. Sed omissis istis, redimus in uiam.

Beatus martyr Irenæus de hoc rege loquens, in eodem lib. 5. In bestia ueniente, inquit, recapitulatio fit uniuersæ iniquitatis, & omnis doli, ut in eo confluens & conclusa omnis uirtus apostatica, in caminum mittatur ignis. Hoc autem prophetico spiritu ipsum dixisse confitebitur, quisquis legerit uitas Pontificum Romanorum: præsertim autem Syluestri 2, Benedicti 9, Gregorij 6, Gregorij 7, Vrbani 2, Paschalis 2, Alexandri 3, Innocentij 3, Gregorij 9, Bonifacij 8, Clementis 5, Ioan. 22, ut alios multos non commemorem. Quid nostra memoria fecerint Iulij, Leones, Clementes & Pauli, loquũtur Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Pannonia & Germania, ac regna reliqua bellis inter sese cõmissa truculentissimis. Loquitur sanguis martyrum effusus, clamans ad Dominum. Quid ergo restat, nisi ut nobis caueamus ab hoc homine peccati, & adhæreamus redemptori nostro Christo Domino? obsecrantes, ut ueniat citò, & liberet nos ab omni malo. Amen, Amen.

Antichristus compẽdium omnis impietatis & iniquitatis.

Stat Christus in monte Zion, habens suam ecclesiam: ac describitur notis, quæ & quales sint futuræ oues Christi.

CONCIO LXI.

Cap. XIIII.

Et uidi, & ecce agnus stans super montem Zion, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, habentia nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui uocem de cœlo tanquam uocem aquarum multarum, & tanquam uocem tonitrui magni: & uocem audiui citharœdorum, citharizantium citharis suis. Et cantant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores: & nemo poterat discere canticum, nisi illa centum quadragintaquatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit. Hi empti sunt ex ho-

minibus, primitiæ Deo & agno. Et in ore eorum non est inuentus dolus. Sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Consolatio, & Euangelij prædicatio.

Sicuti hucusque tristibus læta miscuit, ac consolationem subiecit casibus difficillimis & atrocissimis: ita nunc quoque tyrannidi Romani imperij, subiungit expositionem habentem & consolationem & adhortationem grauissimam. Equidem ex descriptione tyrannidis Romanæ & Antichristianismi uideri poterat actum esse de ecclesia, & de prædicatione Euangelij, impietatemque triumphaturam perpetuò: exponit itaque uisione elegantissima, Christum nihilominus regnaturum in electis, & superaturum, habiturumque ecclesiam perpetuò, & quidem insignem. Describit quales sint futuri electi Dei. Addit, Euangelij prædicationem adeò non posse opprimi, ut annuncianda potius sit magna constantia per uniuersum orbem. Sed & Romam ruituram, & impios omnes puniendos fore. Grauiter itaque hortatur, ne quid commercij cum Antichristo habeamus, ne & damnationis eius fiamus participes. Atque ne quid deesset iustę consolationi, addit, quod maximè omnium piorum mentes, in quibusuis etiam periculis confirmare possit, morientes in Christo, rectà à morte corporea migrare in uitam æternam. Quibus absolutis, deflectit ad descriptionem supplicij sumendi certò ab Antichristianis. Proinde si Euangelici & noui testam. libri æstimandi sunt ex multiplici descriptione Christi, & salutis per ipsum partæ fidelibus, si æstimandi sunt ex consolatione, atque adeò ex Euangelij prædicatione: hic sanè liber euangelicissimus est, ut qui continuo tenore consolationem subiungit rebus durioribus.

Agnus stat in monte Zion.

Videt itaque Ioannes agnum stantem super montem Zion. Non itaque dormit Christus, non ignorat ecclesiæ suæ pericula & certamina: sed stat ueluti accinctus ad ferendum suis subsidia. Stat ueluti rex inuictus, quem nec draco, nec uetus neque noua bestia prostrauerit. Dixi enim superius non semel, maximè cap. 5. per agnum intelligi Christum. Est enim agnus & precium redemptionis ad iudicium usque: tunc uerò deposita intercessoris functione, iudicem aget seueriſsimum, sed simul sanctissimum. Stat autem Christus, non in arena, ut draco: sed in monte, & in monte quidem Zion. Mons Zion fuit typus regni Christi, sicuti apertè claret Psal. 2. & Isaiæ 2. Regnum uerò Christi, ecclesia est, non tam triumphans, quàm militans: in cœtu ergo sanctorum stat Christus, gaudium & glorificatio eorum qui in cœlis sunt, & uita & auxiliator eorum qui adhuc certant in terris. Credamus ergo, in Antichristianis persequutionibus nunquam de futurum suis fidelibus Christum: sicuti nunquam legitur defuisse ueteribus sanctis sub ueteri Rom. imperio afflictis. Seruit enim hæc consolatio nobis maximè, qui uexamur ab Antichristo: sed seruiuit illis etiam, qui martyria fecerunt, sub ueteri Romano imperio. Nec dubium, quin hinc confirmarint sese in maximis persequutionibus.

Cum agno sunt 144000.

Consolatione uerò plenissimum illud est, quòd agnus solus non est, sed habet apud se centum quadragintaquatuor milia: id est, amplissimam ecclesiam. Vtcunque ergo furiat & trucidet confessores Christi bestia, semper tamen futura est ecclesia, nunquam hęc extirpabitur etiam in terris. Ponit certum numerum pro incerto, & tamen certum finitumque: quòd saluandorum numerus exiguus præ illo uidebitur, qui adorabunt bestias, atque peribunt. Intelligimus autem, maximum nihilominus numerum futurum eorum qui erunt corpus ecclesiæ, sub capite Christo, tunc etiam cum omnem furorem Papa cum suis effuderit. De hoc numero electorum dixi cap. 7. ubi idem ille numerus ponitur.

Habent nomen patris in frontibus.

Quemadmodum autem Antichristiani notam Antichristi gerunt in dextera & frontibus: ita sanè ouiculæ Christi, & qui erunt ecclesia, spōsa Christi, sub capite Christo suā quoq; notam habebunt in frontibus, nomē scilicet patris agni. Nam Eius referendum est ad agnum. Non loquitur autem de externa nota, quæ frontibus sit infigenda, sed de nota animorum. Ea est fides, signum omnium filiorum Dei. Fides autem in patrem & fi-

& filium, qui non sunt absque spiritu sancto. Quomodo autem credas, Deum illum optimum maximum, tuum esse patrem, nisi intelligas hoc impetratum esse à filio? Fides ergo hic intelligenda est Christiana, non Iudaica aut Turcica, quæ & ipsa fatetur Deum esse patrem. Sed cum filium non habent, sicuti dixit Ioannes in Canonica, ne patrem quidem habent. Vera itaque membra ecclesiæ Christi, ueræ ouiculæ, credunt se habere clementem patrem per filium, per quem sciunt sibi placatũ patrem, omnia uitæ & salutis dedisse in filio. Qui non in uno Dei filio mediatore salutem & omne bonum quærunt, profectò iustam filiorum Dei notam in frontibus non habent. Hodie omnes Christiani esse uolunt, sed neglecto Christo toti à diuis pendent. Fides ergo ipsorum non est uera nota filiorum Dei. Quinimò nec patrem norunt, nec filium. Ideo & totos patri per filium innitentes persequuntur. Cumque Christus sit cum sua ecclesia, quid oro uicario opus habet ecclesia? Certè non potest esse uera ecclesia, quæ uicarium Christi habet. Nam Christo reuera caret, quo uera ecclesia carere non potest.

Non satis fuit Apostolo dixisse, Ecclesiam cum Christo esse coniunctam: nisi multis insuper adderet, qualiter uiderit affectam ecclesiam, & qualiter se gesserit, tunc nimirum, cum bestiæ ipsam afflixerunt: ut uel hinc discamus, quæ sit spes sanctorum in summis discriminibus, & quales nos esse oporteat in persequutionibus & tentationibus.

Principiò audit uocem de cœlo, tanquam uocem aquarum multarum. Aquæ in Scripturis non rarò populos significant. Intelligimus ergo hinc, & copiosam futuram ecclesiam, & uocalem: quo nihil dissimulet, liberè profiteatur Christum. Ideoque & sonitum audit tonitrui magni. E' cœlo enim facultatem nanciscitur ecclesia grauiter annunciandi Euangelium, rumpantur ut ilia mundo. Et quidem à libera & constanti annunciatione Euangelij Ioannes & Iacobus appellati sunt apud Marcum filij tonitrui. Et de prædicatione Euangelij paulo pòst plura sequentur. Præterea audit dulcem concentum citharis concinentium, & quidem nouum ueluti canticum concinentium. Id quod præcipuè refertur ad sanctos in cœlis, æternas laudes Deo canentes: deinde ad sanctos in his adhuc terris uiuentes, qui & ipsi laudes & gratiarum actiones Deo iugiter offerunt. In periculis ergo, ac difficultatibus utcunque mœstitia afficiantur corda, spiritus tamen ipsorum exultat in Domino. Nemo uerò poterat canticum illud discere, nisi electi. Vt enim gaudiorum uitæ futuræ excellentiam & laudum Dei cœlos inhabitantium nemo explicarit, aut intellexerit, nisi inter ipsos cœlites agat, & uitæ diuinissimæ sit particeps: ita nisi quis ex uiuentibus adhuc in hisce terris regenitus sit, nec quanta sit felicitas fidelium cernit, nec laudes quas Deo offerunt, ritè æstimat. De Cantico nouo dixi & cap. 5. Et certè mundanis hominibus quasi noua uidentur, quæ fideles ex uerbo Dei proferunt.

Audit uocẽ aquarum multarum.

Act. 5.

Iam etiam describit Ioannes, quales futurę sint ouiculæ Christi, quæ in ecclesia Christi, spretis bestiarum furoribus, sint permansuræ. Quibus simul & nota nominis patris in frontibus explicatur. Intelligemus item, quæ sint notæ uerè fidelium. Principiò empti sunt de terra. Equidem omnes terrenam terreni hominis imaginẽ portantes, uenundati sumus sub peccatum, quo nomine & maledictioni sumus subditi. Verùm emit precio redemptionis, in cruce appenso, nos Dominus, ut iam simus reformati ad imaginem hominis cœlestis, utique adoptati in filios Dei. De qua emptione plura disserit Apostolus 1. Corinth. 7. Rom. 3. & alijs in locis, Petrus quoque 1. Pet. 1. Et quoniam fideles agnoscũt se esse empticios & adoptatos per Christum in hæreditatem cœlestem, uni redemptori suo dedicati seruiunt, atque indiuulse adhærent.

Notæ ueræ fidelium.

De terra empti sunt.

Deinde uirgines sunt, non coinquinati cum mulieribus. In quibus explicandis torquent se ueteres, ne quid hic sancto uideatur derogatum coniugio, quo certè Apostolo teste 1. Corinth. 7. & Hebr. 13. nemo coinquinatur. Pudet me hic Papistarum proferre nugas. Quis enim audiat aliquid de puritate differentes hominum impurissimos? Tueri & fucare hinc uolunt summum illum cœlibatum: sed uident interim omnes homines, nisi capti sint oculis, quanta fœditas patrata sit, & patretur quotidie, huius infe-

Virgines sunt.

licis & impuri cœlibatus prætextu. Cæterùm nihil loquitur Dominus in præsenti de coniugio corporali, sed spirituali potius. Constat enim, apostolos ut paranymphos Saluatoris, ecclesiam Saluatori castam uirginem adduxisse, quæ non cõmiscetur extraneæ aut alienæ mulieri: hoc est, quæ non coinquinatur participatione prauæ doctrinæ. Legatur Solomon grauiter de illa muliere differens, Prouerb. cap. 4. Legatur præterea Apostolus 2. Corint. 11. eleganter docens, fideles incorruptam esse uirginem Christi spõsam. Proinde fideles qui uixerunt sub tyrannide bestiarum, non admiserunt ullam peregrinam doctrinam de idolis, deque alijs prophanis cultibus: nec quidem hodie Papisticam coinquinationem admittunt, sed uirgineas Christo sponso mentes retinent, desponsatæ illi fide sinceriſsima.

Sequuntur agnum, quocunque ierit.

Sequuntur hi agnum, quocunque ierit. Id est, neminem curant præter Christum, neminem nisi Christum desiderant: in hoc omne præsidium, omne gaudium, omnem salutem constituunt, ad hunc solum semper respiciũt, in hoc se completos esse norunt. *Sy fragend nieman nüt nach, vnd zühend allein vnd allwäg Christo nach:* qui unus est ipsis omnia solus. Præterea quocunque Christus fideles doctrina & exemplo uocat, uel in ipsam mortis & crudelissimam lanienam, sequuntur sponte & alacres. Inde fit, ut in futuro seculo ab ipso in æternum nõ dirimantur. Nam ubicunq; Christus est, ibi est & Christi minister: sicuti ipse testatus est Ioan. 12 & 14. cap.

Empti ex hominibus.

Empti quoque sunt ab hominibus, erepti utique gratia Christi, ne corruptum & immundum hunc sectentur mundum, per omnis generis pollutiones. Christus enim spiritu & uerbo suo euocat suos ex hoc seculo, ut quamuis corpore uersemur in mundo, toto tamen pectore abhorreamus à mundo, & ab ijs quæ sunt in mundo. Porrò ad hoc

Primitiæ Deo.

elegit, imò emit suos ex seruitute hominum uel mundi, ut sint primitiæ Deo patri & filio eius. Quem locũ enarrans pijssimus & doctiss. uir D. Franciscus Lambertus, in Commentarijs suis in Apocalypsim: Constat, inquit, ex Leuit. 23. Numeri 15. Deut. 18. quid sint primitiæ, & quòd cõgregatæ fuerint Domino, cesserintque summo sacerdoti. Christus autem est summus sacerdos, ad quem pertinent primitiæ spirituales, pij uidelicet, Deo sanctificati. Confirmantur hæc ab Apostolo, qui dixit, Christũ dedisse semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarẽ, sectatorem bonorum operum. Studeant ergo ueri fideles pietati singulariter, & ut sint primitiæ & excellentissimum munus Domini, cum sciant se ad hoc redemptos esse, ut quod reliquum est temporis uitæ suæ, Deo seruiant.

In eorum ore dolus nullus.

In horũ ore nullus inuenitur dolus. Non dicit, nullam concupiscentiam aut motum prauum inueniri in fidelium cordibus: sed negat dolum esse in ore ipsorum. Etsi enim pij affectionibus carnis prægrauentur ac diuexentur, studeant tamen ueritati, ne quem fallant scientes. In primis autem nihil dissimulant, quod ueritatis cõfessionem attinet, neque ullo dolo malo utuntur in doctrina Euangelij.

Sunt sine macula.

Sunt item sine macula ante thronum Dei, non sua quidem uirtute, sed Christi sanctificatione: quod & Paulus asserit 5 capite ad Ephes. Significanter autem dixit, Ante thronum. Nam & Augustinus dixit, perfici tandem sanctificationẽ nostam in futuro seculo.

Hæ inquam sunt ueræ notæ uerorum fidelium, & ueræ Christi ecclesiæ. Excutiat hic quisque animi sui latebras, & inquirat diligenter, num his sit insignitus notis: oret autem sedulò Deum, ut si sentit has, Dominus eas confirmet: si nõ sentit, Dominus eas imprimat animis altissimè

Prædicat angelus Euangelium Christi æternum.

CONCIO LXII.

Tuidi alterum angelum uolantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, ut Euãgelisaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui & linguæ & populo, dicentem magna uoce: Timete Deum, & date illi hono-

honorem: quia uenit hora iudicij eius. & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum.

Prædicabitur Euãgelium per mundum, ante iudicium.

Nullam rem perinde oppressam cupit Antichristus, atque prædicationem Euangelij. Ideo enim inquisitores instituit hæreticæ prauitatis. Nam Euangelium hæresim appellare audet. Ideo libros Euangelicos, & Euangelij prædicatores cõburit, ubiq; lectionem Euangelij & librorũ Euangelicorũ legib. cõstringit. Vnde simpliciorib. uidetur fieri non posse, quin pereat Euangelium cum omnib. eius assectis. Iam ergo in consolatione Domini inducitur uisio angeli (perstat enim in uisione) uolantis per medium cœli, habentis Euangelium æternũ, & euangelisantis mundo. Qua re significatur, Euangelium, inuitis omnibus hostibus, prædicandum hominibus. Sed & breuem summam colligit eorum quę per Euangelium prædicantur mundo. Pertinent illa quoque ad consolationẽ ecclesię, quæ sub ueteri bestia persequutiones sustinuit propter Euangelium. Nos paucis singula expendemus.

Angelus typus concionatorũ.

Principiò satis constat uel ex præcedentibus, per angelum significari ministros uerbi, adeoque ipsum ministerium Euangelicum. Certè scriptura prædicatores appellat angelos. Ita enim Ioannes bapt. nominatur ex Malachia, in Euangelio. De qua re superius dictũ est. Admonentur autem in hac appellatione honorifica ministri, puritatis & fidei sinceriſsimæ. Angeli sunt Dei ministri, quem unicè respiciunt, amant, uenerantur: cuius mandata fideliſsimè, sinceriſs. diligentiſsimeque exequuntur. Tales in suo genere & officio conuenit esse prædicatores. Sicut autem angeli hominum insidijs & iniurijs læ di non possunt: ita Deus ministros suos tuetur, usque ad horam destinatam. Ita Petrus educitur ex carcere, Act. 12. Paulus seruatur in naufragio, &c. Alterũ uerò angelum dicit, quòd hactenus uarias diuersorum angelorum uisiones induxit. Quanquam uideatur alter positus esse pro primo. Nam subijcit huic adhuc alios duos angelos, quorum priorem alium, posteriorem tertium nominat.

Volat per medium cœli.

Volat autem hic angelus per medium cœli. Ea re significatus est felix cursus & progressus prædicationis Euangelicæ. In prophetis quoque scriptum est, Velociter currit sermo eius. Psal. 19. Dauid comparat cursum prædicationis Euangelicæ, cursui solis, Lætus ueluti gigas currit uiam suam: in extremo cœlorum oritur, ad extremum recurrit, nec quisquam prohibere potest, nec est qui abscondat se calore eius. *die sonn überschynet es alles.* Libera ergo erit prædicatio. Nam ut ea quę supra nos in aere & cœlo sunt, nec detrahere nec impedire possumus: ita uolãtẽ per mediũ cœli neq; detrahemus, neq; impediemus. Volant, uolant, uolãt longè & latè uoces & scripta. Nec opprimi potest ueritas. Deus mundo dedit typographiam, per quam Euangelium longè, latè & celerrimè prædicatur & currit.

Euãgeliũ æternum.

Cæterùm habet hic angelus Euangelium æternum. In quo quidem maxima est consolatio. Significatur enim, inuictam fore in mundo ueritatẽ. Multas uerò ob causas Euãgelium appellatur æternum. Principiò, quia immortalis est ueritas, quæ ne uinciri quidem potest, utcunque uinciantur & occidantur ministri. 2. Timoth. 2. Deinde æternũ est Euangelium, quia primis parentibus nostris est annunciatum, in lege & prophetis prædictum, à Christo adimpletum, expositum ab apostolis, & ad nos usque allatum per diuinam gratiam. Quid quod ab æterno est prædestinatũ? Vide Ephes. 1. Nam & hoc nomine æternum dicitur, quòd ad nos & posteros nostros in finem usque seculi, non tantum ad maiores nostros pertinet. Et quoniam æternum est, mentiuntur qui hodie appellant doctrinã nouam. Noua est Papistica, quæ suas origines habet, quo tẽpore sint istius instituta quælibet, &c. Quinimò apostolus ait: Si ego uel angelus è cœlo aliud prædicarit Euangelium, uel præter id quod accepistis, anathema sit.

Angelus euãgelisat.

Significanter autem audimus, Angelũ non tantum habuisse Euangelium, sed euãgelisasse, uel prędicasse Euãgeliũ. multi quidẽ habẽt Euãgeliũ, sed mutum, & in libris scriptũ. Oportet Euãgeliũ esse uocale, & prędicari. Exponit etiã quib. prędicarit, uel quib. euãgelizari oporteat: Habitãtib. in terra. Immersis enim reb. terrenis acclamãdũ est, & excitãdi sunt hi ex ueterno. Porrò more suo, & ad imitationẽ B. Danielis cap. 7. cõme-

morat gentes,tribus,linguas & populos:ac ita ſignificat,Euangelium in toto orbe prædicandum fore.Id quod & Dominus futurum dixit Matth.24.ac deinde cõſummationem uenturam.Et uidemus hodie,propemodũ per totum terrarum orbem intonuiſſe Euangelium.Et moneo hic,ne quis ſemetipſum fallat. Dixit apoſtolus 1.Timoth.3.& Coloſſ.1.Euangeliũ per totum terrarũ orbem eſſe prædicatum ſuo ſeculo.At ne tũ quidem omnes homines receperant, ſed pauculi. Ne ergo imagineris tibi,non prædicatum eſſe Euangelium,niſi omnes hoc recipiant. Falluntur,qui ſibi pollicentur ante iudicium concordiam omnium nationum,eo quod ſcriptum ſit, unum fore aliquando paſtorem, & ouile unum.Id enim impletum eſt, dum ex ſynagoga Iudæorum, & diſperſione Gentium,unam ſibi Dominus parauit eccleſiam, cuius Chriſtus caput eſt, & paſtor. Sed & Antichriſtus aduentu demum ultimo abolebitur. Perpetuò ergo Chriſtum oppugnabit.

Non amplius fiet unum ouile & paſtor unus.

Prædicat uoce magna.

Porrò cum uidit & audit angelum hunc magna uoce Euangeliũ prędicare,intelligit, prædicatores Euangelium contra Antichriſtũ magna conſtantia & libertate,intẽſis itẽ uocibus,& feruore maximo prædicaturos. Et hodie quidem uidemus,tanto intenſius clamare fideles,quo premuntur & opprimũtur atrocius,uocari item clamatores,*Schryger denen man mitt dem ſtrick das ſchrygen vertryben můße.*

Quid prædicet angelus.

Timor Dei.

Præterea comprehendit ſumma breui,quæ Euangelica prædicatione ſint annunciãda,ultimis potiſsimum temporibus.Principiò: Timete, inquit, Deum. Timor Dei, eſt initium ſapientiæ:ergo non metuere Deum,eſt initium ſtultitiæ,& omnium errorum. Nihil commune habet Dei timor cum timore mundi.Pius non exhorreſcit Deum, ſicuti ſeruus malè ſibi conſcius metuit dominum, & quidem pœnam magis quàm dominum,quem contemnit potius.Nam timor Dei, reuerentiam & amorem Dei habet.Trĩbuit Deo maieſtatẽ ſummam,complectitur fidem, & ſolicitudinem habet fidelem, qua obſeruat Deum,eundem colit,laudat, confitetur. Certè quia plus timemus homines quàm Deum,plus timemus Papam,& inuidiam odiumq; eius & ſuorum,ideo iuſta iuſtè non exequimur,ueritatem liberè non profitemur,Euangelium nõ propagamus.Dominus autem in Euãgelio:Nolite,inquit,timere eos qui corpus occidere poſſunt, in animam nihil habent:illum potius metuite,qui animam & corpus condẽnat gehenna. Timor certè Dei omnis uirtutis non modò principiũ eſt, ſed & uinculũ. Poſtea audiemus,timidos in tartara præcipitandos eſſe,unà cum beſtia & pſeudopropheta. Sit ergo Deus timor noſter,ſicuti & Iſaias docet cap.8.Timeamus Deum propter commiſſa ſcelera.Hic rari timent:pleriq; autem timent loqui uera,tueri ſancta,& uituperare impia.

Honor Dei.

Deinde comprehendit prædicatio Euangelij honorem Dei. Nam dicit, Et date illĩ honorem.Vide autem,ne ſepares à patre filium. Hic enim Ioan.5.ſic dicit: Omne iudicium dedit pater filio,ut omnes honorent filium,ſicut honorant patrem.Qui nõ honorat filium,nõ honorat patrem,qui miſit illũ.Ac reuera nõ poteſt honorari pater,niſi per filium.Nam honoramus ipſum,cum ueracem credimus,& Chriſtum Dei filium recipimus,tanquam unicam iuſticiam & complementũ omniũ fidelium.Fide ergo in primis honoramus Deum,deinde obedientia fideli ſolum uenerantes,& in mandatis eius aubulantes.S.Ioan.in Canonica ſua:Qui non credit filio,inquit,mendacẽ facit Deum(Vide quomodo ſumma Deũ ignominia afficias) qui nõ credit teſtimonio quod Deus de filio ſuo teſtatus eſt.Et hoc eſt teſtimonium,quòd Deus dedit nobis uitam æternam:& hæc uita in filio eius eſt.Qui habet filium,habet uitam: qui filium non habet, uitã non habet. Prohibemur ergo, alibi,quàm in ſolo Chriſto,uitam & omne bonum quęrere. Honorant autem Papiſtæ Papam & cõſtitutiones eius,diuos eius,nec ſolum Deum honorant.Inſculpunt poculis, SOLI DEO GLORIA: ſed perſequuntur interim eos,qui gloriam ſoli Deo debitam,ſuis illis nugis communicare nolunt. At Euangelium clamabit ſoli Deo deberi omnem gloriam.

Iudicium filij Dei.

Additur his ſtimulus,qui aḍ timorem & glorificandum Deum impellat: Quia uenit hora iudicij eius.Euangelio ergo inculcabitur poſtremo ſeculo iudicium extremi. Habet hoc mirabilem effectum, ad impetrandam ab hominibus emendationem. Significanter aũt dicitur,Venit:non,Veniet hora iudicij eius. Ita enim exprimitur certitudo iudi-

iudicij,& admonemur ut ſingulis momentis uenturam illam diem expectemus. Eodem argumento uſus eſt Apoſtolus in Actis cap.17.apud Athenienſes,& ad Corinthios 2. epiſt.cap.5. Meminerimus oro,ô fratres, diſtricti illius iudicij:emendemus fidem & mores,& omnia quæ cum Euangelio non conſentiunt. Certò enim moriemur. Certò iudicabimur. Ac tunc,cum pacem nobis promiſerimus,repentinus ueniet interitus. Vigilate.

Poſtremò docet Euangeliũ,Deum adorare ſolum. Ergo non adorant fideles idola, quibuſcunque ſint erecta. Non adorant ſceleribus adopertum Pontificem: multo minus oſculantur, & oſculando adorant ſceleratos eius & fœtentes pedes. Non adorant Deum Mauzim fortaliciorum,*den ſchryngott*,qui colitur in palatijs & baſilicis ueluti incluſus. Non adorant diuos: ſed ſolum Deum. Eleuate ergo corda in cœlos, & adorate. Habemus hic in terris magnifica opera,quæ nos ad adorandum ſolum hunc Deum cõmouent. Creator eſt cœli & terræ & maris. Quis maior? quis potentior? Hunc ergo adora,Deum uerum: Matth.4. Adiungit hic fontes aquarum, quòd aquarum miraculum & beneficium magnum ſit. Si enim ſpectes fontium origines,ſubſtantiam,elegantiam, uſum,obſtupeſcere cogêris. Deo laus. *Adorare Deũ*

Danielis 11.

Prædicat alius quidem angelus,Babylonem ruituram: alius uerò,omnes dehortatur à conſortio religionis beſtiæ.

CONCIO LXII.

ET alius angelus ſequutus eſt dicens: Cecidit,cecidit Babylon,ciuitas illa magna: quia uino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Et tertius angelus ſequutus eſt illos, dicens uoce magna: Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de uino iræ Dei,quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius: & cruciabitur igne & ſulphure,in conſpectu angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni: & fumus tormenti eorum aſcendit in ſecula ſeculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorant beſtiã & imaginem eius,& ſi quis acceperit characterem nominis eius. Hic patientia ſanctorum eſt: hic qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu.

In cõſolatione Chriſti fidelium,producitur iam alius angelus,concionatorũ piorum omnium typus,qui magna conſtantia prædicat ruiturum Antichriſti regnum,utcũque hoc ſibi æternitatem polliceatur. Inde autem colligunt ſancti, finiendas pariter perſequutiones,cum omnibus per totum orbem abominationibus. Cum enim propter perſequutiones impiorum admodum durabiles,non poſſint non uehementer triſtari omnes ſancti: gaudium certè & conſolationem non modicã accipiant ex eo oportet, quòd audiunt,illas non fore perpetuas. *Ruet Romana eccleſia.*

Babylon autem ruitura hic dicitur. Et quidem ſtultum eſſet, hæc interpretari de ueteri Aſiæ Babylone,quæ dudum corruerat,uix aliquibus relictis ueſtigijs: oportet ergo de alia interpretari,quę ſit in flore,adeoq; oportet per antonomaſiam intelligere Romã. Eſt enim inter utrãq; inſignis cognatio. Babylõ prima fuit monarchia, Romana eſt ultima. Babylon grauiter afflixit Dei populum,ita grauiter exercet Roma eccleſiam Dei. Babylon graui captiuitate attriuit Izraelem: ita Roma uexat plus quàm diuturna captiuitate eccleſiam. Babylon uicit populum Dei, inflammataque urbe Hieroſolymorum, & exciſo templo, captiuum abduxit Izraelem: ita & Roma, uaſtata urbe Hieroſolymorum, & templo exciſo, triumphauit de Izraele. Babylon idololatriam, ſuperſtitionem &omnem abominationem plantauit, prouexit, defendit, & obtruſit omnibus: tandem uerò cum minimè putaſſet, liberato derepentè Dei populo, ipſa fun- *Babylon Roma.*

funditùs interijt. Ita & Roma genitrix eſt, & nutrix, & uegetatrix omniũ in eccleſia poſtremi ſeculi abominationum: in quibus peribit tãdem, liberatis omnibus uerè in Chriſtum credentibus. Singulariter uerò dicitur Magna. Nam quàm magna & potens ſit Romana eccleſia, uidemus & experimur hodie omnes. Nec ego primus per Babylonẽ, Romã intelligo. Nam pleriq; interpretes priorẽ Petri epiſtolã enarrãtes, in fine epiſtolę per Babylonẽ Romã intelligũt. Certè Oecumenius: Babylonẽ aũt hic Romã, inquit, uocat, ob excellentiam imperij, & claritatem: id quod olim multo tẽpore Roma obtinuit. Significantius autem uetuſtiores hoc reddunt, ut Tertull. lib. contra Iudæos, qui dicit: Sic & Babylon apud Ioannem noſtrum, Romanæ urbis figuram portat, proinde & magnę, & regno ſuperbæ, & ſanctorum debellatricis. Eadem uerba propè repetit 3. lib. contra Marcionem. Nec minus clarè S. Hieronymus, Romam uocat Babylonem: & illam quidem Babylonem, de qua Ioannes in Apocalyp. loquitur. Legatur epiſt. Paulę & Euſtochij ſcripta ad Marcellam, opera & ſuppetijs Hieronymi. Legatur ipſe Quæſt. ad Algaſiam 11. Rurſus in Præfatione ad librum Didymi de ſpiritu ſancto, ad Paulinianum. Item in fine 2 libri contra Iouinianum. In Vita S. Marci idem: Petrus, inquit, in epiſtola prima, ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificat. Sed ipſum ſeſe exponet Ioan. in cap. 17. Intelligimus autem, Romanam urbem ruituram præcipuè, cum omni ſua impietate: ſed ſimul etiam ſuperſtitionem & abominationem Romanam, diſperſam per orbem. Ac cecidiſſe quidem dicit angelus adhuc caſuram: idque more loquendi prophetico, quo id quod certò futurum eſt, ita enunciatur, quaſi nunc ſit factum. Ad certitudinem denotandam pertinet & illa anadiploſis uel reduplicatio, Cecidit, cecidit. Repetitur hoc & in cap. 18. ubi oſtendetur, ſumptum id ex prophetis, &c. Quanquam & deſiderium & gaudium quoque uideri poterat ſignificatum. Nam quæ diu & cum deſiderio expectauimus, iam uenientia excipimus, & dicimus: Veniſti, ueniſti tandem deſiderate, ac meum modò perficis gaudium. Etenim ſancti magno deſiderio expectant interitum regni impijſsimi & impuriſsimi, moleſtisimiq; ſanctis omnibus, Antichriſti.

Cecidit, cecidit

Cur cadat Romana eccleſia.

Simul aũt oſtenditur cauſa interitus Romanæ reipub. ac eccleſiæ: Quoniam de uino iræ fornicationis ſuę potauit & inebriauit omnes gẽtes. Et quidẽ uini effectus maximus apparet in hominibus. Confertur ergo ei doctrina in prophetis. Inebriauit ergo Roma ſuis impuris & inſanis dogmatibus omnes populos. Appellatur autem uinum iræ. quibus enim Deus iraſcitur, eos ſinit aberrare in uia Romanæ eccleſiæ. Quoniã enim Deus reuelauit ſinceram uitæ doctrinam per unicum filium, & ſelectiſsimos Apoſtolos: ac illam non recipiunt homines: meritò his iraſcitur Deus, & tradit eos in ſenſum reprobum, ut ſectentur errores pudendos: ſicuti & Paulus futurum prædixit 2. Theſſ. 2. cap. Præterea appellatur hoc uinum, uinum fornicationis ſuæ, qua uidelicet ipſa primùm à Deo fornicata, iam alijs quoque omnibus magiſtra eſt fornicationis. Notiſsimum eſt hoc loquutionis genus uel ex prophetis. Non perſtitit Roma in doctrina Euangelij & apoſtolica, ſed nouam inuenit, eamq; contrariã Euangelio, de uicario Chriſti in terris, de poteſtate clauium, de indulgentijs, de iuſticia operum ac meritis, & ſatisfactionibus, & confeſsionibus, de cultu uel ueneratione imaginũ diuorumq;, de celebratione miſſarum, & adorãda euchariſtia, de monachiſmo, & reliquis id genus innumeris alijs. Hãc doctrinam ut Apoſtolicam, ueterem & Chriſtianam, propinat omnibus populis: atque ita abſtrahit à Chriſto, ſeducit ab Euangelio & ueteri Chriſtianiſmo, ac perdit animas innumeras. Ideo infundit ei quoque Deus ex poculo iræ ſuæ, & perdit ipſam quoque in ſecula ſeculorum.

Dehortatur omnes à conſortio Romanæ eccleſiæ.

Porrò ex hac occaſione dehortatur omnes homines à conſortio Romanæ eccleſiæ, uel Papiſmi, ne quid commune habeamus cum religione Romana, niſi & pœnæ ſempiternæ uelimus eſſe participes. Itaque à damno & pœnis argumentatur, ac pœnas graues & horrendas deſcribit, ſi fortè abſterreantur ab impietate illa homines. Clamat ergo angelus, & quidem uoce magna. Diſcant ergo omnes doctores eccleſiaſtici, ſeriò & horrendùm ſibi hac in cauſa eſſe clamandum, ut omnes fugiant communionem Romanæ uel Papiſticæ eccleſiæ. Scio ſanè quid uulgo credatur & dicatur, Omnes tandem fore ſeruandos, cuiuſcunque fuerint religionis: & præſertim ſi quis maneat ex profeſſo Papiſta.

piſta. Cæterùm nos quidem neminem poſſumus uel damnare uel abſoluere, in cœlum collocare, uel ad inferos detrudere. Viuit Deus iudex iuſtus. Hic ſolus nouit qui ſint ſeruandi uel perdendi. Huius ergo iudicijs meritò credimus. Cum autem hic apertè pronunciet, complices Romanæ eccleſiæ perdendos, quis ego qui contradicam: aut quinam hominum contrarium pronunciare uolent? Audiamus ergo iuſti iudicis ſententiam, & credamus uerbo filij Dei, & caueamus nobis à Papiſtica religione.

Quid ſit adorare beſtiam & imaginem eius, & quid ſit accipere characterem in fronte & in manu dextera, copioſe expoſui ſuperius cap. 13. Breuiter adorant beſtiam, & characterem beſtiæ accipiunt, qui participant cum religione uel eccleſia Papiſtica: denique qui impijs Imperij edictis obediunt, & in Sedis obedientia abſq; pœnitentia perſeuerãt. Aretas hunc locum exponens: Adorare, inquit, beſtiam, eiusque accipere ſigillum, eſt, exiſtimare Antichriſtum eſſe Deum, & ſermone & opere, quæ ipſe cupit, narrare & prędicare.

Deſcribitur autem horrendum in modum, & uerbis quidem propheticis, æterna dãnatio, præparata illis qui relicto Chriſto ſeruatore, adhærent perditori Antichriſto. Sicut potauerunt corruptam doctrinam infuſam à Põtifice: ita uicißim bibẽt, quod ipſis infundet iuſtus Dominus ex poculo iræ, *der yngeſchenkt iſt des yrchinen oder aller ſterkiſten in dem bächer ſines zorns.* Eſt autem uinum merum in poculo iræ Dei infuſum, iudicium Dei diſtrictum, exquiſitum, & longè grauiſsimum, quo iratus pœnam irrogat horribilem & ineffabilem Antichriſtianis. Similis propè loquutio legitur apud Ieremiam in cap. 25. Sicut autem merum uinum & non dilutum, maximę eſt efficaciæ, & penetrat: ita iudicium Dei, quo procedet contra Antichriſtianos, erit longè grauiſsimum, quod nulla quantumuis diſerta lingua expoſuerit. *Deſcriptio æternæ condẽnationis.*

Et explicãdi quidẽ gratia mox ſubſequitur, quid illis ſit epotandũ: ignis uidelicet, ac ſulphur. Alluſit fortaſsis Dominus ad hęc Dauidis uerba è Pſal. 11. Pluet ſuper impios, laqueus, ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, uel uentus tempeſtuoſus & ardens. hæc ſors calicis eorum. Videtur præterea alluſum ad incendium Sodomiticũ, & ad cap. Iſaiæ 30, in cuius fine oſtenditur, inferos ſatis fore capaces, capiendis omnibus impijs, ac materiam nunquam defuturam fouendi ignis nunquam extinguendi. Exprimit prę terea pœnam grauem, dum dicit, cruciandos fore: idque in conſpectu agni & angelorũ ſanctorum, ut ſic luant dignam ſui contemptus, quo aſpernati ſunt agnum & nuncia angelorum, pœnam in ſecula ſeculorum. Lucæ 13. ſimiliter dicit Dominus: Ibi erit fletus & ſtridor dentium, cum uideritis Abraham, Iſaac & Iacob & omnes prophetas in regno Dei, uos autem expelli foras, &c.

Pertinet & illud ad euidentiam & horrorem in omnium animis concitandum, quod ſubiungit hypotypoſi inſigni: Et fumus tormenti eorum aſcendit in ſecula ſeculorum. Aeternum itaque, & æternis ſeculis nunquam finiendum erit incendium, & ſuppliciũ impiorum. Videmur autem ad hanc narrationem ueluti ob oculos ęternę damnationis flammas in altum ferri uidere: & ſecum ingentes cumulos fumi euoluere, glomerare, lõgè ac latè diſpergere. Recordor hic illius Vergiliani:

Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia uento
Voluitur: exuperant flammæ, furit æſtus ad auras.

Iam ne quid horrori deeſſet, ſignificantiſsimè & copioſiſsimè exprimit perpetuitatem ſupplicij æterni, dicẽs: Nec habent requiem die & nocte. Sic Marci 9, ait Dominus: Ignis ipſorum nunquam extinguitur, & uermis eorum nũquam morietur. Errant itaque, qui pollicentur damnatis poſt multa ſecula liberationem ex tormentis. *Suppliciũ ſempiternum.*

Non fruſtra autẽ repetit, quod dixerat prius, adorãtes beſtiã hæc paſſuros. Ideo enim repetit, ne rẽ, ut fit, leuẽ exiſtimemus. Dãnabũtur, inquit: Veritas, qui cultũ & religionẽ ſuſceperint Papiſticã, & in ipſa perſeuerãt. His omnib. ſubiũgitur epiphonema, uel ſentẽtia gemina, illuſtris & ſalutaris. Quia enim diuina ſapiẽtia præuidit, quãta mala in hoc ſeculo pios maneãt, q̃ ab Antichriſto expectẽt, qui hæc pfeſſuri ſint, ideo cõfortationis & cõſolationis gratia ſubdit: Hic patiẽtia ſanctorũ eſt. Id quod perinde eſt ac ſi dixiſſet:

Atque

Atque hic habebit locum patientia, qua ſancti ſuperent mala omnia. Nunc animis opus eſt, nunc pectore firmo. Apud Lucam in 21. cap. Dominus ſimiliter requirit patientiam in perſequutionibus. Simul ergo hic datur conſilium, quomodo ſe gerant ſancti: patienter uidelicet ferant mala, quæ ipſis ab Antichriſto inferri poſſunt. Sequitur & alia ſententia, quæ hanc illuſtrat: Hic qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu. Vincent per patientiam in tantis malis & periculis, qui cuſtodiunt mandata Dei, quorum fundamentum eſt fides Ieſu Chriſti: qui uidelicet omnem fiduciam in Chriſtum figunt, uerbum Euangelij audiunt, & mandata Dei, non hominum, cuſtodiunt. Similia his legun tur Matth. 24. & ad Hebr. 10. Aretas: In iſto, inquit, tempore Antichriſti, ſanctorum patientia demõſtratur. Deinde ueluti ex interrogatione figuratur oratio. Et qui nam ſunt quos dicit patientes? Poſtea, tanquam reſpondeat: Qui ſeruant mandata Dei, & fidem Ieſu. Hi nanque imminentibus periculis Deum pluris facient ipſa morte & malis temporarijs. Hæc ille. Vtinam uerò tam fideliter hæc à nobis præſtentur, quàm faciliter intelliguntur. Dominus concedat nobis ſpiritum ſuum.

Fideles certò & rectà à morte corporea migrare in uitam æternam.

CONCIO LXIIII.

ET audiui uocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur amodò: etiam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, Sed opera illorum ſequuntur illos.

De certa fidelium ſalute.

Quanquam antea non ſemel dixerit de ſtatu animarum in alio ſeculo, ac de felicitate fidelium, qui religionis ergò interficiuntur: cõueniebat tamẽ hic in primis de ea cauſa agi. Dixit enim, plurimos interficiendos eſſe à beſtia. porrò ne illi metu mortis adorare mallent beſtiam, quàm occidi: ne fortè hac amiſſa nulla in futuro ſeculo ſit expectanda uita, diligentiſsimè & certiſsimè differit de ſtatu animarum, adeoq; de felicitate uel beatitudine animarum, quam ſimulatque moriuntur, conſequuntur, certò & rectà migrantes ex hoc ſeculo in uitam æternam. Qui uerò agnoſcunt, & uera fide conceperunt hæc, fore uidelicet ut mox à morte corporea migrent in uitam beatam, fieri non poteſt quin audentius contemnant uitam præſentem.

Certiſsimæ ſalutis exhibentur nobis tabulæ.

Tribus autem capitibus abſoluitur ſalutaris hæc doctrina. Principiò enim certitudinem eius oſtendit: deinde qualis ſit explicat: poſtremò declarat ac illuſtrat ea circũſtantijs. Initiò certè uidetur alludere ad morem, receptum uidelicet apud omnes gentes, ut ea quæ certa uideri uolunt, & indubitata, etiam ſcriptis mandata tranſmittant ad poſteros. Certitudo uerò & ueritas ſeu authoritas rei æſtimatur ex authoribus, qui primùm res aliquas tranſegerũt inter ſe, deinde & in tabulas referre curauerunt. In præſenti ergo oſtẽditur author Deus. Dicit enim Ioannes: Et audiui uocẽ de cœlo. Mox ſubiũgit: Etiã dicit ſpiritus. Dubium itaq; non eſt, quin illa loquutus ſit, & reuelauerit ipſe Dei filius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Hunc enim uidit ab initio reuelationis: poſtea uidet angelorum ſpecies, Chriſtum alloquentẽ non uidet. Audit aũt nunc eius uocẽ cœlitùs, audit ſpiritũ loquentem, per quem dixit Dominus, cum adhuc uerſaretur cum diſcipulis, omnia ſe acturum & loquuturum in eccleſia. Teneamus ergo hæc quæ hic commemorantur uerba, & actionem eſſe Chriſti, oraculum eſſe cœleſte, uerum & certum, de quo dubitare non liceat. Iubetur autem dictata Chriſti è ſede cœleſti, ſcribere Ioannes apoſtolus & euangeliſta. Id quod facit: atque ita iubente Chriſto ad omnem poſteritatem, & ad nos uſque, & ad nepotes noſtros in finem uſque tranſmittit. Si uerò tabulæ ſcriptę à regum & principum cancellarijs uel ſecretarijs, uiris illuſtribus, fidem merẽtur: multo magis iuſtius & rectius credimus huic ſcripto, quod è cœlis Dei filius dictat: ſcribit autem dilectus Chriſto diſcipulus, apoſtolus & euangeliſta Ioannes. Confidebas aliquando

quando in papatu diplomatibus (rectè bullis dictis, cum fuerint bullis inaniores magis) à Sede missis, quibus ueluti securus de remissione peccatorum & uita beata, immo riebaris. An' non insanus & amens iudicaberis nunc, si diplomati huic cœlesti credere nolis? Illud dictatum erat ex spiritu Antichristi, à Papa homine peccati & filio perditionis: scriptum autem à simoniaco ac sacrilego impostore aliquo, qui moribus & uita ipsa erat spurcities. In Ioanne uerò nihil est nisi mundicia, puritas & integritas: ipse autem Dei filius qui dictat hæc Ioanni, ipsa est ueritas & uita, lux mundi & Dominus cœli & terræ, uitæ & mortis. Vide itaque quàm tutò possis huic inniti diplomati cœlesti, quod hic gratis tibi offertur & confertur. Non est quod pro ipso uel teruncium exponas. Papa in ecclesia instituit simoniacos & infernales contractus *mitt den applasbrieffen*, quæ fuerunt meræ impostura, mera ludibria, meræ blasphemiæ, & ideo in æternum maledictæ: sicuti & ipse Petrus pronunciat Act. 8. Deus ipse dehortatur omnes homines ab huiusmodi ludibrijs & contractibus impijs & uanis, apud Isaiam in cap. 55. ubi uicissim pollicetur se daturum pijs omnem omnium bonorum abundantiam.

Gratis confertur diploma.

Audiamus autem nunc, quale sit diploma, & quid iussus sit Ioannes cœlitùs referre in literas. Breuis est sententia, ut & in plerisque locis ueram beatitudinis summam diuina sapientia paucis uerbis comprehendit: ita consulens nostræ infirmitati, ne caussari possimus, immensam esse doctrinam, quam angusto nostro intellectu assequi non ualeamus. Pronunciat ergo Dominus, beatos esse qui moriuntur in Domino. Videndum ergo, quid intelligat per beatitudinem, & qui moriantur in Domino. Beatitudo est ipsa fœlicitas summa, quæ obtingit fidelibus in alio seculo, in quo ipsum Deum uidebimus sicuti est, fruemur eodem ad iucundam & nunquam fastidiosam saturitatem, uiuemus in eodem cum omnibus sanctis in æternum, gaudia habebimus non explicanda linguis mortalibus. De hac sequetur postea, Requiescent à laboribus suis. Et copiosius in cap. 21. Moriuntur autem in Domino, qui fide insiti Christo, soli innituntur, toti ex solo pendent, in solum unicè respiciunt, nec aliud quàm solum & unum hunc desiderant. Nam in Christo uiuere dicuntur, in quibus uiuit Christus per fidem, qui in Christo uiuunt, & totam uitam ad uoluntatem Christi componunt. Moriuntur autem in Domino, præsertim & ante omnes, qui ob fidei Dominicæ cõfessionem, mortem sustinent, & tormentis se offerunt. Deinde non illi duntaxat, sed & illi etiam qui, etsi gladio persequutorum non cadant, moriuntur tamen, uocante ipsos Domino in uera fide Christiana. Nam & hi beati sunt, Domino apud Ioannem dicente: Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Cæterùm non moriuntur in Domino, qui uel Dominum negant, ne occidantur: uel meritis suis & diuorum intercessionibus, uel alienis monachorum & sacrificorum operibus nituntur, & ita è uiuis excedunt, & aliena se opera consequutura credunt. Breuiter, ueritas Domini fœlices pronunciat, & beatos, omnes qui in uera fide migrant ex hoc seculo.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Postremò subiungit ipse Dominus breuis huius suæ sententiæ illustrem declarationem. Explicat enim circunstantiam temporis, & modum beatitudinis. Solet enim interrogari, quando salus & beatitudo obtingat morientibus? an derepentè, an per interualla? hoc est, an rectà & cõfestim à morte corporea migrent animæ nostræ in sedes beatas? An intercipiantur aliquandiu, sic ut in Purgatorio expiẽtur, priusquam cœlum introeant? an uerò somno detentæ, expectent corporum resurrectionem, ut tunc euigilẽt, & simul cum corpore cœlum ingrediantur? Ad hæc omnia respondens cœleste oraculũ, Amodò, inquit: id est, ilico obuenit animabus illa fœlicitas. In Latinis exemplaribus ita distinguitur hic locus: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Ad eundem modum legit & Hispanicum uel Complutense exemplum. Aretas uerò & Græca exemplaria, tum & Parisiense, sic distinguũt, ut Amodò sit finis sentẽtię, sicut Eras. annotat. Deinde sequitur, ναὶ λέγει τὸ πνεῦμα. Est autem ναὶ confirmantis, Etiam, certè, uerè. Sensus est itaque, mortuos fideles confestim, derepentè & continuò à morte salutem consequuturos. Nam ἀπάρτι (quo uocabulo utitur Ioannes) significat, ab instanti, ab illa hora, protinus & cõtinuò, *einswegs, von stund an.* Non patitur hoc interstitium, sed exprimit, quod nos solemus Germanica lo-

Quãdo & quo modo salus obtingat morientibus.

cutione notare, *Grad von mund vff ze hymel faren*. Diuino itaque oraculo admoniti, & diplomate cœlitùs delato confirmati, certi ſimus omnes omnium fideliũ animas rectà à morte corporea migrare in uitam æternam. Confirmantur & illuſtrantur hæc etiam alijs Scripturæ locis innumeris. Ego deligam duntaxat certa aliquot, & quidem ipſa quoq; teſtimonia Saluatoris, qui eſt lux mundi & uerbum uitæ. Apud Ioannem in 3 capite diſertè dicit, cruce ſua fideles ſic liberari à morte, ut quondam ex conſpectu ænei ſerpentis liberabantur à ui mortifera ueneni. Conſtat autem, hos liberatos eſſe continuò & pleniſsimè. Ioan. 5. idem dicit, A' morte tranſiuit in uitam. Expendatur is locus diligenter, & apparebit ipſum ſolum ſatisfacere in hac cauſa. Ioannis 6 apertè dicit, Et ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Suſcitat autem non corpora duntaxat in ultimo iudicio, ſed in cuiuslibet nouiſsima die, hoc eſt in morte cuiuſque, cõſeruat animas ne pereant, aut affligantur, &c. Exempla habemus Euangelica clariſsima: Lazari mendici, qui mox à morte ab angelis defertur in ſinum Abrahæ: & latronis, qui audit à Domino, Hodie mecum eris in paradiſo: & Stephani dicentis, Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum: quinimò Saluatoris maximè, dicentis in cruce, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, &c.

Per hæc funditùs diruuntur, quæcunque monachica & Antichriſtiana doctrina extruxit de purgatorio, de anniuerſarijs, & de ſtatu afflicto animarum fidelium in alio ſeculo. Vnde lucrum fecerunt luculentiſsimum. Confutantur & illi qui ſentiunt, mortales eſſe animas, præterea dormire in alio mundo animas. Cum ne hic in illa infirmitate dormire potuerint. Inſaniam ergo dixeris, ſentire, animas dormire exutas grauedine corporis.

Beatitudo, quies ab omnibus laboribus.

Porrò quod modum beatitudinis ſanctorum attinet, requieſcunt illi à laboribus ſuis. Salus itaque iucundiſsima eſt tranquillitas: recedunt ſemel morbi, ægritudines, dolores, affectiones, mœror, fames, ſitis, frigus, breuiter omnia quæ hic affligunt aut exercent homines. Quies & tranquillitas, gaudium & iucunditas ſuccedunt. Cumque requieſcũt mortui à laboribus, quis credat eos in tormentis excruciari? Cęterùm ne quis de his etiam dubitaret tantillum, confirmationem adiungit, Etiam uel ναί, certè uerè dicit ſpiritus, quieturos mortuos ab omnibus moleſtijs. Nemo ergo dubitet.

Opera illorum ſequũtur illos.

Addit & aliud, Opera ſanctorum conſequi ipſos: id eſt, poſtquam hinc migrauerint ſancti, tum in alio ſeculo ipſis rependi, ſi quid bene operati ſint, ſi dura paſsi ſint. Eſt enim præmium paratum uirtutibus. Id quod ſancti ſperant & capiunt citra meriti proprij iactantiam, & non in contemptum meriti Chriſti. Agnoſcunt enim, Deum coronare in ſanctis dona ſua. Dicuntur autem hæc de præmio operum in conſolationem eorum, qui multa patiuntur in hoc ſeculo. Sic Dominus in Euangelio dixit: Merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Et Apoſtolus ubique aſſerit, præmia parata eſſe ijs, qui hic cum Chriſto crucifiguntur, uel certè genium ſuum fraudant. Obſeruemus autem diligẽter, hæc quoque dici ſub religione iuramenti à ſpiritu Chriſti. Mundus enim religioſos, & propter religionem patientes ſpernit, & obijcit ipſos operã & impenſam perdere. Contrà ſpiritus iureiurando interpoſito affirmat, mercedem paratam eſſe uirtuti.

Sequũtur illos.

Obſeruemus & illud quod dicitur, Opera illorum, & nõ aliorum: item, Sequuntur eos, & non ab alijs mittuntur poſt ipſos. Nemo ergo decipiat ſemetipſum, nemo putet ſibi à morte per ſacrificos in purgatorium mittendam meritorum alienorum ſarcinulam. Non ſunt illa bona opera, quæ fiunt citra & contra uerbum Dei à ſacrificis & monachis, ſed irritamenta iræ Dei. Quid quod in Euangelio excludũtur regno Dei, qui ad alios feſtinant, ut oleum ſibi comparent. Dicit alibi Scriptura, Operemur bonum, dum tempus habemus. Venit tempus, cum nemo laborare poterit. Vigilemus ergo, & faciamus ex fide uerè bona opera.

Iudi-

Iudicium Domini describitur sub parabolis messis & uindemiæ.

CONCIO LXV.

ET uidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius angelus exiuit de templo, clamans uoce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete: quia uenit tibi hora ut metas, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem falcem suã in terrã, & demessa est terra. Et alius angelus exiuit de tẽplo, quod est in cœlo, habens & ipse falcẽ acutã. Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem super ignem: & clamauit uoce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & uindemia botros terræ, quoniam maturæ sunt uuæ eius. Et misit angelus falcem suam acutam in terram, & uindemiauit uineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum. Et calcatus est lacus extra ciuitatem. Et exiuit sanguis de lacu usque ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta.

Vltio diuina contra Antichristianos.

Deflectit nunc ad descriptionem iudicij diuini, contra Antichristianos in primis, & contra omnes impios. Poterat hæc portio coniungi cum sequenti materia, & capitibus sequentibus, utpote eiusdem cum his argumenti. Pertinet autem ad consolationem & confirmationem fidelium, afflictorum ab Antichristo. Sunt qui putent, nullũ unquam fore iudicium. Vtcunque ergo sæuiant in proximos suos, nihil se unquam sensuros ex ea re detrimẽti, *vnd werdenimmer kein han darnach krayen*. Tentantur præterea fideles etiam, dum uident impios florere, se arescere in momenta. Cogitant itaque & ipsi, nimium tardare Dominum. Quinimò expostulant cum Domino, & aiũt: Quis tandem iniuriarum finis? Si iudicaturus est Christus, quid differt tam diu, & tanta cum molestia suorum? Proinde demonstrat in prẽsenti Dominus, futurum omnino iudicium: & tunc quidem futurum, cum maturuerint omnia: cum scilicet impletæ fuerint iniquitates Amorrhęorum, & repleta fuerit mensura iniquitatis: *vnd die nuß ryff wirt vnd ginet, so fallt sy*. Ergo cum maturuerint homines nequam, *vnd wenn sy gnůg ist*, Dominus ueniet ad iudicandũ. Interea expectandum est nobis in constantia & patientia. Sicuti agricola & uinitor expectant messem & uindemiam. Si quis per impatientiam defecerit, non probatur is Domino: sicut ex propheta cõmemorat Apostolus Hebr. 10. cap. Sicut autem desiderio teneri possumus messis & uindemiæ, cum Deo expostulare, cur serius nostro uoto ueniat, non possumus: sic cum eodem non debemus contendere, cur tam serò ad iudicandum ueniat. Sicut messis & uindemia certissimè expectantur & ueniunt, ita dubio procul animaduertet Deus in impios, seruabit pios. Et hæc quidem sunt omnium quæ copiosè sequuntur, & significantius exponuntur ueluti gustus: & coniunguntur superioribus, quod ad consolationem piorum pertineant.

Vt autem omnia euidentiora essent, parabolis inductis omnia ueluti oculis conspicienda proponit. Ac duabus quidem parabolis utitur, mutuò acceptis ex prophetis & doctrina Euangelij. Prophetæ enim perfrequenter iudicium Dei adumbrant per messem & per uindemiam. Ioelis certè 3 cap. ait Dominus: Sedebo in ualle Iosaphat ad iudicandum omnes gentes. Mittite falcem, quoniam maturuit messis. Et reliqua. Sed & notissimum est, quid ea de re legatur in doctrina Euangelica. Oportet ergo hæc transscribere penitius in ipsa corda nostra, ac metuere Dominum, & expectare eius redemptionem in patientia.

Messis. Principiò tractatur parabola messis, deinde parabola uindemię. utraque ostendit Dominum fore iudicem suo & maximè opportuno tempore, cõtra omnes illos, quotquot uel nullum putant futurum iudicium, uel expostulant cum Domino, quòd ueniat tardior, &c. Describitur autem protinus ab initio paterfamiliàs messis, ipse Dominus & iudex Iesus Christus. Dicitur esse similis filio hominis: non quòd non sit nunc filius hominis uerè, & quòd non sit uenturus in iudicium in natura uerè humana, quam semel assumpsit à nobis, nunquam deposuit (uerè enim filius hominis est, & manet in dextera patris: uerè in humana natura uenturus est iudicare uiuos & mortuos) sed allusisse uidetur ad Danielem, & idioma eius expressisse, dicentis: Spectabam in uisione nocturna, & ecce ueniebat in nubibus cœli quidam ceu filius hominis. Et reliqua: ubi legimus etiam iudicij descriptionem contra bestiam. Ideoque & nubis quoque hic meminit, dicens: Et uidi nubem candidam, & super nubem sedentem, &c. Sed & angeli in Actis dicunt, Sic ueniet, queadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Viderũt autem ipsum in altum sustolli, & nubem suscipere ipsum, ac subducere ab oculis eorum. Proinde in nube redibit Dominus ad iudicium. Frequenter in Psalmis legimus, Deũ uehi nube cãdida. Obiter ergo significatur iudicis diuinitas. Itaq; iudex hic est uerus Deus & uerus homo, saluator fideliũ, uindex & iudex infideliũ. Relegamus ergo per Ioã. ad cap. Dan. 7.

Descriptio iudicis Iesu Christi.

Corona aurea in capite. Deinde coronam gerit in capite auream: non quòd aurum sit in cœlo corruptibile, sed propter homines corruptibiles sic loquitur, ut intelligant iudicem esse regem summum: indeque colligant, neminem potentiæ regis huius resistere posse. Alioqui nihil opus habet Dominus noster ullo auro corruptibili. Postremò falcem hic noster habet, & quidem acutam: qua significatur iudicium eius districtum planè, deniq; excidiũ impiorum. Apud Matth. in 3. cap. iudicium Domini confertur uentilabro, à beato Ioanne. Addit, securim positam esse ad rądicem arboris: quo significauit, certum utique instare iudicium, siue excidium potius.

Falx acuta.

Maturæ ad falcem fruges. Sequitur iam explicatio processus iudicij, ac perseuerat in parabola. perinde enim loquitur, ac si seruus redeat ex agris, & denunciet patrifamiliàs expectanti horam messis, fruges iam maturuisse (ariditas granorum signum est maturitatis) ac tempestiuũ esse ut demetantur. Alioqui nihil opus est omniscių monere rei alicuius, cuius non meminerit: multominus horæ iudicij, quã nullus angelorũ nouit, sed pater solus. Hoc itaque totum tribuimus parabolæ: intelligimus autem certam constitutam esse horam iudicij, quæ cum aduenerit, citra moram liberandos fore pios, impios autem condemnandos. Alius, inquit, angelus exiuit. Nam superius alios atque alios prodijsse audiui mus. Clamat hic uoce magna, utpote nunciaturus rem maximam & certissimam, ac in ecclesia maximis uociferationibus denunciandam, ad consolationem omnium fidelium, qui nihil debent dubitare de iudicio, & ad terrorem impiorum, qui uidentur contemnere. Exit autem angelus hic præco, ex templo. Nam superius audiuimus, templum à Ioanne uisum in cœlo. Quòd autem è templo prodit præco iudicij, significatur, nullam hic imaginandam iniustitiam iudicis. Templum enim pietati & iustitiæ est consecratũ, & dicitur domus Dei. Iustè ergo iudicat, & iusto tẽpore iudicat, & iustè exequitur omnia. Iubet angelus facere iudicem, quod sua sponte facturus erat. Mitte falcem, inquit, & mete. Caussæ subiunguntur duæ. Principiò, quia uenit tibi hora ut metas. Proinde certa est iudicij hora constituta, quæ ubi aduenerit, iudicabitur certissimè. Tibi autẽ uenit, inquit. Omne enim iudiciũ datũ est filio. Deinde, Quoniã aruit messis terrę. Quasi dicat: excreuit ad summũ iniquitas terrenorũ hominũ, iustũ ergo est ut excindãtur. Solus Deus autẽ nouit, quando impleta sit iniquitas terrę, &c. Vbi aũt huc fuerit peruẽtũ, nõ opus erit multa prępara tione, discussione & pẽsiculatione caussarum. Vno uerbo absoluit iudiciũ, & exequutionẽ eius, ac totã terrã ueluti unom oměto deglutit & haurit, dicẽs: Ea misit falcẽ suã, qui sedebat super nubẽ in terram, & demessa est terra. Reliqua quę huc pertinere uidentur, repete ex 13. cap. Matth. Quod uerò hactenus dixit, repetit & inculcat alia parabola. Idem enim hac adumbrat, quod commendauit illa. Copia illa facit ad euidentiam, & diligentissimè inculcat certitudinem & ueritatem iudicij, ne quid hic dubitemus, & cum infideli mũdo fluctuemus.

Expeditißimũ iudicium.

Duci-

Ducitur parabola à uindemia. Vsurpata est eadem perfrequenter apud prophetas, excidium gentis alicuius prædicentes. Sed & Dominus in Euangelio confert populũ suum uineæ. Angelus autem tenet in manu falcem acutam. Is typum gerit Christi, qui solus habet omnem iudicandi potestatem. Falx acuta, est districtum iudiciũ (*ein scharpff wol schnydent råbmåsser*, sicuti superius dictũ de falce, *von der sichel*. Prodit hic etiam angelus de templo, iustissimus utique iudex. Clamat ad hunc alius angelus igni præfectus, qui & ex ara egreditur. Superius enim audiuimus, aram esse in templo, & sub ara requiescere animas beatorum martyrum. Significatur ergo in præsenti, Deum recordari sanguinis effusi seruorum suorum, qui propter confessionem aræ unicæ, id est Christi sacerdotis & sacrificij unici, interfecti sunt, iam procedere ad uindictam, hactenus longanimiter dilatam. Proinde hic angelus dicitur potestatem habere super ignem. Ignis perfrequenter in Psalmis significat ultionem Dei. Angelus itaque hic ueluti magister supplicium est, præfectus uindictæ. Nam angeli in Daniele quoque, ut ministri Dei, dicuntur præfecti rebus: non ut ipsos adoremus & colamus ministros, sed Dominum qui per ipsos operatur. Sol & luna, luminaria sunt mundi: sed ideo nemo sanus illa colit & adorat. Significatur hic simpliciter, uindictam certò paratam esse in eos, qui fundunt in terris sanguinem innoxium, & hanc uindictam maximè exercendam fore in fine huius seculi. Quanquã interim & ante finem huius seculi, grauiter animaduertatur in hisce terris, in parricidas: adeò ut Psaltes dixerit, Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos, &c.

Vindicta in impios.

Angelus habẽs potestatem super ignem.

Quemadmodum autem in parabola messis, breui sententia finita est messis: ita paucis hic quoque absoluitur uindemia. Simul enim atque conspexerint impij Christum in nubibus, cicatricibus insignem, & cum eo sanctos eius, quos ipsi contempserunt, oderunt, persequuti sunt & conciderunt: protinus colligent, se merito suo maximo recolligendos cum cacodæmonibus, quib. adhæserunt & seruierunt. Nihil ergo longa discussione opus fuerit. Accusabit quemlibet sua conscientia, & scelera cuiusque nota erunt omni creaturæ. Stabunt ergo ante iudicem in magna confusione impij, in contemptu extremo, in doloribus, & timore & mœroribus nõ explicandis, ac rectà ibunt in cruciatus & tormenta, nũquam in æternum finienda. Huius, inquã, sæpe meminisse oportet, huius perfrequẽter homines omnes admoneri decet, ut sapiant in tẽpore, & sibi caueãt.

Vide Sapiẽtiæ 3. & 5. cap.

Cæterùm ipse paucis adumbrat Ioannes æternam damnationem & uindictam, quã Deus exercet in hostes suos. Fingit autem torcular uel lacum esse, ut ita in allegoria perstet, & quidem extra ciuitatem extructum. Appellat autem per expositionem, lacum iræ Dei magnum. Nam inferi sunt, uel locus supplicij & cõdemnationis est. In hoc torcular colliguntur botri terræ, uel uindemia terræ, terreni inquam & impij homines. Ciuitas autem Dei, ipsum est cœlum, sedes beatorum, quæ postea describetur copiosissimè in cap. 21. At extra ciuitatem situm est illud torcular. Nam alibi quoque in Euangelio dicit Dominus, impios foras esse eijciendos, in tenebras extremas, ubi sit ploratus & stridor dentium.

Lacus extra ciuitatem.

Porrò hic lacus, hoc torcular, appellatur meritò iræ Dei torcular. Nam in eo exercet se ira Dei: & quibus Deus ob scelera iratus est, eo concluduntur, ut æternùm & sine fine torqueãtur & cruciẽtur pro meritis, *da wirt der råcht trottboum vffgeladen vnd getruckt werden.* Magnum uerò appellat, quòd satis capax sit locus excipiendis omnibus impijs. Quod & Isaias monuit in fine cap. 30. Alij legunt, Magnę iræ Dei.

Subiungitur, ex lacu seu torculari non profluere uinum, sed sanguinem, & quidem copiosissimum. Id quod mirabili & horrenda hyperocha adumbrat. Longè & latè diffundebatur sanguis per stadia mille sexcenta. Deinde altissimus, uel profundissimus erat. Attingebat enim lupata uel frenos equorum, eorum inquam qui in sanguine ibãt & luctabantur, nimirum in proprio suo sanguine. Significatur autem illa hyperbole, maximam futuram copiam impiorum, & Deum abundantissimè uindicaturum immensum illum quem impij in terris effuderunt sanguinem. Delectati sunt, dum uixerunt in terra, bellis, cædib. & persequutionibus, martyrijsq; sat ergo sanguinis eis affundet in alio mundo iustissimus Deus, adeò ut in proprio suo sanguine mentotenus immersi, bal-

Sanguinem sitisti, sanguinē bibe. si, balneare uideantur. Meminisse hic oportet equorū dispositorum ad bella, de quibus dictum est cap. 9. *die wolgestrigleten kürys hängst, die den armen magern ackerngürlinen das fůter vffsrässen habend*, tormentis immergentur sempiternis. Sic sic uindicabit se tandem Dominus de hostibus suis. Hunc inuocemus, & expectemus patienter & fortiter. Dominus concedat nobis suam gratiam.

Producuntur septem plagarum angeli. Describitur item triumphus & epinicion sanctorum Christi martyrum.

CONCIO LXVI.

Cap. XV. ET uidi aliud signum in cœlo magnum & mirabile: angelos septem, habētes plagas septem nouissimas. Quoniam in illis consummata est ira Dei. Et uidi tanquam mare uitreum, mixtum igni: & eos qui uictoriam reportarant de bestia, & de imagine eius, & de charactere eius, & de numero nominis eius, stantes super mare uitreum, habentes citharas Dei, & cantant canticum Mosis serui Dei, & canticum agni, dicentes: Magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotēs: iustę & uerę sunt uię tuæ Rex sanctorum. Quis non timebit te Domine, & glorificabit nomen tuum? Quia solus es sanctus. Quoniam omnes gētes uenient, & adorabunt in conspectu tuo. Quoniam iudicia tua manifestata sunt.

Argumentum partis quintæ. Ex occasione messis & uindemiæ explicatæ ultima uisionis proximæ parte subtexitur huius operis diuini pars quinta, quæ exhibet nobis uisionem huius operis quartā, quam alij quintam faciunt. Ea est de iudicijs diuinis. Habet partes duas: unde & in plures uisiones distingui potuerat. sed malumus nos uti paucioribus. Nam principiò fusissimè disseritur de pœnis uel supplicijs à Deo paratis, & irrogandis Antichristo, membris eius, & omnibus impijs: disseritur de iudicio meretricis Babylonicæ, de fatis & excidio Romæ ac Romanæ ecclesiæ, de tripudio & epinicio sanctorum, de aduentu iudicis in iudicium, de pœna & sempiterno interitu omnium impiorum. Tractantur hæc autem in cap. 15 16 17 18 19 & 20. Deinde disputatur etiam pulcherrimè de præmio sanctorum, & æterna felicitate per integrum caput 21, & bonam partem 22. Vtrobiq; aperitur ipse infernus, & ipsum cœlum: daturq; propemodum aspicere in hac mortali carne, in ipsos adeò inferos, & in ipsissimam cœli regiam. Nec inuenias alicubi in sacris literis continuo tractatu tam copiosam disputationem de iudicijs Dei, de supplicijs impiorum, & piorum felicitate ac gaudijs, quàm in præsentiarum.

De iudicijs Dei tractatio copiosiss. & diligentissima. Necessaria est autē hæc tractatio maximè ultimo illo & infelici nostro seculo, in quo homines neglecto spiritu Dei, brutorum instar prorsus sunt carnales, carnem spectant, & toti à carne dependent. Felices sunt, uictoriosi, opulenti, honorati & gloriosi omnes Antichristiani: miseri, pauperes, ignominiosi, & omnium probris & persequutionibus expositi ueri Christiani. Carnales ergo homines omnia æstimant ex præsenti fortuna, & clamitant suam religionem & conuersationem Deo placere, Christianorum displicere. Tentantur hic quoque grauiter pij, sicuti & olim tentati leguntur Psal. 73. & Abacuk 1. cap. Impij pollicentur sibi, se regnaturos perpetuò: tandem etiam contemnunt Dei iudicia, neque unquam futurum putant ut puniantur. Sermones de pœnis, excogitatos à melancholicis Pfaffis, ex inuidentia proferri: spernendos itaq; putant, & aiunt: & exultandum in hoc seculo. Oportuit ergo locū de Iudicijs Dei copiosissimè & diligentissimè tractari, & ueluti obijci oculis auditorum: ut omnes rectè intelligerent, quis certò sit futurus finis bonorum & malorum. Porrò supplicia impiorum uaria sunt, præsentis uidelicet uitæ, & futuræ. Et præsentis uitæ pœnæ innumeræ sunt propemodum: futuræ uitæ sempiternæ & ineffabiles prorsus. Et sicut nulla est comparatio inter pictum ignem & uerum: ita nulla æquiparatio inter præsentis & futuræ uitæ supplicia. Quod si

ſi homines ex animo crederent, ineffabilia gaudia & ſupplicia ſempiterna bonis & malis parata eſſe à Deo: certè omnes peccarent minus, & Deo inſeruirent diligentius. Sed uideamus iam, qualis ſit beati Ioan. de his tractatio.

Origo doctrinæ de iudicijs Dei.

Principiò oſtendit originem omnium ſequentium, non terrenam, ſed cœleſtem. Videt enim in cœlo aliud ſignum. Aliud dicit, quod & in 12 cap. audiuimus alterius cuiuſdam ſigni mentionem fieri. Signum autem appellat, quòd rem aliam ſignificat, & ideo per ſe conſideraudum non eſt: ſed quòd in cognitionem inducit aliud quiddam, ac longè maius quàm primo mox contuitu ſe offert. Signum hoc, id eſt uiſionem illam, uocat magnam & admirandam. Nam iudicia Dei maxima ſunt, & maximè admiranda. Dum exercentur illa, mirantur impij, qui nunquam talia futura exiſtimauerunt: mirantur & pij potentiam Dei magnam, iuſticiam æquiſsimam, & in liberandis aſſerendisque ſuis maturitatem & fidem. Deinde exponit quale fuerit ſignum ſibi exhibitum in cœlo, & per cœleſtem uiſionem: Vidit angelos ſeptem, habentes in pateris ſeptem plagas. Id eſt, intellexit Deum paratum & inſtructum eſſe diuina potentia, qua infligere poſsit & uelit plagas & commerita ſupplicia, tam Antichriſto ipſi, quàm membris eius, omnibúsque in terra impijs hominibus, propter ſcelera cõtra Deum patrata. Quod autem in hoc libro ſæpiſsimè monuimus, ſeptenarius numerus plenitudinis eſt numerus. Proinde habet Deus abundè ſatis miniſtrorum, quorum opera affligat & perdat impios. Itaque & ſeptem plagæ, omnis generis plagæ ſunt. Temporales copioſę admodum recenſentur Leuit. 26. & Deut. 28. Diues eſt Dominus, & in plagis ſempiternis diuerſiſsimi quoque generis. Nam Scriptura alicubi commemorat, uermem arrodentem, ignem inextinguibilem, ploratum & ſtridorem dentiũ, extremas tenebras, & huius generis plurima alia. Septem uerò plagas illas uocat nouiſsimas: & mox ſubiungit rationem, Quoniam in illis conſummata eſt ira Dei. Nam nouiſsimis illis & deprauatiſsimis ſeculis infliget plagas ſuas Dominus, & quidem plagas iuſtæ iræ ſuæ, quas in finem uſque pleniſsimè effundet, conſummatamque iram exercebit in impios, in ſecula ſeculorum.

Septem angeli & ſeptem plagæ.

Suſpendit tamen nunc expoſitionem illam, de Angelis ſuppliciorum magiſtris cœptam: & inſerit aut præmittit beatorum martyrum gaudia maxima, triumphum & epinicion uel canticum gratulatorium & euchariſticum. Inſeritur autem gaudium hoc in tractationem ſuppliciorum, ad piorum conſolationem, ut norint ſe à ſupplicijs liberatos eſſe: & ſi quid, dum impij puniuntur, incommoditatis ad ipſos uſq; peruenerit (ut fieri ſanè non poteſt, quin afflictis impijs, incommoditas aliqua ad pios quoque perueniat) intelligant tamẽ, gaudiorum præſtanti abundantia, incommodorum difficultates compenſandas. Significatur enim his, pios exultare, dum ſuam iuſticiam exercet Dominus. Vices quoque eſſe rerum, ut qui aliquando in mundo plorarunt, iam iubilos edãt, ſecundum uerbum Saluatoris Ioan. 16. Oportuit præterea omnium ſanctorum teſtimonio declarari ſanctis in terra agentibus, iuſta & uera eſſe Dei iudicia: quo intellecto, ceſſent quæſtiones, & uaria contra Deum murmura.

Gaudia & triumphi piorũ.

Principiò uidet illos qui Antichriſtum uicerunt, & nihil omnino negotij habuerũt cum illo: ſicut Germanicè dicitur, *weder zů ſchicken noch zů ſchaffen haben* (hoc enim ſignificari arbitror per enumerationem illam membrorũ quorũdam copioſam, quorũ expoſitio ſuperius eſt reddita) in cœlis, nõ in dormitorio quodã, aut nullibi, ſicuti quidã colligunt. Vidit inquã in cœlo beatas animas ſtare ſuper mare uitreũ, igni mixtũ. Diximus autẽ alibi, mare mũdũ adũbrare, propter æſtus & inſtabilitatẽ. Certè Daniel ita accipit, Danielis 7. Vitreũ autẽ appellatur, propter fragilitatẽ. Splẽdẽt etenim res mũdanæ, ſed frãguntur ſimul. Vnde dici ſolet, Res mũdanę uitreæ ſunt: quę dũ ſplẽdẽt, frãgũtur. Nõ temerè autẽ ignis immiſcetur rebus mũdanis. Sancti enim dũ in mũdo uerſantur, perpetuò propemodũ ſentiũt ignẽ afflictionis. De quo Petrus diſſeruit, 1. Petri 4. Inſiſtũt autem mari uitreo, igni mixto. Victores enim calcant mundum, & omnia mundi tormenta & ludibria, ceu triumphantes de rebus mundanis omnibus. Propheta Pſal. 66. inducit ſanctos epinicion Deo canentes, atq; inter alia dicentes, Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Trãſiuimus per ignẽ & aquã, & eduxiſti nos in refrigerium. Sequuntur ergo uices in alio mũdo. Vnde & Aretas hunc locum exponens: Vitreum mare, inquit, nihil aliud inſinua-

Mare uitreum igni mixtum.

re uidetur, quàm per mare quidem multitudinem, per uitrum uerò ſplendorem, per ignem puritatem eorum qui beata illa uita digni fuerint. Et ſanè eadem uocabula diuerſis reſpectibus diuerſa ſignificare, & congruum ſibi ſenſum reddere poſſunt.

Hactenus audiuimus, ſanctos eſſe in cœlo, ubi & triumphent de uicto mundo: porrò audiemus clarius, quid agant in cœlo, & quomodo concinant Domino carmen euchariſticum & epinicion, quod omnino conuenit cum Pſalmo 66. Tribuit autem martyrib. beatis citharas: ſicuti & ſenioribus. Has appellat Dei, quaſi tu dicas, diuinas & cœleſtes, deprędicandis laudib. Dei accommodas. Significatur enim iubilus cœleſtis, de quo dictum eſt cap. 5. Addit præterea, quod explicet muſicam: Et cantant. Sed & genus carminis quod cecinerunt, explicat, Canticum Moſis ſerui Dei, & cãticum Agni. Eſt ergo carmen beatorum gratulatorium, euchariſticũ & triumphale. Sicut enim olim Maria cum choro uirginum Izraeliticarum, authore Moſe, carmen cecinerunt, cum liberati eſſent Izraelitæ ex captiuitate Aegyptiaca, & ſubmerſus eſſet Pharao in mari rubro cũ toto eius exercitu: de qua re copioſiora lege Exodi 14. & 15. ita beatæ animæ in cœlo laudant Deum, qui ipſos liberauit à ſathana, Antichriſto & mundo. Canticum uerò agni, Chriſtiana eſt gratiarum actio, qua prædicatur à ſanctis Chriſti uirtus & redemptio. Sicut enim ueteres poſt epulas agni paſchalis iubilum ediderunt, & Deo egerunt gratias: ita beati iam donati plena filiorum Dei libertate, gratias agunt Chriſto liberatori.

Citharæ Dei.

Canticum Moſis & Agni.

Poſtremò recitat formulam carminis. Prædicatur hoc maximè Deus, qui appellatur Dominus, Deus, Omnipotens, Rex ſanctorum, utpote cui militant ſancti, à quo & reguntur, & qui ſanctos tuetur & aſſerit & ſeruat. Appellatur & Sanctus, in quo nulla macula, nulla iniquitas. Prædicant autem ante omnia eius opera, quę uocant magna & mirabilia. Patent hæc in cœlo & in terra. Declarant Dei potentiam & ſapientiam & iuſticiam. Mox ergo inferunt: Vias, id eſt rationes Dei, quas ſequitur in rebus gubernandis & perficiendis, ueras eſſe & iuſtas. Nam non fallit, nemini iniuriã infert. Iuſtus eſt ergo Deus in puniendis Antichriſtianis, & in aſſerendis ſuis. Licet uideatur ſuos negligere, ſeruat tamen fidem pijs: ut rex qui ſuos nunquam negligit.

Rex ſanctorum.

Inferunt iam, quid etiam omnes in terra homines facere deceat: Aequum eſt ut omnes homines te timeant, & in omnibus glorificent, non accuſent & obmurmurent tuis iudicijs. Alia ſubijcitur ratio: Quia ſolus ſanctus eſt, & irreprehenſibilis, ſine macula. Nulla ex omnibus creaturis hoc habet. Licet nunc pleræque gentes contemnant Deũ, uenient tamen aliquando, & adorabũt: agnoſcent ſuam impuritatẽ, & Dei ſanctitatem atque iuſticiam. Etenim iuſticia & iudicia Dei, quæ iam nondum ſunt reuelata, & ideo contemnuntur, reuelabuntur aliquando, ut ex omnibus gentibus pij omnes gloriam Deo iuſto tribuant. Hæc ſcilicet præparant etiam lectorem & auditorem ad tractationem iam ſubſequentem de iudicijs Dei, ſupplicijsq; impiorũ. Dominus aperiat nobis oculos animi, ut cum fructu ubere hæc uideamus.

Deſcribuntur ſeptem angeli, prodeuntes ad infligendum ſeptem plagas.

CONCIO LXVII.

ET poſt hæc uidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cœlo: & exierunt ſeptem angeli, habentes ſeptem plagas, de templo, ueſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. Et unum ex quatuor animalibus dedit ſeptem angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei uiuentis in ſecula ſeculorum. Et impletum eſt templũ fumo à maieſtate, & de potẽtia eius. Et nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem angelorum.

Fructus tractationis iudiciorum Dei.

Redit nunc ad deſcriptionem iudiciorum Dei, unde paululum digreſſus fuerat. Habet illa tractatio fructũ multiplicem. Sunt enim iudicia Dei, ſupplicia uel pœnæ impiorum,

rum, iusticiæ & ueritatis Dei testimonia. Deinde confirmantur his pij in spe sua. Cernunt enim ne iota quidem decidere de uerbis & minis Dei, licet longanimis sit, diu dissimulet, adeoque impijs fauere & parcere uideatur. Sētiunt ergo pij spem suam non esse uanam. Sed & Deum timere discunt, & orare perpetuò ne inebriati gaudijs & felicitate huius seculi, deficiant à Deo ad impietatem. Deniq; terrentur impij pœnis, inuitantur ad resipiscentiam: quam dum respuunt, sentiunt sanè pœnas, sicuti & Pharao sensit.

Descriptio septē angelorū.

Priusquam uerò angeli acceptas pœnarum phialas effundant, describuntur quàm elegantissimè & diligentissimè. Ac initiò ostenditur, unde prodeant: id est, quæ sit origo iudiciorum Dei. Prodeunt ex patefacto templo, & tabernaculi quidem testimonij templo, quod est in cœlo. Vidit enim Moses in monte templum, & quidem in cœlo, ad cuius imitationem cœlitùs est iussus formare tabernaculum testimonij. Tabernaculum ergo testimonij, formatum & extructū est ad figurā exhibitam & uisam in cœlo, quam beatus Apostolus ad Hebræos ὑπόδειγμα appellat, nimirum ipsum exemplar. Dicebatur enim Mosi: Vide ut facias omnia secundum exemplar, quod ostēsum est tibi in monte. Id quod Moses præstitit. Cæterùm quę prodibant ex tabernaculo testimonij extructo, in terris uidebantur Izraelitis iusta & sacrosancta. Inde petebantur oracula siue responsa à Deo, quibus nephas erat contradicere. Cum ergo iam audiamus ipsa Dei iudicia cōtra mundum impium, pœnas & supplicia ex ipso prodire templo uero, exemplari inquā & cœlesti, quis porrò dubitet omnia Dei iudicia quibus affligit impios sacrosancta esse? Et dum sumuntur de impijs supplicia, nihil aliud cogitandum, quàm sententiam è cœlo ceu oraculum prodijsse uel prolatam esse, cui nefas sit contradicere. In summa, Procedunt diuina iudicia ex ipso Dei throno, unde non possunt non esse sanctissima. Alioqui audiemus 21 capite, nullum in cœlo esse templum. Sunt ergo hæc figuræ & typi, nō res ueræ & permanentes: sed postquā hoc significarūt, ad quod institutæ sunt, transeuntes.

Prodeunt angeli ex templo.

Huc pertinet etiam habitus angelorum, ut ex hoc quoque iudicia Dei æstimemus. Induti referuntur lino puro, uel mundo ac candido, uel splendido (καθαρὸν καὶ λαμπρὸν) quo significatur, iudicia Dei esse immaculata & illustria. Audiuimus enim hæc quæ Ioannes uidit esse signa. Proinde non oportet imaginari carnalia in cœlestibus rebus, sed spiritualiter interpretari, quæ in signo uidentur ueluti corporalia. Vestis in hoc seculo mutatur cum conditione rerum. Nam candidę uestis usus est in uictorijs & gaudijs, atrę in funere & luctu, rubræ in conflictu. Significatur itaque, purissima esse Dei iudicia, uincere & triumphare de impijs Deum. Apparent in resurrectione & ascensione Domini angeli candidis uestiti, & fulgurantes, ad significandam Christi gloriam. Iam ipsum quoque pectus astringitur zona, & quidem zona aurea. Aurum typus est puritatis. In pectore est sedes affectuū. Zona astringit, præterea itineri accingit. Proinde significatur, parata & in promptu esse Dei iudicia: ea carere affectibus, id est non pronunciari aut fieri ex inuidia aut odio, fauore uel gratia, sed esse iusta, moderata & æqua.

Induti angeli lino cādido, etc.

Cæterùm unum ex animantibus distribuit septem illis angelis ultoribus & uindicibus septenas phialas, & has quidem ira Dei plenas. Porrò cum Deus non egeat creaturarum auxilio, neque ab his quicquam, ut indigus ullius rei accipiat: tamen cum creaturas suas non frustra condidit, & ordine agat, omnes sanè creaturæ (dixi enim cap. 4. per animalia uniuersitatem creaturarum adumbrari) suam operam conferunt contra impios, & quicquid habent à Deo (habent autem omnia) uolente hoc & iubente impendere iudicijs Dei sponte impendunt. Ita ignis cœlitùs ruens in Sodomam & uicinas urbes, plagam uel phialam iræ diuinæ submiistrauit angelo ultori. Sic aqua adoperuit Pharaonem & exercitum eius. Sic terra dehiscens deglutiuit cœtum Chore, Dathan, Abyron & On. Sic exercitus gentium se accommodant sumendis supplicijs de impijs. Ruunt mœnia Iericho, atterit grando Chananęos. Sic nulla difficultate punit Deus hostes suos, cum omnes creaturæ suam conferant operam. Phiala autem aurea est. Iterum enim significatur iusticia & æquitas iudiciorū Dei. Cum autem appellatur Deus uindex, uiuens in secula: significatur eius æternitas & maiestas, quam nunquam momentaneæ res mundanæ & infirmitates humanæ superabunt. Cadent in conspectu æterni Dei omnes impij, & peribunt in æternum.

Vnū ex animalib. phialas dat.

Post

Templum fumo repletum. Post hęc uidet Apostolus, templum fumo repleri à maiestate Dei, & à potentia eius. Fumum esse signum præsentiæ Dei, liquet ex multis Scripturę locis, maximè ex 8. cap. 3. libri Regum. Deinde iræ quoque diuinæ nota est. Aretas enim: Fumus, inquit, diuinæ irę argumentum est: iuxta illud quod dictum est, Ascendit fumus in ira eius. Neque enim fumus absque igne existit, neq; ignis sine fumo, &c. Prętera fumus infestat oculos, & excęcat. Ita Isaiæ 6. templum Dei, quod uidet Isaias, fumo impletur. Ac in præsenti non uidetur duntaxat significari Dei præsentia & excandescens ira: sed & adumbrari, imperuestigabilia esse Dei iudicia, ut quæ ipse nobis non reuelat, nos minimè assequuturos. Maiestas enim eius est immensa, & potẽtia eius superat omnia. Primasius Apher Vticen. hunc locum enarrans: Illud fumo, inquit, significari puta, quòd non ab omnibus iudiciorum Dei arcana penetrari queant, mentesque mortalium inflictarum consideratione plagarum caligent, palpitantes: quam nunc statuit enarrare, & usque ad earũ finalem exitum, fumum in templo asserit perdurare. Hæc ille.

Nemo poterat intrare in templum. Sequitur autem, quod istud ueluti explicare uidetur: Et nemo poterat introire in templum, &c. Certum est autem ex doctrina Euangelica & Apostolica, animas è corporibus migrantes, ante finem & iudicium rectà contendere in sedes beatas, & ibi perfrui promissis à Deo uerace gaudijs. Aliud ergo significatur, nimirum ante finem rerum omnium sanctos non posse omnia Dei iudicia liquidò perspicere. Videmus enim hic per speculum, ibi de facie ad faciem, & Deum ipsum cognoscemus, & ueritatem rationemque iudiciorum eius. Primasius, Nec quisquam poterat intrare templum: id est, illud penetrare secretum, donec finirentur septem plagæ illæ septem Angelorum. Vnde & Psalmus: Hoc labor est, inquit, ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam nouissima, &c. Significatur itaque, ante iudicium latêre sanctos iudiciorum diuinorum secreta. Sufficiat ergo nobis, quòd ipse nobis aperire dignatus est: per cætera credamus, iustum esse Dominum in omnibus uijs, & sanctum in omnibus operibus suis. Ipsi gloria.

Effundunt tres priores angeli phialas suas in Antichristianos & impios omnes.

CONCIO LXVII.

Cap. XVI. ET audiui uocem magnam de templo, dicentem septem angelis: Ite, effundite phialas iræ Dei in terram. Et abijt primus, & effudit phialam suam in terram: & factum est ulcus malum & noxium in homines qui habebant characterem bestiæ, & in eos qui adorabant imaginem eius. Et secundus angelus effudit phialam suam in mare: & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima uiuens mortua est in mari. Et tertius angelus effudit phialam suam in flumina & in fontes aquarũ, & factæ sunt sanguis. Et audiui angelum aquarum dicentem: Iustus es Domine, qui es, & qui eras: & sanctus, quia hæc iudicasti: quia sanguinem sanctorũ & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere. Digni enim sunt. Et audiui alterum de altari dicẽtem: Etiam domine Deus omnipotens, uera & iusta iudicia tua.

Plagæ Aegyptiacæ. Postquam in genere dixit de iudicijs Dei iustis, specialiter iam progreditur per septenarium numerum, & copiosè exponit Dei plagas, quas etiam in hoc seculo incutit impijs, maximè uerò Antichristianis. Respondet hic locus ei ferè, aut certè multa cum eo similia habet, qui est in Exodo Mosis, à capite 7 usque ad 12? Totis enim illis capitibus describuntur plagæ Dei decem, quibus propter peccata Aegyptium regem Pharaonem & to-

& totam Aegyptum afflixit. Versibus elegantibus hæ plagæ leguntur comprehensæ, à D. Musculo nostro, compatre colendiss. talibus:

Fit cruor ex undis, conspurcant omnia ranæ,
Dat puluis cyniphes, postea musca uenit.
Dein pestis, pòst ulcera, grando, locusta, tenebræ,
Tandem prototocos ultima plaga necat.

Exponuntur hæ plagæ & in Psalmo 105. In Exodo 15. cap. ait Dominus: Si diligenter audieris uocem Dei tui, & quod rectum est in oculis eius feceris, & statuta eius seruaris omnia, nullum morbum, quem Aegyptijs immisi, tibi immittam: quia ego Dominus, te sanans. Discimus ergo ex tractatione plagarum Dei, timere Deum, & ambulare in mãdatis eius. Nec pugnat cum hac Dei sententia, quod legimus, Iob & alios uiros sanctos, & in mandatis Dei ambulantes, esse grauibus exercitos morbis. Hæc enim sunt singularia, nec propter peccata præcipuè incutiuntur, sed ad exercitium fidei uirtutumque augmentum. *Cura plagarũ.*

Homines ferè plagarum causas referunt ad astra, & ad alias causas: ideoq; non conuertuntur ad percutientem se Dominum, in emendatione uitæ pessimæ. At ex tractatione Mosis, quam adduximus ex Exodo & ex præsenti Ioãnis disputatione, docemur, Deum ipsum punire peccata & scelera hominum, quanquam opera utatur hominum & elementorum, quibus ut causis proximis homines accepta referunt mala, quæ iustè à Deo propter peccata perpetiuntur. Ea de caussa auditur in præsenti uox, nõ ex aere aut ex terra, sed ex templo Domini ueri, iusti & sancti, mandãtis prodire angelos, & phialas effundere in capita mortalium. Deo itaq; authore puniũtur mali. Porrò phiala nihil aliud est, (de uocabulo dixi cap. 5.) quàm iudiciũ Dei iustũ, uel ultio cõmerita ab hominib. Effundũt angeli phialas, quoties homines per media à Deo deputata supplicijs, puniũtur. Vox autẽ illa quæ auditur ex templo, magna est. Nam nemo potest resistere Deo, neque infirmare decretum ipsius. Mandante illo, obedit omnis creatura. *Causa plagarũ uera.* *Vox ex tẽplo.*

Dum uerò angelus hic primus, executor iudicij diuini, effundit suam in homines plagam, factum est ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν, ein bõs vnd schedlich geschwãr. Respõdet hæc plaga sextæ Aegyptiacæ. Significat autem ulcus illud, cancrum, fistulam, bubones, in primis autem Indicas poscas, *die bõsen blatern*, quas alij uocant Neapolitanas, alij Gallicas, alij Hispanicas: nimirum quòd bello Neapolitano (quòd à Gallis & Hispanis gerebatur, anno Domini 1494) primũ in castris ex scorto, quod exercitũ infecit, sint exortæ. Quod Mainardus medicus multis exponit. Vtcũq; uerò uaria & uenenata ulcera multos infestent grauiter, collegia tamẽ canonicorũ, cœnobia monachorũ monialiũq;, & domus sacerdotum poscæ Gallicæ singulariter corrũpũt. Nam fornicationi studentes impurissimẽ, sanctum execrantur & damnant in alijs coniugium, & ideo mercedem iniquitatis suæ inde reportant. Ideo significãter hic dicitur, Antichristianos fore hoc morbo cohercendos, uel potius puniẽdos. Inuenias quib. facies propè sit erosa hoc morbo. Sed & fornicarij & adulteri pleriq; hac exercẽtur plaga. Adoperitur etiam eximius Dei seruus Iob tuberibus ulceribus q;, sed singulari Dei cõsilio, sicuti superius quoq; attigimus. Ideo mirum non est, si aliquoties & optimi homines alieni à scortationis impuritate, eodem hoc morbo corripiantur. *Primus angelus phialam effundit.* *Vlcera.1.* *Die franzosen morbus.*

Secundus angelus effundit phialã suam in mare: ideoq; sanguis uiuentiũ talis omnino factus est, qualis est in mortuis, corruptus utiq;, & in tabem conuersus. Vnde mortua est omnis anima uiuens in mari. Mare semper est in motu, ac uarium planè: rectè ergo per hoc significatur mundus, uel homines uarij in mundo: hi propter peccata peste corripiuntur, & pereũt magna copia. Subest enim uerbis synekdoche, cum dicitur interire omnis anima uiuens. Respondet hæc 2 plaga quintæ Aegyptiacæ. Comprehendimus sub hac plaga omnis generis pestes & lues, *vnd sterbend*. Corripitur & Ezechias peste: sicuti & multi uiri pij pereunt peste, sed singulari Dei consilio. *Pestis.2.*

Tertius angelus effundit phialam suam in flumina & fontes aquarum, quæ mox in sanguinẽ sunt conuersæ. Respondet hæc plaga primę Aegyptiacę. Immerserant Nilo reces iã effusa infantiũ corpuscula Aegyptij, & oppresserãt innoxios Izraelitas: digni ergo erant *Sanguis.3.*

erant qui biberent ex Nilo pro aqua ſanguinem. Aqua alioqui in ſcripturis doctrinam ſignificat, ut in Ezechiele & Zacharia. Significant ergo flumina & fontes aquarum, doctores eccleſiaſticos & principes, quos Deus dedit populo ad defenſionē & refrigeriū. Certè S. Petrus pſeudodoctores appellat fontes aqua carētes. 2, Petri 2. In 17. cap. audiemus, per aquas intelligi populos. Plaga ergo Dei hæc eſt, principes populi & doctores pacis, fiunt authores incentoresque ſeditionum & bellorum: in quibus cadunt, & ſeſe interficiunt, qui ſanguinem ſanctorum fundunt. Quanquam uerò in bellis etiam pij affligantur, nouit tamen Dominus horum rependere labores, ac lenire dolores. Multis hac de re diſputat beatus Auguſtinus libro primo de Doctrina Chriſtiana. Si uerò inſpexerimus uariam Italiæ, Galliæ, Germaniæ & Hungariæ, aliorumque regnorum, Chriſti nomine adhuc gloriantium, hiſtoriam: deprehēdemus faces bellorum funeſtiſsimas fuiſſe, qui debuerant eſſe principes pacis. Et quidem ſicuti in Euangelio dicit Dominus, Non oportet alibi, quàm Hieroſolymis, perire prophetam: ita nō oportuit ſubnaſci bellum, niſi authoribus Romanis pontificibus, epiſcopis atque prælatis. Pauca duntaxat commemorabo. Gregorius 2. pontifex, Leonem Iſaurū Imp. per ſeditionem Italia eiecit. Stephanus pont. Pipinum Francorū regem contra Langobardos induxit in Italiam. Eoſdē, authore Leone 3. pōt. Carolus magnus Italia pepulit, cæſis ad internecionē pleriſq;. Gregorius 7. pōt. homo cōſceleratiſs. Petrū regē Hungarorū cōmiſit cū Heinrycho 4 imperatore, bellis Italiā totamq; Germaniā implicuit, & Heinrychū adegit ad prælia nec pauca nec leuia. Vrbanus eius nominis ſecūdus, orientē & occidētē, imò & reliquas orbis partes inter ſe cōmiſit bello, quod Sacrū uocant, ſuſceptū pro Hieroſolyma recuperanda. Fuit hoc diuturnū, aſperum, ingens & ſanguinolentum, cui non reperias omnibus ſeculis ſimile. Quæ Alexander 3 contra Friderychum Barbaroſſam egerit, & quo modo totam in ipſum Italiam concitarit, narrant hiſtoriæ. Dum uerò Friderychus 2 occupatur Bello ſacro, Gregorius 9 occupat ipſi Neapolim. Indignatur hic Vrſpurgen. abbas, tantum nefas patratum eſſe à Pontifice. Exortæ ſunt Pontificibus authoribus factiones in Italia graues Guelphorum & Gibilinorum. Clemens 4 induxit exercitum Gallicum, duce rege Carolo, in regnum Neopolitanum: qui & Conradum ducem Sueuiæ ſua hæreditate exuit, & unà cū duce Auſtriæ Friderycho occidi curauit, cæſis Germanorum milibus multis. Ioannes 22 pontifex, in Ludouichum 4 Bauarum armauit Friderychum Auſtriæ ducem, & Leopoldum. Bonifacius 8 Albertum regem, Auſtriæ ducem, in Philippū Francorū regem arma infeſta ferre mādauit. Sicut Martinus 5, graue bellū contra Bohemos excitauit. Eugenius 4, Victorē Ladislaū Poloniæ & Hungariæ regem, Turcę Amurathi perfidia uictū & cæſum, ſubſtrauit, miſſo legato Iuliano Cęſarino card. qui & ipſe infauſta clāde perijt. Vbi illud Maronis occurrit: *Cadit ipſe Tolumnius augur*. Sixtus 4, fortiſsimæ genti Heluetiorū miſit labarum uel banderum rubrum, appenſa bulla, qua ampliſsimas confert indulgentias pugnaturis pro Romana eccleſia. Iulius 2, magno & multo Heluetiorū cruore fuſo, Gallum Italia eijcere cœpit: quod Leo 10 tandem perfecit, recepto Carolo 5, qui hactenus Italiæ præfuit. Clemens 7, hunc premere iterum incipiebat, ſed mors conſilia eius conturbauit. Paulus 3, arma Italica iunxit Carolo 5, & oppugnauit Germanos propter negatam Sedi obedientiā, & receptum Euangelium. Captus eſt eo bello Lantgrauius Haſsiæ Philippus, & dux Saxoniæ Ioan. Friderychus Elector. Exercita eſt in Germania à militibus magna libido & crudelitas. Iulius 3 cœpit colludere cum Gallis: excitatoque Parmenſi & Mirandulano bello, Gallos perduxit Senas. Obortum eſt terra mariq́ue & in Gallia & in Italia & in Germania bellum grauiſsimum, quod uel hodie durat: lacerant ſe mutuùm principes & populares, bibunt ſuum ſanguinem largiſsimè, qui interim grauiſsimè perſequūtur Chriſti eccleſiam. Dominus pacem concedat.

Bella authoribus pontificibus excitata ſunt.

Iuſtus Deus in iudicijs ſuis.

Iam uerò cum pij poterant mirari, quare Deus mutuis bellis ſinat ita concuti & collidi orbem: præueniunt Angeli admirationem & querelam, atque non tantum cauſam reddunt, ſed & iuſticiam Dei prædicant in iudicijs iſtis. Inducit autem angelos duos, ueluti idoneos & ſufficientes teſtes huius negotij: alterum facit aquarum præſidem, alterum ex altari loquentem. Imitari hic uidetur Danielem, qui & ipſe 10 cap. ait, angelos ueluti

Angeli rerum præſides.

ueluti præsides, præfectos esse prouincijs. Non quòd Deus non in aquis omnibusque elementis & regionibus omnia agat & gubernet: sed quòd opera angelorum, uti ministrorum suorum, utatur. Quod autem inde colligunt Pontificij, diuos præsidere elemẽtis, morbis, artibus, urbibus & membris in homine singulis, ineptum ac superstitiosum est, imò & idololatricum. Etenim longè diuersa est ratio angelorum & beatarum animarũ, pręterea illis lõgè alia quàm his tribuit Scriptura. Nihil de animab. beatis quicquam agentib. cũ hominib. in hisce terris, legas in uniuersa Scriptura. At hominib. addi custodes angelos, & uarijs ministerijs inseruientes his, non uno loco legis in Scriptura. Rursus nõ legis, pios hac de causa ullũ angelis exhibuisse cultũ: imò Ioannẽ uoluisse adorare angelũ, in hoc libro audiemus, sed prohibitũ ab angelo semel & iterũ. Porrò hic angelus & causam reddit, quare aqua sit conuersa in sanguinem, & prædicat Dei iusticiam. Conuerso enim ad Deũ sermone: Iustus, inquit, es Domine, qui es, & qui eras, &c. Iustum pronunciat, ut qui nulli inferat ullam iniuriam. Ideoq; & sanctum pronunciat. Significat interim æternitatem eius, & quòd esse conferat omnibus, cum ait: Qui es, & qui eras, &c. De hac loquutione dictum est cap. 1. Tribuit autem cuiq; suum uera iusticia. Subiungit ergo angelus: Ideo iustus es Domine, & iusticiam tuã declaras mundo, quòd sanguine eos potasti, qui effuderunt sanguinem prophetarum: id est, prædicatorum, propter ueritatis præconiũ. Nec horum duntaxat sanguinẽ, sed sanctorũ quoq; effuderũt, fideliũ inquam, quos propter uerã fidei professionẽ uexarunt, tandẽ & occiderunt. Ideo digni sunt, ut uicissim & suo proprio & suorum sanguine potentur: id est, ut cadant bellis mutuis, seditionib. & cædibus, nimirum superius recitatis.

Angeli rerum præsides.

Cap. 19 & 20.

Confirmãtur hæc ab altero angelo, qui ex altari loquitur: nec sine causa ex altari. Audiuimus enim superius cap. 6. sub ara animas interfectorũ clamare & dicere, Vsquequò non uindicas sanguinẽ nostrũ de his, &c. ergo nunc ex ara profertur sermo, ut intelligamus, Deum nõ obliuisci sanguinis suorum, sed ulcisci iusto & opportuno tẽpore. Iam obiter etiam prædicatur Dei omnipotentia, ut intelligant omnes impij, tẽpore afflictionis & uindictæ nullas fore uires, quæ resistant omnipotenti. Huic soli gloria.

Angelus loquitur ex ara.

Effundunt quartus & quintus angelus phialas suas.

CONCIO LIX.

ET quartus angelus effudit phialam suã in solem, & datum est illi æstu affligere homines per ignẽ. Et ęstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei, habentis potestatem super has plagas, neq; resipuerũt ut darent illi gloriã. Et quintus angelus effudit phialam suã super sedẽ bestiæ, & factũ est regnũ eius tenebrosum: & cõmanducauerũt linguas suas præ dolore, & cõuicijs affecerunt Deum cœli præ dolorib. suis, & præ ulceribus suis, nec resipuerunt ab operibus suis.

Afflictiones suas iusto Dei iudicio irrogatas, pij non ut peccatorũ pœnas, sed fidei exercitia æstimant, utcunq; agnoscãt se meritò affligi propter cõmissa peccata: hic interim gratiã Dei prædicãt, conuertentis peccatorũ pœnas in fidei exercitia. Impijs pœnæ sunt afflictiones, quas nec patienter ferunt, nec Deũ glorificant, sed blasphemãt potius, arbitranturq; indigna se pati. Grauissimæ ergo his sunt plagæ Dei, cum interim longè atrociora ipsis sint parata, ut luant uidelicet in alio seculo interitum sempiternum. Proinde plagæ huius seculi impijs illatæ, sunt præludia quædam atrociorum malorum. *Es sind beytmümppffeli, byß inem das groß mal ouch gäben wirt, &c.*

Afflictiones piorum & impiorum.

Quartus angelus effundit phialam suam in solem, ac eidẽ concessum est affligere homines æstu uel igne. Hanc plagam pleriq; interpretantur allegoricè, per solem intelligentes Christum exhilarantem conscientias fideliũ: obscurari uerò hunc in animis hominũ magis eligentiũ tenebras Antichristi, quàm Christi lucẽ: & ea de causa cõscientias errãtes, & errore seductas, ardere uarijs cupiditatib. & desperationib. quib. tandem adi-

Siccitas, quarta plaga.

gantur ad uarias blaſphemias. Hanc expoſitionẽ ut nõ repudio, ita (meo quidẽ iudicio) ſimplicior fuerit ſenſus, ſi intelligamus, quartam plagã eſſe æſtũ & ſiccitatẽ ingentem terræ ſterilitatẽ, inopiãq; rei frumentariæ, deniq; ſitim intolerandã, & homines & iumẽta affligentem, poſtremò & morbos excitantem æſtuantes. Sic enim legimus in minis legis: Dabo uobis cœlũ æreũ, & terrã ferream. Temporibus Heliæ propter ſpretũ & reiectũ uerbũ Domini, afflixit Deus Izraelẽ ſiccitate graui, ut uidere licet 3. Reg. 17 & 18, cap. Deſcribit talem ſiccitatẽ & æſtũ Ieremias quoq; in cap. 14. Contrà uerò Izraelẽ Dominus texit colũna nubis per diem, & colũna ignis per noctẽ. Superius itẽ audiuimus in Apocalypſi: Nõ cadet ſuper illos ſol, neq; ullus æſtus. Meritò autem ardore æſtuante affligitur hic mundus, ut qui grauiter peccat, cupiditatib. uarijs æſtuat, ſed & refrigerationem uerbi Dei impijs edictis prohibet.

Effectus ingẽs huius plagæ.

Sequitur enim effectus plagæ illius. Et ęſtuauerũt, inquit, homines ęſtu magno. Principiò, inquit, æſtu maximo affecti, tantũ nõ in rabiem cõuerſi ſunt. Legimus enim in hiſtorijs, nimio æſtu nõ rarò afflictos homines, & animi & corporis grauia ſenſiſſe incommoda atq; tormẽta. Deinde ſubiũgit, quod ſequitur ex priore: Impatientia æſtus inſtigati, blaſphemarũt Deũ, & eũ quidẽ qui poteſtatẽ ſuper has plagas habet: nimirũ quòd

Num. 12.

cũ poteſtate mera uel plena utatur, nõ liberet malè affectos ęſtu ardẽte. Cõtrà filij Izrael in caſtris icti ab echidnis, morſu totum corpus incendentib. reuerſi ſunt ad mentem, neque blaſphemauerunt Dominũ. Venientes ergo ad Moſem, dixerunt: Peccauimus, quia loquuti ſumus contra Dominum, & contra te. Ora Dominum, ut auferat à nobis ſerpentes iſtos. Blaſphemant ergo nomen Domini, quotquot per impatientiã obmurmurant iudicijs Dei, neq; agnoſcunt ſe iure & iuſtè puniri petentes gratiam. Poſtremò adiungitur in Ioanne, Nec reſipuerunt ut darent Deo gloriam. Affligit enim nos Dominus, ut afflicti reſipiſcamus, & demus Deo gloriã, agnoſcẽtes iuſtè (ut modò diximus) nos

Quomodo in afflictionibus ſe gerãt pij & impij.

puniri & conuerti debere cum fletu & planctu ad percutientem nos. Iſti uerò inſtar Pharaonis nec peccatum agnoſcunt, nec Deo ſupplicant, nec emendantur, ſed ſubinde uincunt ſe malitia. Diſcimus hinc diſcrimen inter pios & impios, & quomodo utrique ſe gerant in afflictionibus. Illi enim Deo dant gloriam, & emendantur: hi Deo gloriam nõ dant, ſed ſeipſis deteriores fiunt. Deo dare gloriã, eſt cedere Deo, nõ reniti, ſed agnoſcere ſuum peccatum, & Dei iuſticiam: neq; hanc dũtaxat, ſed & miſericordiam & clementiam Dei in pœnitentes, & hanc ſuppliciter poſtulare.

Tenebræ ſedis Romanæ 5. plaga.

Quintus angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedẽ beſtiæ. Sedem & thronũ uſurpari pro regno, manifeſtius eſt quàm debeat probari teſtimonijs, cũ & ipſe Ioan. protinus pro ſede reponat regnũ. Sed & olim docebant magiſtri, uel miniſtri potius eccleſiarũ ſedẽdo, & habebãt ſedes uel cathedras ſuas in cœtibus ſacris. Notũ eſt illud ex Euãgelio: In cathedra Moſis ſedẽt ſcribę & phariſęi, &c. Notũ eſt, uetęribus fuiſſe ſedes patriarchales Hieroſolymã, Antiochiã, Romã, Alexãdriã, Cõſtantinopolim, & alias: eas ipſas dictas eſſe ſedes Apoſtolicas, eo quòd apoſtoli ibidẽ docuerint. adeoq; ſedes apoſtolica uſurpatur pro ipſa doctrina apoſtolica. Eã ſedẽ ab apoſtolis apoſtolicisq; erectã & cõſtitutã Romæ, ſubuertit beſtia Põtifex, locoq; eius erexit ſedẽ peſtilentiæ, quã audet appellare ſedem Chriſti, & ſedẽ beati Petri. Chriſtus nullã ſedem in terris habet amplius, niſi quòd in cordibus habitat fidelis eccleſiæ. Alioqui ſedes Chriſti uera, eſt dextera patris. Sedes beati Petri uera, eſt ipſum cœlũ. Sedes eius amplius Roma nõ eſt: quia doctrina apoſtolica & cathedra patriarchalis deſtructa & conculcata, & terrenũ pro eo imperium uel regnum eſt à Pontifice inſtitutum. Quinimò ſedes apoſtolicas perſequitur armis. Iam ergo Deus ſuorum miſertus, in ſedem Romanam effundit iram & plagam ſuam, luce Euangelica illuſtrans homines, ut agnoſcant impietatem & abominationem ſedis Romanæ. Id quod ingens eſt beneficium illuminatis præſtitum, & pœna atrox Romaniſtis incuſſa. Sequitur enim plagæ effectus: Et factum eſt regnũ eius tenebroſum. Reſpõdet hæc plaga Aegyptiacæ 9. Quemadmodũ enim denſæ tenebręaffligebãt Aegyptios, lux clara exhilarabat Izraelitas, ita Pontificij torquebãtur errorib. fœdis. deinde dolebit ipſis quoque retegi errores, & obſcurari ipſorum gloriam: fideles exultabunt in lumine Chriſti. Incipit enim, & dudũ incœpit maieſtas ſedis, & ſedẽtis in ſede, obſcurari. Quę

Sedes apoſtolica Chriſti & Petri.

uoca-

uocabatur aliquando Sedes ſancta: iam appellatur à pijs & doctis, Roma ſcelerata, ſcortum Babylonicum, mater omnium fornicationum, ſpelunca latronum, Sodoma, Aegyptus, *die rodt kylch* propter purpuratũ ſenatum Cardinalium, qui geſtant purpuram. Dicitur uulgò, & quidẽ rectè, *ye nåber Rom, ye bőſer Chriſt*. Appellãtur, & quidẽ meritò, Cardinales, Epiſcopi & patres ſpirituales, Antichriſti familia, & homines decepti & deceptores, ſimoniaci & corruptiſs. Itaq; regnũ beſtiæ (ſic exponit Sedẽ) factũ eſt tenebroſum.

Præterea additur, quomodo ſe geſſerint & gerant ſedis beſtiæ adoratores. Principiò præ doloribus, mœroribus, indignatione, ira & inuidia, cõmanducant uel mordent linguas ſuas: qui geſtus eſt iraſcentiũ, & quidẽ impotẽter, ardentiũ inquã furore. Nos dicimus, *der will vnſinnig vnd toub werden, möchte vor hőni inn die zungen byßen*. Loquutio eſt itaq;, ſignificãs iſtos magno furore ſequituros propter apertã ueritatẽ, quã omnino recluſam & oppreſſam cupiũt. Deinde cœli Dominũ & conditorẽ uniuerſi blaſphemijs afficiunt, & quòd affligat ipſos ulceribus, plagis uarijs, & quòd tenebras in regnũ ipſorũ offundit. Ideo enim Romani, præcones ueritatis uocant impoſtores & hæreticos: ipſam uerò Euangelij doctrinam, hæreſim. At redundat hæc contumelia in eum qui eſt illius doctrinæ author. Poſtremò non reſipiſcunt ab operibus ſuis, à ſimonia, ab impoſtura, à ſacrilegijs, ab idololatria & impietate. Et Apoſtolus: Mali homines, inquit, & impoſtores proficient in peius, ſeducentes & ſeducti. Mirum ergo non eſt, ſi hodie uideas pontificios, obſtipo collo pertinaciter pergere in ſuis erroribus. Sed & grauiſsima pœna eſt deſeri à Deo, & contumaciter tueri errores ac impietatem, & in his perſeuerare. Dominus liberet nos à malo.

Furor papiſtarum cõtra Euangelicos.

Effundit ſextus angelus phialam ſuam.

CONCIO LXX.

ET ſextus angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnũ Euphratem: & ſiccata eſt aqua eius, ut præpararetur uia regum ab ortu ſolis. Et uidi ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetæ (exire) ſpiritus tres immundos, in modum ranarum. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum, facientes ſigna, ut procedant ad reges totius terræ, ad congregandum illos in prælium diei illius magni Dei omnipotentis. Ecce uenio ſicut fur. Beatus qui uigilat & cuſtodit ueſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & uideant turpitudinem eius. Et congregauit illos in locum qui uocatur Hebraicè Armageddon.

Sextus angelus effundit phialam ſuam in flumen magnum Euphratem: finis huius effuſionis eſt, ut aperiatur uia regibus orientis, id eſt, ut Babylon capiatur. Pertinet hæc plaga potiſsimum ad Romam, Romanamque eccleſiam. Habet oratio allegoriam, uel tacitam collationem & alluſionem ad ueterem Babylonem. Legimus 5 cap. Danielis, ea nocte ipſam eſſe captam, qua rex eius Baltazar inſtituerat conuiuium luxurioſum, & nihil minus expectaret quàm interitum. Refert Herodotus & Xenophon, Orientis reges Darium Priſcum, qui & Medus appellatur, & Cyrum Perſam obſidione urbem cinxiſſe: cæterùm cum eius potiũdæ nulla ſpes affulgeret, Cyrum deriuaſſe foſsis Euphratem, ut exercitui uadabile redderetur flumen: eaque parte, qua flumine muniebatur, apertam fuiſſe urbem militibus, ac captam. Euphrates ergo Babylonem muniebat, eiq; alias multas commoditates ac uoluptates afferebat. Significantur ergo hic per Euphratem, opes, munitio, uoluptates, commoditates & uectigalia, quæ ſacra uocant, Romanæ eccleſiæ. Hæ inquam facultates & uoluptates à regib. orientis, à ueris Chriſtianis, quos Scriptura, Chriſti reges ac ſacerdotes appellat, imminuuntur, & aliò deriuantur. Vnde potentia Romanæ eccleſiæ deficere incipit, ut tandẽ ab ipſo Chriſto Domino capiatur & aboleatur. Chriſtiani certè ueri intelligunt, credunt & profitentur, Chriſtũ ſolum eſſe Saluatorem, neque in alio eſſe ſalutem. & hanc conſtare gratis: inſanos eſſe, & ſimo-

Exiccatio Euphratis, ſexta plaga.

Quomodo exiccetur Euphrates.

simoniacos, qui hic exercent negociationem. Legatur caput Isaiæ 55. & Actorum 8. denique 1 & 2. cap. ad Colossenses Pauli, quibus diligentissimè declaratur, illustratur & inculcatur, per Christum solum nos absolui, & in solo nos habere omnem plenitudinẽ. Id uero ubi uulgus promiscuum audit, quod uidelicet nugis Romanensium, nundinis indulgentiarum, & reliquis impostoris, deceptum, & opibus suis exutum est, claudit & obligat protinus cistas, bursas, cellas uinarias & frumentarias. Ita uerò exaresçit flumen uoluptatis & opulẽtiæ: *vnd wirt inen der goldbach abgeschlagen.* Ita exaresçit etiam, cum uectigalia alia, ut annata, pallia, primos fructus, & reliqua huius generis dare renuunt pij. Sic inquam præparatur uia regum orientis: id est, ita incipit capi & flacceſcere Babylon secunda Roma.

Quomodo Antichristus pro Euphrate conseruando se gerat.

Sequitur porrò, quomodo se Antichristus contra pios & fideles pro exiccatione Euphratis laborantes, pugnaturus sit, pro asserendo & augendo suo regno: & cum paucis dicere potuisset, Emittet legatos ad omnes reges & principes, ad incitandum hos cõtra Euangelicos, pro defensione priuilegiorum, iurium & facultatum sedis Romanæ: maluit diligentissimè describere legatos illos, & indicare ipsorum interitum. Multum refert nouisse legatos. Nam mirum in modum pestilentes sunt ecclesiæ Dei: ac experimur non modò hodie, sed ex omnium historiarum lectione, grandia mala, & omnes propè calamitates ecclesiæ his incentoribus fuisse inductas, & induci etiam hodie. Superius paulò attigi, quanta mala Eugenij legatus Iulianus Cæsarinus cardinalis in Germania, Bohemia, Polonia & Hungaria excitarit. Quid fiat nostra ætate, quid factum sit memoria maiorum nostrorum, nimis longum esset commemorare. Si maiores nostri, ex doctrina Iesu Christi reuelata per Ioannem Ecclesię, legatorum Pontificiorum tenuissent aut intellexissent ingenium, facilè declinare potuissent grandia mala, quibus se imprudentes implicuerunt, & damno affecti sunt maximo. De legatis & legationibus regum & rerumpub. non corruptis, nihil in præsentiarum dico.

Legatorum à latere descriptio.

Origo legatorum.

Principiò diligenter legatorum originem ostendit, ut intelligamus, ipsos agi spiritu sathanico, uocationemq; ipsorum non diuinam esse, sed diabolicam. Triplicẽ ostendit originem, cum reuera omnes ad unitatem reducãtur diabolicam. Vnum (inquit Primasius, hunc locum enarrans) spiritũ uidit, & pro numero partium unius corporis, tres dicit, ut omnis numerus perditorũ uno maligno agi spiritu proderetur. Ergo primum antrum unde erumpũt legati, commemorat os draconis. De dracone dictum est cap. 12. nec est qui nõ intelligat, significari ipsum diabolum. Prodeunt ergo ex diabolo. Omnia enim legationis ipsorum negocia consistunt in mendacijs, artibus, practicis, in corruptela deniq; ueritatis & sinceritatis Euangelicæ: sed & in factionibus, & disidijs, cædibus & sanguine. Diabolus autem ab initio fuit mendax & homicida, sicut ipse Dominus ait Ioan. 8. Et hactenus illi sunt ex ore draconis. Illi ipsi oriuntur etiam ex ore bestiæ. Nam ueniunt instructi authoritate pontificali, legati à latere cum plena potestate. De bestia dixi capite 13. Deniq; ueniunt ex ore pseudoprophetæ. Verus propheta & pastor ecclesiæ uniuersalis, summus & unicus, Christus est, Dei filius. Antichristus, summus ille pseudopropheta & seductor est totius orbis: sicut dictum est cap. 13. Veniunt ergo legati, à Pontifice missi, qui uerba uel instructiones uel mãdata imposuit in ora ipsorum, ut loquantur ea quæ sunt pseudoprophetiæ. Cæterùm ipse sese significantius explicans, declarat quales sint futuri legati: spiritus scilicet tres immundi. Immundus spiritus passim in Euangelio dęmon uel sathan appellatur, ex ingenio nimirum, & effectu. Vt enim Dei spiritus sanctus appellatur, ita hic ex oppositio immundus. Est enim ipse natura, uel propria potius sua corruptione & defectione à Deo impurus, & autor hominib. omnis impuritatis & immũdicię. Significat ergo, legatos illos futuros homines diabolicæ impuritatis. At reuera si ad hæc adhibeas uitam, mores & conuersationem legatorum à latere, & familiæ ipsorum, nihil aliud ferè inuenies, quàm extremam immundiciem, obscœnitatem & spurcitiem, libidinem monstrificam, stupra & adulteria, fornicationes q; detestandas, crapulam prodigiosam, artes & consilia sanguinaria. Proinde res ipsa loquitur: & ea quæ fiunt passim à legatis, sunt commentarius huius loci. Quòd autem tres numerantur immundi spiritus, alij exponunt de theologastris, monachis & canonistis,

Tres immundi spiritus.

ex

ex quibus ferè deliguntur legationes pontificiæ. Ego per ternarium numerum ſimpliciter intelligo, inſtructiſsimos eſſe legatos illos omni facultate aduerſaria, omnesque probè inter ſe conuenire, omnes mutuas cõiungere operas: ut quod uni deeſſe uidetur, ſarciat alter. Solomon in Eccleſiaſta: Funiculus, inquit, triplicatus nõ facile rumpetur.

Iam uerò ne quid lucis quiſquã deſiderare poſsit, parabola adducta, ueluti oculis ſubijcit, quales ſint futuri legati, ranæ nimirum paluſtres, & coaxatores moleſtæ & improbæ & fœdæ. Dicit autem illos non eſſe quidem ranas, ſed ueluti ranas. Nam ſicut ranæ clamore ingrato moleſtiſsimæ, deinde paluſtres & fœdæ ſunt: ita legati illi terrena & fœditatem amant: querelisque ſuis, accuſationibus, inſtigationibus, ſcriptis, diſputationibus planè ranicis & paluſtribus, Deo & hominibus odibiles ſunt. Nihil eos pudet: interturbati nonnihil, mox ueterem occinunt cantilenam, βρεκεκεκὲξ, κοάξ, κοάξ. οὐδέμ γάρ ἐσ' ἄλλ' ἢ κοάξ. Multa de ranis differit Primaſius. Inter alia: Illis pſeudoprophetis ranarum more tanquam animantibus cloacoſis nocte, damnabiliter erroris latratu conuenit perſtrepere. Ranæ enim & loco & uiſu moleſtoq; ſtrepitu ſic odibiles habentur, ſicut diabolus cum ſuis agnoſcitur abominabilis ueritati, meritoque iuſto igne damnandi, &c. Hæc ille. Sicuti uerò ranæ Aegyptiæ excitatę è puluere, magorum arte diabolica, occlamarunt diuinæ ueritati, reuocanti per Moſem & Aaronem Dei populum ad uerã libertatem & Dei cultum: ita legati pontificij obſtrepunt prædicationi Euangelicæ, liberationi gratuitæ, Chriſtianæ libertati, & uero cultui Dei. Et ſicuti ranæ ad faſtidium uſq; ingeminant ſuum illud, κοάξ, κοάξ: ita paluſtria illa animalia Romana, ſubinde in ore habent, Sanctiſsima ſedes, Beatiſsimus pater, Sancta Romana eccleſia, Nõ errat ſancta Romana eccleſia, Sancta Romana eccleſia eſt audienda. Qui hanc audire renuerit, hęreticus eſt & ſchiſmaticus. Hæc identidem & apud omnes, & in cauſsis omnibus & ſingulis ingeminant, atque ita ſuum illud nobis occinunt, κοάξ, κοάξ, κοάξ.

Sunt tanquam ranæ.

Ariſtoph. in Ranis.

Subdit Dominus per Ioannem, & ſic adhuc clarius explicat: Sunt enim ſpiritus dæmoniorum, facientes ſigna, &c. Dæmon nomen habet à uaria ſcientia, rerumque peritia: & uidetur ferè meſum eſſe: quanquam ferè ponatur pro diabolo. Interim ad differentiam dicuntur Eudæmones & cacodæmones. Græci enim dicunt δαίμων, dæmon appellari, quaſi tu dicas, δαήμων, id eſt ſciens. Eſt enim δαήμων peritus & artifex appellatus. Significat itaque Dominus, legatos pontificios futuros ſpiritus dæmoniorum, id eſt, ſpirituales (ſed ſathanæ ſpiritu inſtructos) patres, ſapientes ſcientesúe & uiros artificeſ fallaciarum ad conficiendas res ſuas. Ideoque appendit, Facientes ſigna. Quibus allu dere uidetur ad magos Aegyptiacos, qui & ipſi faciebant ſigna, & regẽ Pharaonem in mendacio detinuerunt contra ueritatem. Sed & Paulus in 2. ad Timoth. 3. cap. Antichriſti miniſtros & ſapientes comparat magis Aegyptiacis. Notiſsimum eſt autem, legatos ubique iactare ſigna, quæ in religione & eccleſia ipſorum facta ſunt, & ita regum & principum corda retinere in erroribus papiſticis. De his ſignis loquitur Paulus 2. Theſſal. 2. & nos quædam de his diximus cap. 13.

Spiritus dæmoniorum.

Oſtenditur præterea finis omnium actionum & conſiliorum legatorũ Papæ: Vt procedant ad reges totius terræ, ad congregandum illos in prælium, &c. Inſinuabunt ſe in aulas omnium regum & principum. Inuenias certè in omnibus propè regum aulis pontificias legationes. Quid uerò agunt? Sepiunt reges & principes, curant ne quis fidelis admittatur ad colloquium regis, ne ulla ignorent conſilia regis, quæ & Romam perſcribant: & ſi diſplicent, infirment & ſubuertant: & ut perpetuò inculcent ſuum illud, κοάξ, κοάξ, obedientiam ſcilicet, quam omnes debent Sedi: denique ut reges & principes arment pro defendenda Romana eccleſia, & excindendas hæreſes. Hoc inquam præliũ eſt diei illius magni Dei omnipotentis: id eſt, quod dirimetur aduentu in iudicium filij Dei, & quod durabit ad aduentum uſq; Chriſti in iudicium, qui deinde uindicabit ſanguinem ſuorum de manu immanis beſtiæ. Vocat autem diem iudicij, diem magni Dei: ſicuti & Apoſtolus ad Titum 2. & diẽ omnipotentis Dei, ut qui omnipotentiam atque adeò diuinum robur tunc exeret, qui iam impijs propter longanimitatem dormire uidetur. Hanc legatorum neceſſariam & utiliſsimam deſcriptionem hic inſeruit, authore Ieſu Chriſto, ſanctus Ioannes, ut uigilemus & caueamus nobis ab illis.

Legati in omnium regum aulis.

Adhortatio ad uigilantiam. Sequitur porrò fidelis admonitio & adhortatio ad uigilantiã, ne cum Antichriſtianis in ſeculi huius curis & uoluptatibus obdormiamus & pereamus. Dicit autem, diem illam Domini uenturam derepentè, & cum minimè expectauiſſemus. Repetit enim hic Dominus, quod in Euangelio quoq; dixit: Ecce uenio ſicut fur. Leguntur hæc Mat. 24. & repetuntur ab Apoſtolo 1. Theſſ. 5. Inopinatus autem ille Domini aduentus excitat mentes omnium noſtrûm, & ad uigiliam prouocat, ne derepentè opprimamur. Vtilitatem quoq; mox ſubiungit paratam uigilantibus: Beatus, inquit, qui uigilat. Præterea addit, quomodo ſe gerere debeant pij uigilantes: Cuſtodire ueſtimẽta, ne uidelicet polluantur: curare item, ne nudi ambulent, ne quis turpitudinem ipſorum uideat. De ueſtimentis dixi aliàs copioſiſsimè in hoc libro. Cuſtodit ueſtimenta, qui uitam, uitæque conuerſationem impollutã ſeruat à mundanis conſpurcationibus. Non nudus ambulat, qui Chriſtum induit. Porrò eius uidetur turpitudo, qui impudenter peccat. In primis uerò illorum cernitur turpitudo, quorum fornicationes, adulteria, ſtupra & libidines infames omnium oculis patent. Atque hic plangendus eſt ſtatus eorum qui appellantur Spirituales, & magis quidem abominãdus quàm deſcribendus. Beati, quib. obtecta ſunt peccata: beati, qui erubeſcere didicerunt. Infelices, quotquot frontem perfricuerunt, & gloriantur in peccatis & ſceleribus ſuis.

Cuſtodire ueſtimenta, ne nudus incedas.

Interitus ranarum. Poſthęc attingit paucis duntaxat interitum cùm legatorum, tum etiam ſeductorum à legatis, pugnantiumq; cum Deo & uera pietate pro conſeruanda Romana maieſtate. Legati quidem congregant factionis ſuæ homines ad prælium contra pios: ſed Dominus congregauit eoſdem in locum qui uocatur Hebraicè ἁρμαγεδών. Id quod alij exponunt excidium riui, alij uerò exercitus uaſtationis. Vtcunq; uerò id habeat, ſenſus facilis eſſe uidetur: illi quidem congregantur à legatis, ut excidium riui, & ruinam Romæ fulciant, aut prohibeant: uerùm congregabit illos ipſos etiam Dominus, ut in eo ipſo loco & opere excindantur à Domino. Id quod ultimo demum iudicio complendum credimus. Chriſto Domino liberatori & uindici noſtro ſit laus & gloria.

Effundit ſeptimus angelus phialam ſuam.

CONCIO LXXI.

ET ſeptimus angelus effudit phialam ſuam in aerem. Et exiuit uox magna de templo cœli à throno, dicens: Factũ eſt. Et facta ſunt fulgura, & uoces, & tonitrua, & terræmotus factus eſt magnus, qualis non fuit ex quo homines fuerũt ſuper terram, talis terræmotus adeò magnus. Et facta eſt ciuitas magna in tres partes. Et ciuitates gentium ceciderunt. Et Babylon magna uenit in memoriam ante Deum, ut daret illi calicem uini indignationis iræ ſuæ. Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti. Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo in homines: & blaſphemauerunt Deum homines propter plagam grãdinis. Quoniam magna facta eſt plaga eius uehementer.

Iudiciũ Dei extremum per ſeptimũ angelũ adumbratum. Septima & ultima phiala effuſa in aerem, ſignificat turbationem mutationemq; omnium elementorũ: ac horrendum, ſed iuſtum Dei iudicium, pariter & finem rerum omnium, pœnasque ſempiternas. Inuoluuntur res figuratis loquutionibus, ferè petitis ex prophetis, & per collationem occultam ex hiſtoria ſacra adductis. Id quod eam ob cauſam fit, ut auguſtiora ſint omnia, & quilibet diligentius perueſtiget ſenſum rei præclaræ, inuentumque fideli retineat memoria.

Tẽpeſtates aeris. Porrò cum commouetur aer, uariæ & horrendæ excitantur tempeſtates in aere. Ac Dominus Ieſus in Euangelio ſecundũ Matthæum teſtatur, ſub aduentum Chriſti ultimum uirtutes cœlorum commouendas eſſe. Simul autem ac effuſa eſt in aerem phiala,

& uehemens commota tempestas, insonuit uox γέγονε, Actum est, es ist gethan, vnd vß. Qua uoce significatur, finem adesse rerum omnium: adeoque mundi uniuersi, nedum sceleratissimi Papismi. Exauditur autem hæc uox ex ipso cœli templo, & throno Dei: ne quid dubitemus de sententiæ latæ ueritate accertitudine, deniq; de pronunciantis uirtute & potentia. Falluntur ergo turpiter, quotquot tradunt mũdum esse perpetuũ, & se semper super terra regnaturos & fruituros uoluptatibus. Vox è cœlis, ex sanctissimo Dei templo, adeoque ex throno omnipotentis sinceriſsimo, profert, Actum esse. Nã de re futura ueluti præterita loquitur, ut sciamus tam certò finienda mundana & Papismi omnia, quàm indubitanter nouimus perfecta esse quæ dudum sunt perfecta. Vigilemus itaque, & ne fidamus rebus mundi fallaciſsimis. Collabuntur, disparent & intereunt omnia, hominibus duntaxat, spiritibus que beatis superstitib. diuina gratia, infelicibus item manentibus perpetuis ad perpetua supplicia deputatis iustitia diuina. *Finis adest.*

Quemadmodum autem prophetę hypotyposibus iudicium Dei oculis hominũ exposuerunt ueluti contemplandum, ita in præsentiarum Dominus Iesus per Ioannem figurata oratione adumbrat terrorem illius iudicij horrendi. Dicit enim futura tonitrua, uoces, fulgura & fulmina, ac terræmotum adeò terrificum, ut similem mundus nõ sit expertus unquam. Nam & S. Petrus in fine posterioris epistolæ, terrifica commemorat de ultima die, & cõflagratione rerum mundanarum. Atque in his omnibus multò terribilior erit mentium humanarum trepidatio & horror. *Iudicij adũbratio.*

Dominus in Euangelio secundũ Matth. Tunc, inquit, plangent omnes tribus terræ. Quod tamen secundum synecdochen exponimus. Impij enim, quorum conscientiæ consceleratæ & corruptæ sunt, horrores & tormenta illa infanda sentient. Pij ut in iudicium, iuxta Saluatoris sententiam, non ueniunt: ita utcunque pro infirmitate carnis terreantur & ipsi ad subitam rerum mutationem, horrendumque omnium elementorum fragorem, quia tamen hoc futurum præcognouerunt, & credunt Saluatori, dicenti, Appropinquat redemptio uestra, recolligũt animos, extollunt se in Christum, & exultant in ueniente ad iudicandum uel condemnandum impios, asserendum uerò pios. Alluditur interim hoc orationis genere ad plures sacrarum literarum historias, præcipuè ad incendium Sodomorum, ad interitum Pharaonis in mari rubro, ad ruinam Iericho, &c. Fuerunt illa quidem singularia excidia, & tamẽ supra modum horrenda: quale ergo putamus futurum excidium uniuersale postremum? *Pij exẽpti horroribus diris.*

Scindetur tunc ciuitas magna, uniuersitas hominum in ecclesia grandi, in tres partes: id est, tria in fine hominum genera in ecclesia inuenientur. Sunt ueri Christiani, Christo ueram suam gloriam, id est omnia salutis uerę tribuentes, & uni adhærentes fide sincera. Sunt Papistæ, qui secundum literam multa Christo tribuunt, sed non ita ut decebat: quinimò ascribunt ea Antichristo, quæ solius Christi sunt: communicandoque illi incommunicabilia, Christum negant. Si enim Papa est caput uniuersale ecclesiæ, si rex & sacerdos, &c. quid prædicatur Christus illa habere solus? Sunt præterea neutrales, qui Christum nõ uolunt uideri negare, & tamen Antichristo non parum tribuunt, quem tamen & ipsum non in paucis contemnunt & conspuunt. Hi nullam habent religionem certam, sed pro arbitrio suo constitutam aut conceptam, prout libet aut placet ipsis hoc uel illud credere. Atque utinam aliquid saltem, ne nihil omnino credant, ita ut credi oportuerat. Maxima hodie istorum turba est, irridentium quæcunque non sunt admodulata leuissimis & petulantissimis ipsorum ingenijs Lucianicis. Inuenias & in Euangelio agrum diuerso semine conspersum, diuersissimos progerminare fructus, imò zizania, quæ demum in fine seculi colliguntur. Matth. 13. *Ciuitas magna diuidetur in tres partes.*

Sed & ciuitates gentiũ dicit tunc casuras, per quas intelligo Iudaicas & Turcicas & peregrinas religiones, in uarias hæreses uel sectas diuulsas. Ac singulę quidem suas habent societates, ritus & leges, quas optimas esse prædicant, & semper duraturas: sed cadent & ipsæ. Sola uincet Christiana religio, uel fides. Aretas ad eundem modum hunc locum enarrans: Ciuitates gentium, inquit, corruentes, sunt uaria circa religionem fidei sententiæ & opiniones, &c. Illæ, inquam, ceciderunt omnes, *ist mitt allen vß.* *Ciuitates gẽtiũ cadunt.*

Venit in memoriam Dei Babylon magna.

Singulariter uerò uti decebat & neceſſarium erat, Romam Romanamq́ue eccleſiam perdendam, & ſupplicijs ſempiternis ſubdendam aſſerit, & diligenter oſtendit. Superius copioſe ſatis demonſtraui, Babylonem eſſe Romam, qnæ reuera magna eſt, non in Italia duntaxat, ſed per uniuerſam Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, & reliqua regna. Viſa eſt multis Roma Romanaq́; eccleſia ſempiterna & triumphatrix, futura perpetuò, *vnd Gott wüſſe nüt von irem, vnd laſſe ſy machen.* Epicurei in hac clamitant, Deum nihil curare hęc inferiora: ſed quemlibet uel feliciter uel infeliciter uiuere, prout uitam ſuã cõmodè & prudenter inſtituerit: ignorare Deum uoluptates & rixas atque conuerſationem noſtram. Contrà uerò Ioannes aſſeuerat, Dominum meminiſſe Babylonis: atque ita meminiſſe, ut ſtatuerit illam ſupplicijs ſubdere. Id quod eloquitur per propheticum ſchema. Vt daret illi calicem uini indignationis iræ ſuę: id eſt, ut puniat ipſam, prout indignatio ingens, iraq́; Dei flagitat. Proinde non uulgariter punietur: quia nõ eſt ira Dei leuis, ſed grauiſsima & ardentiſsima. Rependit enim & compenſat grauitate ſupplicij tarditatem pœnæ. Similia legas Malachiæ 3, ſcriptos haberi apud Deum commẽtarios. De calice quoque uini furoris diuini ſuperius dictum eſt ex prophetis.

Inſulæ omnes fugiunt.

Iam etiam alia figurata oratione oſtendit, nullum impijs patêre effugium. Alioquin ditiores in periculis ſeſe abdunt procul in inſulas, ut ſint extra teli iactum: profugiunt multi in montes, ut tuti lateant. In præſenti ait, ipſas inſulas fugere, atque ideo fugientes has non poſſe aſſequi. Addit montes, id eſt latibula & ſuffugia inueniri nulla. Nihil ergo reſtat, niſi ut comprehenſi ſubdantur pœnis impij in uniuerſum omnes.

Talentaris grãdo.

Præterea ſuperaddit talentarem (*ein zäntnerigen*) grandinem è cœlis præcipitandam in homines impios: & quidem talem, qualem nulla hominum memoria cecidiſſe recordetur. Videtur autem alluſum ad hiſtoriam Chananaicam, quæ extat Ioſuę cap. 10. Breuiter, ſignificatur graue ineluctabileq́ue Dei iudicium contra omnes impios pronunciatum, in generali iudicio afflicturum impios tanta grauitate, ut nulla id poſsit aſſequi hominum eloquentia, nullus intellectus: ſemper enim grauior eſt. Primaſius hunc locum enarrans: Iram ultionis, inquit, in grandine ponit. de qua legimus: Ira Domini ſicut grando deſcendit. Nec immeritò talenti ponderis meminit. Quia æquitate iudicium infliget, &c.

Blaſphemant impij Deum in tormentis.

Oſtenditur item pertinax & incurabilis impiorum obmurmuratio & impatientia, qua efferuntur contra Dei iudicia, blaſphemias eiaculantes contra ipſum iudicem & iudicium. Breuius hæc omnia perſtrinxi, quòd eadem ferè ſuperius circa finem 11 capitis audiuimus. Domino ſit laus & gloria.

Deſcribitur iudicium uel ſupplicium purpuratæ meretricis: ſimul & peccatum, ipſiuſq́; impietas.

CONCIO LXXII.

CAP. XVII.

Tuenit unus de ſeptem angelis, qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens mihi: Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua ſcortati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de uino proſtitutionis eius. Et abſtulit me ſpiritu in deſertum. Et uidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccinam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.

Differuit hactenus in genere de iudicijs diuinis iuſtis: quanquam interim ſingularia quædã de Babylone uel Roma attigit magis q̃ tractauit. nunc uerò cõſequenter & ſingulariter & euidenter, neque minus diligenter tractat interitum uel finem beſtiæ & imaginis eius, ueteris Romę & nouę, imperij inquã & Papatus: quẽ quidẽ ceu digito demon-

demonſtrare uidetur. In 13 cap. & in 14. & in 16, huius nonnihil innuit, nũc ſingula pro ſequitur copia & euidentia illuſtri. Quod autem ab initio huius loci dixi, id repeto hic: aſſeri his, iuſticiam Dei oſtendi finem bonorũ & malorũ, confirmari pios, affirmari futurũ iudiciũ, quod diſertè cõfitemur in ſymbolo Apoſtolico. Sũma horũ omniũ hęc eſt: Interibit ppter peccata, & enormia qdẽ flagitia, uetus & noua Roma, Imperiũ & Papatus, qui eſt Antichriſtianiſmus. Cõiungit enim beſtiã & imaginẽ beſtię, beſtiã & inſidẽtẽ beſtiæ, ſuperbũ ſcortũ, ut dirimere nõ liceat. De utroq; ergo imperio locus eſt exponẽdus.

Vſus huius loci de excidio Romæ.

Ne quis autem exiſtimet affectu prauo me abripi, qui hæc de Roma expono, oſtendam diuino & humano teſtimonio, illam expoſitionem eſſe ueterem, non nouam: & genuinam, non affectatam. Nam ipſe mox angelus, ſicuti audiemus, hæc de Roma exponit. Aretas quoque huius libri interpres: Nonnulli, inquit, interpretes intellexerũt per meretricem antiquam Romam. Et mox idem: Dũ fornicationis matrẽ dicit, quãcũq; uolueris, ſiue ueterem Romam, ſiue nouam, ſeu tempus aduentus Antichriſti (en tempus Antichriſti ait) à uero aberrare nõ poteris, quod utraq; ciuitatũ (Roma & Cõſtantinop.) obtinuerit imperium, & unaquęq; iſtarum ſanctorum martyrũ ſanguine ſatiata ſit, &c. Hęc ille. Quid uerò uetuſtiſsimus ſcriptor Tertull. & S. Hieronymus non uno loco ſcripſerũt reliquerint de Babylone & purpurata meretrice, commemoraui ſuperius in cap. 14.

Ioannem loqui de Roma.

Hoc autem ordine progreditur. Principiò oſtendit authorẽ reuelationis huius, deinde ſummã reuelationis uel uiſionis colligit. Iterũ enim per uiſiones agit, ut omnia ſint uiuidiora, euidentioraque. Et quidem alij hanc à 17. cap. uſque ad 21. cap. faciunt uiſionẽ ſextam. Id quod in Operis huius principiò monui. Hinc notat locũ & modum uiſionis. Poſtremò proponit ipſam uiſionẽ, mox expoſitionem eius ſubiũgit. Vtitur in hac propoſitione, ueluti iuridica aut iuridiciali actione uel proceſſu, & quidem modo planè prophetico. Nam prophetæ frequentiſsimè & ab initio peccata uel flagitia populi omnium oculis exponunt: deinde uerò iudicium uel pœnam aut ſupplicium ſubiungunt. Sic enim in præſenti facit & Ioannes.

Ordo huius capitis.

1. Author reuelationis huius horribilis, eſt ipſe Chriſtus Dominus: ſed utitur miniſterio angeli, & unius quidem, qui egreſſus è templo diuinę maieſtatis, plagis & phialis effundendis unà cum alijs ſex præfuit. Hic myſtagogus eſt. Ac decebat iudicium Babylonis proferri ab angelo prępoſito ſupplicijs. Supplicium de beſtia ipſe ſumet Dominus Ieſus, cui hic reſeruatus eſt triumphus. Intelligimus autem, hæc quæ hic proponuntur & tractantur, profecta eſſe ab ipſo ſummo ſacerdote Chriſto: & formas loquendi eſſe angelicas, cœleſtes, adeoq; diuinas. Quis ergo in nobis damnauerit, ſi uerbis angelorũ & Chriſti utentes, dixerimus, Romanũ pontificem, & totũ Papatum eſſe purpuratã & grãdem famigeratiſsimãq; illam meretricẽ? Videtur multis etiã in ſpeciem pijs negligi moderatio, cũ à concionatoribus hæc repetuntur, quæ diſertè nobis proponuntur uerbis angelorum & Chriſti. Hi uidentur ipſi Chriſto uelle os concludere, obſtruereq;. Verùm fruſtra id conãtur. Nã ſi cõcionatores tacuerint, lapides clamabũt: Oportet enim ut Chriſti gloriã, ita Antichriſti ignominiã toti innoteſcere orbi. Ac peccãt grauiſsimè, qui in concionib. cõtra Antichriſtũ habitis, neſcio quã requirũt modeſtiã. Quaſi uerò ei ſit parcẽdũ, qui nemini bono parcit. Quaſi ea doctrina ſit immodeſta, quæ accipitur aut petitur ex ore & uerbis Chriſti. Poſtea in cap. 18. audiemus mandare Dominũ: Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit nobis, &c.

Quis hanc uiſionẽ exhibeat.

Libera ora in Romam.

2. Summã omniũ breuibus cõprehẽdit, & oſtẽdit quò referamus omnia. Veni, inquit angelus ad Ioãnẽ, oſtẽdã tibi κρίμα iudiciũ, cõdẽnationẽ & ſuppliciũ meretricis magnæ. (*das gricht vnd das vrteyl vber die groſſe hůren*) & cum dicit, Meretricis magnæ, ſimul innuit quę ſit culpa uel cauſa ſupplicij, fornicatio, perfidia uel impietas. Huc itaq; pertinet hęc uiſio, ut intelligamus, quomodo puniẽda uel excindẽda ſit Roma, uel imperiũ Romanũ & Papatus uel Antichriſtianiſmus: & quare, uel quomodo perdi meruerit. Meretrix eſt, & magna quidẽ meretrix. Quis autẽ neſciat, nuptias eſſe inter Deũ & omnes ſingulos q; fideles cõtractas? Deũ eſſe maritũ, eccleſiã ſpõſam? Hęc ergo marito obſtringitur & cõnectitur ſoli in ueritate ac fide. Hãc ſi uiolauerit, & alienos amauerit, audierit, inuocauerit, coluerit, meretrix eſt. Qua de re & in hoc libro, & aliàs ſæpe diſſeruimus.

Summa uiſionis huius.

Meretrix Roma.

Vul-

Vulgatiſsimum uerò eſt in Scripturis, defectionem, perfidiam & impietatẽ, idololatriam & ſuperſtitionem cognominare fornicationem. Teſtimonia ſi quis requirat, inueniet Iudicum 8. Iſaiæ 1. Ieremiæ 2 & 3. Ezech. 16. Oſe. 1. 2. & 3. & aliàs. Roma ergo grande fuit ſcortum, & eſt etiam hodie putidiſsima meretrix: quia referta eſt idololatria, cultu creaturarum, & abominabilib. cultibus. Neque uerò ipſa duntaxat eſt conſpurcata omnibus fœditatibus, ſed cogit inſuper orbem terrarum ſeruire, & ſeruire quidem in idololatria & ſuperſtitionibus. Quid quod mira Dei prouidentia factum eſt, ut mulier ſexum mentita, in ſedem Romanã conſcenderit, creata põtifex, & dicta Ioannes 8, quæ Gilberta erat, Moguntiæ nata, & meretrix magna. Ita enim Deus demonſtrare uoluit, Roman. pontif. ſedere meretricem in beſtia. Sequor hic omnium hiſtoricorum conſenſum conſtantem. Non ignoro interim, eſſe qui exiſtimarint, Ioannem hunc in ſedem à ſcorto eſſe intruſum, & ea de cauſa ſcortum appellatum.

Sedet ſuper aquas multas.

Porrò facultatem habuit hæc faciendi Roma uetus, quia ſedit ſuper aquas multas: id eſt, dominium & regnum obtinuit ſuper multos populos & gentes uarias. Sed & reges terrę ſcortati ſunt cum ipſa, dum ipſis ſeſe Romanis ſubdiderũt, fœdere aſtrinxerũt, & ſuperſtitiones ac idololatriam ab ipſa receperunt. Nam & filij Izrael dicuntur ſcortati cum Aegyptijs, quod amicitiam cõiunxiſſent cum ipſis, & ſocij eſſent in prophanis religionibus. Ita uerò noua pontificis Roma regnum longè lateq́ obtinet, & ſcortantur cum ipſa reges & principes terræ. Scortationem ergo fœdam appellat uerbum Domini, quam Romaniſtæ ſanctam nuncupant ligã, ac obedientiam. Additur: Et inebriati ſunt qui inhabitant terram, &c. Significat enim, erroribus imbutos, imò dementatos, atque adeò in furorem conuerſos, inſtar ebriorum inſaniſſe in idololatria, & furere adhuc in ſuperſtitionibus, nec Euangelij prædicationem admittere uelle. De uino hoc fornicationis uel proſtitutionis, & ebrietate illa, diximus in cap. 14. Significanter autẽ dicitur, Inhabitantes terram inebriari: non tam quòd homines ſuper terram habitantes temulenti fiant, quàm quòd homines terreni, cupiditatibus q́ terrenis ſuffocati, fideles futuri ſint cultores ſedis Romanæ.

Scortantur cũ ea principes.

Viſionis modus.

3. Modum uiſionis ſic exponit: Raptus ſum ſpiritu. Proinde corpore manens in Patmo, ſpiritu uidit mulierem beſtiæ inſidentem, & pereuntem igni. Tales ſunt multæ in prophetis uiſiones & raptus. Sed & locum denotat, in quo uiderit beſtiam, non in cœlo, neque in templo, aut tabernaculo, aut in loco fructifero, ſed in deſerto. Deſertum appellat Iſaias, gentes & gentiliſmum. Et quidem Romani ueteres & noui nullũ habuerunt cum ſuis ſuperſtitionib. locum in eccleſia, ſed ſunt extra eccleſiam: tantum abeſt ut agnoſcamus Romanam eccleſiam caput eſſe omnium eccleſiarum fidelium. Ac hodie multi ex illis qui appellãtur ſanctiſsimi & reuerendiſsimi, à gentilibus nihil, ſi tollas titulos & hypocriſim, differunt. De qua re dictum eſt Apoc. cap. 11.

Beſtia in deſerto.

4. Tandem exhibet ſpectrum uel typum ueteris & nouæ Romæ, ac interitum excidium q́ utriuſque, ſimul diligentiſsimè deſcribit ſcelera utriuſque. Principiò quidẽ conſideranda eſt Beſtia, deinde mulier beſtiæ inſidens. Illa typum refert Romæ ueteris: hæc nouæ & papatus. Sedet autem mulier ſuper beſtiam. Succeſsit enim imago beſtiæ, & collocauit ſedem in antiquam Romam. Nam & Daniel aſſerit, Antichriſtum ſedem & palatium ſuum ponere inter duo maria, utiq; Hadriaticum & Tyrrhenum. Beſtia uerò coccina eſt. Rubet & fulget colore, qualis eſt carmeſini. Nam truculentiſsima fuit Roma ſanguinaria, ac tota cùm omnium gẽtium, tum Chriſtianorum maximè ſanguine madens. Quantum ſanguinis fuderint Marij, Syllæ, Pompeij, Iulij, &c. cõmemorauit poſt hiſtorias Plinius. ferro & flamma uaſtauit Roma orbem terrę. Decantatiſsimę ſunt decem Chriſtianorum perſequutiones ante Conſtantini imperium.

Beſtia coccina.

Plenam fuiſſe nominibus blaſphemiæ, dixi cap. 13. Redundauit Roma ſacellis & idolis. Quotidie blaſphemauit Deum, Chriſtum, Euangelium, & lacerauit eccleſiam. De capitibus 7, & cornibus decem, dictum eſt item cap. 13. & ſequentur cap. hoc quædam ſatis perſpicua. Hæc hactenus de ueteri beſtia: ſequitur de muliere inſidente ſuper beſtia.

Tracta-

Tractatur idem adhuc argumentum, ac exponitur uisio.

CONCIO LXXIII.

ET mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide precioso & margaritis: habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus & immunditia libidinis suæ. Et in fronte eius scriptum mysterium, Babylon magna, mater scortationum & abominationum terræ. Et uidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Et miratus sum, cum uiderem illã, admiratione magna. Et dixit mihi angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi mysteriũ mulieris & bestiæ quæ portat eã, quæ habet capita septẽ, & cornua decem. Bestia quam uidisti, fuit, & nõ est: & ascensura est de abysso, & in interitum abit. Et mirabuntur inhabitantes terram, quorũ nomina scripta non sunt in libro uitæ à condito mundo, uidentes bestiã quæ erat, & non est. Et hic est mens, quæ habet sapientiam.

Eleganter & graphicè iam describit, & oculis omnium subijcit contemplandam mulierem illam, superius appellatam magnam meretricem. Sub finem capitis ipse se exponit, & ait: Et mulier quam uidisti, est ciuitas magna: magna nimirum, utpote quæ habet regnum super reges terræ. Intelligit ergo ipsam urbem Romam, adeoq; Papisticã & Romanam ecclesiam, & quidem Papam cum omnib. suis creaturis & consecratis, qui constituunt magnam & potentem ciuitatem, dominãtem omnib. regibus & principib. terræ. Quis enim nesciat, Romam & prælatos ecclesiasticos, ipsis etiam dominari magistratibus & principibus? Considera quid fiat in regum & principum aulis, & quorum magisterio consilijs q; potissimum regantur principes terræ. Mulierem uerò appellans Papismum, alludit ad 5 & 7 cap. Prouerb. Solomonis, qui & ipse deceptricem & fallacem philosophiam, & mundanam sapientiam assimilat mulieri eleganti, uarijsque dolis & artibus instructæ. *Mulier est ciuitas magna, domina regum.*

Iam etiam pulchrè & euidenter cultum & uestitum uel habitum planè meretricium huius mulieris depingit. Nullis instructa est internis bonis, quibus se mundo & amatoribus suis commendat: itaque excellit externo ornatu, cum intus tota scateat abominationibus: similis per omnia pharisæis ac hypocritis, quos ait Dominus foris similes esse marmoreis tumbis nitentibus, intus uerò repletos omni spurcitia & fœditate, adeoque & fœtentibus. Significatur autem in primis ecclesiam Romanam & Antichristianismũ uniuersum se commendare ornatu planè mũdano, auro uidelicet, argẽto, gemmis & rebus quibusque preciosis. Inueniuntur hæc in ueteri populo, existente sub pædagogia: inueniuntur apud gentes, quæ non putant Deum ritè coli nisi rebus mundi preciosis. Verùm abrogatum scimus Leuiticum sacerdotium, unà cum omni ornatu externo, & nunc ecclesiam se ornare uirtutibus, odisse & calcare externum cultum. Lactantius multis confutat externum ornatum in religione uel cultu numinis, Instit. libro de Vero cultu, &c. Sed & omnes ueteres indicant, Deum à Christianis non coli auro & argento: sed fide, beneficentia & iusticia. Quid quod Daniel in 11. cap. ostendit, Antichristum Deum auro, argento & rebus preciosis culturum? Id quod damnat atque reijcit. *Ornatus mulieris.*

Quid quod apparet, ipsum Dominum Iesum ueluti in tabella depictum nobis proposuisse Antichristum uel Papam? Nam talis omnino apparet, & in huiusmodi ornatu se uisendũ exhibet omnib. hominib. quali in præsenti instruitur scortũ Babylonicũ. Ac iure quodã hunc sibi cultũ uẽdicat. Nam proferũt Papistæ ementitã Cõstantini Donationem, inter alia sic pronunciantem, Distinct. 96. Beato Syluestro & omnibus eius successoribus *Depictus Papa exhibetur mundo.*

ceſſoribus tradimus palatium Imperij noſtri Lateranenſe:deinde diadema,uidelicet coronam capitis noſtri (quam Papa regnũ uocat,& triplicauit) uerùm etiam chlamydem purpuream,atque tunicam coccineam,& omnia imperialia indumenta. Et reliqua. Nõ poſſum hic omittere,quin huc aſcribam paucula ex Platinæ,ſecretarij pontificij,Vitis Pontificum.Clementis enim 5 uitam deſcribens:Coronationi pontificis,inquit,interfuere Philippus rex Franciæ,& frater eius Carolus, Ioannes Britanniæ dux, qui ruina muri oppreſſus,moritur (uide diuinum & iuſtum Dei iudicium) cum multis alijs, dũ pompa coronationis,ut fit,per urbem ducitur. Philippus quoq; rex, ex ea ruina aliqua ex parte debilitatus eſt:Pontifex ex equo deturbatus,carbunculum ex tiara amiſit precio aureorum ſex milium.Hæc ille.

Poculum propinat.

Porrò meretrix hæc Circeum propinat omnibus gentibus poculum,quod Dominus aureum uocat.Significatur autem doctrina.Nam potare docere eſt,Ezech.34.Aurũ ſinceritatem & puritatem doctrinæ ſignificat. Certè prætextu ſinceritatis & ueritatis diuinæ, facile perſuaſit Roma gentibus,recipere doctrinam ſedis Romanæ. Nam & ſe apoſtolicum nuncupauit pontifex,& eccleſiam Romanam apoſtolicam.ac in Canonibus reliquit ſcriptum:Sic omnes ſanctiones ſedis Apoſtolicæ accipiendę ſunt,tãquam ipſius diuina uoce Petri firmatæ.Diſtinct.19.Legatur Diſtinct.20,21.22.Exiſtimarunt ita que ſimpliciores per orbem terrarum,ſe recipere ipſum Dei uerbum & conſtitutiones, cum ſtatuta atque doctrinam receperunt Romanæ eccleſiæ.Verùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus hic nobis explicat,qualis fuerit,ac ſit uel hodie reuera,illorum doctrina,& ait:Plenum abominationibus & immundicia libidinis ſuæ. Abominationem uerò appellat Scriptura idololatriam,Deut.7.cap.falſum item Dei cultum,ſuperſtitionẽ,& quę huius generis alia ſunt. Immundicia fornicationis in prophetis nihil aliud eſt, quàm peruerſa doctrina & peruerſa religio,non uni Deo per filium omnia bona tribuens, ſed cor potius diuidens, & creaturis & damnatis cultibus applicans. Huiuſmodi uerò eſt Romanæ ſedis doctrina & religio.Grande ergo hic eius peccatum cõmemoratur,quod doctrina praua & uenenata omnes gentes ſeduxerit & infecerit,adeoque & in ſuperſtitione & in idololatria retineat etiam nunc. Similis locus eſt apud Ezechielem in cap. 16.Ac puto Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in præſenti uſum eſſe uerbis admodũ fœdis,ut authoritatem uel laruam detraheret Romanis canonibus,ſpurcitiaque eorum appareret omnibus,& agnoſceretur cauereturque.

Nomen ſcriptũ in fronte,quod aperiat myſterium uel intellectum.

Quinimò ne quis ignoraret,quæ nam eſſet illa mulier, quæ hic ſpectanda exhibetur,& ut omnes Circem illam triueneficam fugere poſſet, inſcribit ei nomen propriũ in ipſam frontem, quo legatur ab omnibus, ipſaque nullo modo latêre poſsit. Myſterium enim uocat intellectum & ſignificationem arcani (*den verſtand der geheymnuß*) per tropum enim appellatur Roma Babylon. De qua re diximus ſuperius.Et ſecũdum etymon Babel confuſionem ſonat. At maximam in eccleſiam induxit confuſionem Roma.Sicut enim primitiua eccleſia Romana Euangelium propagauit per occidentem: ita extincta ſimplicitate & puritate prima,inducta eſt à poſterioribus Romanis pontificibus,ambitionem & auaritiam magis quàm humilitatem & beneficentiam atque pietatem ſpectantibus,omnis in orbem terrarum idololatria & ſuperſtitio. Profectò à Domino noſtro diſertè appellatur mater ſcortationum & abominationum terræ.Nam Romanæ eccleſiæ acceptum ferimus, quicquid in eccleſia eſt prauæ doctrinæ & impietatis. Origo eſt idolorum, Miſſæ, & aliarum abominationum.Proinde digniſsima eſt, quæ puniatur grauiſsimis ſupplicijs. Et hic quidem Romanæ eccleſię digniſsimus eſt titulus.Appellant alij eam Apoſtolicam,diuinam,primam,omniũ ſanctiſsimam: Chriſtus Dominus uocat eam Babylonem,& quidem magnam,meretricem famoſiſsimam, adeoque matrem abominationum & fornicationum orbis terrarum,pugnantem contra Deum & unctum eius. Fugiant itaque hanc omnes ſancti & obedientes filij Dei patris.Non commemorabo hic,quòd eadem quoque eſt mater fornicationum & abominationum omniũ, etiam iuxta carnẽ. Nam dum Romana ſedes legitimas & conceſſas à Deo nuptias prohibuit perſonis eccleſiaſticis,fores aperuit fornicationib.adulterijs, ſtupris & abominandis libidinibus. Verbis nihil opus eſt.Res ipſa loquitur.

Adiun-

Adiungit iſtis ſcelus longè grauiſsimum: temulentiam, tyrannidem & parricidia. Atque hic quoque amplificatione utitur. Dicit enim, Circem illam triueneficam, non aſperſam aut imbutam aut madidam, ſed ebriam eſſe ſanctorum ſanguine, ſanctorum inquam martyrum, qui teſtimonium Ieſu Chriſto reddiderunt, prædicando Euangelium, & uni Chriſto omnia ſalutis ſolidè uendicando. Quot autem millia, imò myriades martyrum impulſu & opera Rom. pont. & Romanæ eccleſiæ extremis & horrendis affecti ſint ſupplicijs, ab annis circiter ſexcẽtis aut quingentis, ex hiſtorijs conſtat. Quid actum ſit, & quanta copia humani ſanguinis effuſa ſit ab annis ſaltem triginta, id quod noſtra aſſequitur memoria, horret commemorare animus. Grande eſt & hoc ſcelus, propter quod meritò Babylon iuſtis grauiſsimisque afficitur à Deo ſupplicijs. Et ſignificanter hic mentio fit martyrum, id eſt teſtium Ieſu. Nam qui confitentur doctrinam Chriſti Euangelicam, ueram & abſolutam eſſe doctrinam, Chriſtum eſſe unicum caput eccleſiæ, unicum pontificem & paſtorem, interceſſorem & ſacrificium: & non etiam adiunxerint, interea & doctrinam Romanæ eccleſiæ perfectiſsimam eſſe, pari ueneratione cum Euangelica colendam, Pontificem eſſe caput militantis eccleſiæ, & uerum in terris Chriſti uicarium & paſtorem uniuerſalem, ſanctos quoque cœlites intercedere pro nobis, & Miſſam eſſe ſacrificium uerum & reale pro peccatis uiuorum & mortuorum: condemnantur pro hæreticis & ſchiſmaticis, ferro & igni è terra extirpandis. *Ebria ſanguine ſanctorum.*

Et hactenus pertingit uiſionis per horribiles ſpecies oculis ſubiectæ inuolucrum, quo & Romanum imperium uetus, & Papatus maximè Romanus graphicè adumbratus eſt, cum enormibus ſuis peccatis & facinoribus. Sequetur porrò expoſitio uiſionis, cui tandem innectetur pœna ſumenda de Antichriſto & tota ciuitate Antichriſtiana. Quod ſi hæc omnia quæ de muliere dicta ſunt, etiam ueteri Romę accõmodaueris, non refragabor. Fuit enim & Romæ religio in auro & rebus precioſis poſita. Fuit illi poculum falſæ ſapientię, quo potauit gentes, & infecit. Fuit itaque mater abominationum & fornicationum, utpote à qua prouinciales didicerunt ſuperſtitiones, &c. Peculiariter tamen competunt hæc Papatui. Quanquam & uetus Roma ebria fuerit ſanctorum ſanguine, &c.

Miratur ualde Ioannes, uiſa illa muliere. Nam mirabatur ad deliquium uſque animi propemodum & Daniel, uiſa beſtia illa Romana, ut uidere eſt Danielis 7. cap. Miratur etiam hodie pij quoque omnes propè, cum uident tanta à Deo concedi, permittiue contra ſinceritatem puram Romanæ eccleſiæ. Nam Prętati illi eccleſiaſtici felices ſunt, uictorioſi, potentes, & in gratia omnium principum: & quod ferè cogitant & uolunt, perficiunt. Beatus, qui non fuerit in his ſcandalizatus. Legatur Pſal. 73: Quàm bonus Izrael Deus, his qui recto ſunt corde, &c. *Miratur Ioan. uiſa beſtia.*

Angelus, utpote myſtagogus, reddit Ioanni & toti eccleſiæ myſterium: id eſt, aperit arcanum & intellectum uiſionis genuinum per partes diligentiſsimè. Et loquitur quidem de toto corpore beſtiæ, quanquam peculiaria habeat beſtia, & peculiaria meretrix: ipſe tamen angelus, Dicam tibi, inquit, myſterium mulieris & beſtiæ, quæ portat eam. Cæterùm ænigmaticum eſt & ipſum, quod mox ab initio in explicatione dicit: Beſtia quam uidiſti, fuit, & non eſt. Erat utique Romanum imperium adhuc dominante Domitiano: ſed non erat tale amplius, quale fuerat antea. Nã à Iulio primo monarcha, fuit ueluti hæreditarium in proſapia Cæſarum, uſque ad Neronem. Nam in hoc accepit uulnus lethale beſtia: ſed curatum eſt, & regnatum à diuerſis, non unius alicuius familiæ imperatoribus. Fuerat ergo antea imperium in poteſtate unius familiæ, à Nerone autem non erat ſic. Rurſus à Nerone obtinuerunt Imperium Romani. à Nerua, qui ſeptimus eſt poſt Neronem, deuolutum eſt imperium ad Traianum, ſub quo Imperium erat ualidum. Erat ergo, & non erat. De quo dicet ipſe Ioannes paulo pòſt. Præterea hiſtoriæ teſtantur, deletum eſſe Romanum imperium, ac in locum eius emerſiſſe aliud, quod & ipſum appellatur Romanũ imperiũ: de quo ueriſsimè dixeris, Fuit, & nõ eſt. Ná fuit uetus illud imperiũ, ampliſsimũ in orbe imperiũ: nũc autẽ nouũ hoc à Papa cõditũ, nõ eſt tale, ſed imago potius (ut 13 cap. dixi) beſtię, umbra & *Expoſitio uiſionis.*

ſomnium. Nihil itaque dubitamus, iſta uiſione typum eſſe exhibitum & ueteris & no ui imperij, in primis uerò Papiſmi.

Origo beſtiæ. Et in præſenti quidem non aliam oſtendit originẽ beſtiæ, quàm infernalem & diabolicam. Nam ait, aſcenſuram ex abyſſo. De qua ſuperius dictũ eſt. Omnia quidem imperia, ſicut & Daniel teſtatur cap. ſecundo, ſunt ex Deo. Cæterùm ſi corrumpantur gubernatores, initium uel origo refertur ad diabolum, non imperij quidem, ſed corruptelæ. Adijcitur item, quem finem ſortiatur tandem imperium illud infelix: Et in interitum abit. Etenim excinditur radicitùs è terris, & mancipatur in alio ſeculo pœnis ſempiternis.

Qui admiratores beſtiæ. Porrò ut in cap. 13. oſtendit, qui nam ſint admiraturi, id eſt adoraturi & culturi beſtiam: ita hic idem repetit, non electi quidem filij Dei, ſed terreni homines, & reprobi, quorum nomina non ſunt inſcripta libro uitæ. De quo ſuperius diximus. Epiphonema appendit: Et hic (aduerbialiter) eſt mens, quæ habet ſapientiã. Excitat Dominus omnes auditores ad diligentem horum conſiderationem, ne decepti pereamus. Stulti ſunt qui mirantur beſtiæ felicitatem, uictorias, pompam, maieſtatem, opes & uoluptates, ac ei ſe ſubijciunt. Verè ſapientes ſunt, qui intelligunt imperium ſublatum eſſe è medio, & iam latitare ſub umbra imperij Antichriſtũ, filium perditionis, & hominem peccati, fugiendum omnibus pijs. Hi enim conuertuntur ad Chriſtum, in quo ſciunt ſe habere omnia uitæ & ſalutis, & in ipſo uiuere. Huic ſit laus & gloria.

Clarius adhuc exponitur uiſio diuina.

CONCIO LXXIIII.

SEptem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet. Et reges ſeptem ſunt, quinq; ceciderunt: & unus eſt, alius nondum uenit. Et cum uenerit, oportet illum breui manere. Et beſtia quę erat, & non eſt, & ipſe octauus eſt: & de ſeptem eſt, & in interitum uadit. Et decem cornua quæ uidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt: ſed poteſtatem, tanquam reges, una hora accipiunt cum beſtia. Hi* unum conſilium habent: & potentiam & imperium ſuum beſtiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, & agnus uincet illos: quoniam Dominus dominorum eſt, & rex regum: & qui cum illo, ſunt uocati, electi, & fideles.

* *unam ſententiam.*

Pergit myſtagogus angelus Ioanni, imò toti orbi terrarum exponere myſteriũ exhibitæ beſtiæ, & iudicij eius, idq; per partes. Ac in præſenti exponit tria: quid ſignificetur ſeptem capitibus: cur dixerit de beſtia, Fuit, & non eſt: & quid ſignificent decem cornua.

Capita ſeptem ſunt 7 montes. Capita ſeptem dupliciter exponit, principiò per ſeptem montes, ſuper quos ſedet mulier, quam in fine capitis magnam urbem appellat: nimirum Romam magnam, quam omnes cognominãt ſepticollem, ſeptem uidelicet impoſitam collibus. De quo dixi cap. 13. Deinde ſeptem capita habet beſtia, quòd non ſemel habuerit ſeptem reges. De quo etiam dixi cap. 13. In præſenti ita annumerat reges ſeptem, ut non ſit dubium, Romã eſſe, de qua loquitur. Quod præcipuum in his Domini cõſilium eſſe exiſtimo. Nam ſignificantius loqui non poſſet, niſi & Romæ nomen expreſsiſſet: ſed Babylonis expreſſum ſuprà audiuimus. Quinq;, inquit, ceciderunt, nimirum ab inflicta plaga in morte Neronis, per annos circiter quatuordecim. Mox enim poſt Neronem imperare cœpit Galba: quo confoſſo, regnauit Otto: qui cum ipſe ſibi intuliſſet manum, ſucceſsit Vitellius, qui & ipſe trucidatus eſt à Flauianis. Nam poſt eum imperauit Fl. Veſpaſianus: poſt ipſum Titus, princeps omnium optimus. Atque hi quinque intra quatuordecim annos ceciderunt. Addit: Et unus ex ſeptẽ illis eſt, id eſt imperitat modò, ſextus uidelicet ordine, Domitianus, Veſpaſiani filius, & Titi frater, homo ſceleratiſsimus,

leratiſsimus,qui fideles perſequebatur, & Ioannem exilio condemnauerat. Alius, inquit Ioannes,nondum uenit:nimirum Cocceius Nerua. Nam poſtquam uenit in imperium, & ſanctiſsimè uiueret, & Imperium iuſtiſsimè diſponeret, non diu manſit. Nam cum regnaſſet annum unum,menſes tres,& dies nouem, mortuus eſt. Atq; hæc hactenus de ſeptem regibus,& ſeptenis beſtiæ capitibus.Pertinent hæc uſqueadeò certa,non tam ad perſpicuam expoſitionem loci huius,quàm etiam ad conſolationẽ piorum:qui hic liquidò intelligunt,imperia conſiſtere in manu & prouidentia Dei opt. maximi,qui nouit ſuos, & cui curæ ſunt ſancti, licet uideantur propter graues perſequutiones & atrocia tormenta negligi à Deo.

Conſequenter exponit,cur dixerit de beſtia, Fuit, & non eſt: nimirum propter octauum regem Romanorum Vlpium Traianũ.Nam hic octauus eſt à ſaucio in Nerone imperio:fuit Traianus de ſeptem.Nam à ſeptimo,id eſt à Nerua fuit adoptatus. Hactenus autem Romanũ imperium adminiſtratũ fuit,primùm quidem à Cæſaribus,deinde à primæ nobilitatis ciuib.Romanis.De Traiano autem,qui ſucceſsit Neruę,ſcribũt hiſtoriæ,primũ hunc ex peregrinis imperitaſſe.erat enim Hiſpanus. Erat ergo uel fuit imperiũ in manib.Romanorũ,iam amplius non eſt. Succedit enim Hiſpanus, ut imperium modò uideatur Romanohiſpanum appellari poſſe. Et quoniã Traianus Chriſtum & membra eius perſequutus eſt,ipſe quoque ad interitum abiuit. Nemo autem putet,hanc unam & ſolam eſſe cauſam,cur dixerit Ioannes,propter Traianum eſſe dictum:Erat,& non eſt. Significanter enim pronunciauit, Et ipſe octauus eſt: quaſi innuat,etiam alias eſſe cauſas, ob quas dictum eſt fuiſſe Romanum imperium, & nunc non eſſe.De quibus antea dictum eſt. *Beſtia fuit, & non eſt.*

Sequitur porrò & decem cornuum expoſitio. Ac eadem hic commemorantur cornua,quæ & Danielis 7, & Apocalyp. 13 numerata ſunt. Neque eſt quod ſuperſtitiosè immoreris aut inhæreas denario numero.Nam Numeri 14 ait Dominus,decies ſe iam tentatum eſſe ab Izraelitis: pro eo quod eſt,multoties. Significatur itaque Romanum imperium in plurima dilapſurum regna. Nam ſiue reges dicas,ſiue regna, in idem recidit res.Inclinante certè imperio ad ruinam,exorti ſunt reges in oriente & occidente, qui Romanum inuaſerunt imperium,Perſæ,Gotthi, Vuandali, Langobarti, & neſcio qui alij: tandem in Hiſpanijs, in Gallijs, in Pannonijs, taceo in Aphrica & Aſia, plures reperti ſunt reges, deſijtque monarchia Romana. De his regibus uaria monet angelus.Hi regnum,inquit, nondum acceperunt. Dum enim Apocalypſim ſcriberet Ioannes,dominabatur Domitianus, & ualida erat adhuc Romanorum monarchia, & perſtabat adhuc ſeculis aliquot. Quando ergo receperunt regnum? Poteſtatem, inquit, tanquam reges una hora accipiunt cum beſtia, nimirum ſecunda. Nam de primo & antiquo imperio Romano hæc non poſſunt exponi. Ac Horam in præſenti pro tempore uſurpari, admonuit Primaſius, hunc locum explanans. Eodem ergo tempore adoleſcit & ſuccreſcit beſtia,nouum illud imperium,& uires uel potentiam accipiunt reges. Nam interitus ueteris imperij, fuit robur regum, & noui imperij Papiſtici. Et Phocas quidem imperator iuſsit Romanam eccleſiam, & eius Pontificem caput eſſe eccleſiarum.Id quod qualecunque initium dedit dominationi Pontificis,ſicuti & cap. 13.commemorauiquam plenius tandem conſequutus eſt ſub Pipino rege,& alijs principibus Francis & Germanis, &c. De imperio autem Phocæ loquens Nauclerus,Generat.21. Imperij Romani hoſtes,inquit,imperatorum deſidia & ignauia potentiores facti,in occidentis orbe cum inſulis Germanias,Gallias,Hiſpaniasque,& bonam Italiæ partem,Pannoniasque & Myſiam abſtulerant, & magnam partem Aphricæ:in oriente uerò Iberos,Armenos,Arabes,Dardanos,& mediterranea Macedoniæ & Græciæ,Cacannus Thrax, Hunnorum rex,peruagabatur. Aſſyriam uerò totam ferè Perſæ occuparunt. Aegyptum Sarraceni uaſtarunt. Proh dedecus, noſtræ uires adeò defecerant per luxum & auaritiam,libidinemque,ut Imperium Romanum tunc ſolo tantum nomine cõſtaret. Hæc ille. Eadem copioſius proſequuti ſumus cap. huius Operis 13. Et quidem Daniel oſtendit,ſuboriri inter decem illa cornua corniculum aliud paruum,quod decutiat tria,ipſum ſubeat in locum,& petulanter,truculen- *Decẽ cornua, ſunt decem reges.* *Reges accipiunt poteſtatẽ cum beſtia.* *2.Theſ.2.*

ter & impiè regnet. Proinde Papatus, & uaria illa regna, circa eadem propè tempora creuerunt.

Reges unâ sententiam habẽt.

Dicit præterea, qualia futura sint illa regna, & quomodo se gerant erga bestiam illam posteriorem, nimirum erga Romanam ecclesiam: Hi, inquit, μίαν γνώμλν, unam habent sententiam: idem omnes sentiunt, eiusdemque sunt religionis. De occidentalibus maximè loquitur. Nam hi omnes Romani præsulis placita recipiunt & adorant, obedientissimi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ filij. Illi ipsi δύναμιν potentiam suam, καὶ ἐξουσίαν potestatem, *gwallt*, uel regnum suum bestiæ tradent. Nam subijciunt se sedi. Si exercitu aut armis opus sit Romanæ ecclesiæ, potentiam suã ei concedunt libenter reges: quod ante annos centum sensit amplis. Bohemiæ regnũ, quanquam non magno emolumento, & speciosis triumphis oppugnãtium. Quinimò agnoscunt se ueluti feudatarios esse sanctissimi & supremi in orbe Pontificis. Huc in primis pertinet, quod Augustinus Steuchus in libro suo contra Laurent. Vallam, pro Donatione Constantini, Sectione 94, sic scriptum reliquit: Gregorius 7, ad Geusam Hungariæ regem: Notum tibi esse credimus, ait, regnum Hungariæ, sicut & alia nobilissima regna, in propriæ libertatis statu debere esse, & nulli regi alterius regni debere subijci, nî si sanctæ & uniuersali matri ecclesiæ Romanæ, quæ subiectos habet non ut seruos, sed ut filios. Subdit his Steuchus: Audis quo dominatu imperet ecclesia, non ut seruos, sed ut filios habeat subiectos sibi. Non deijcit reges possessione, sed finit eos ut filios dominari: quibus dominantibus, etiam ipsa dominatur. Vult tamen agnosci regina & domina. Audis, omnia nobilissima regna sedi Apostolicæ subiecta esse. Ibidem ille idem ostendit, amplis. regna Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Russiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Portugalliæ, Bohemiæ, Suetiæ, Norue giæ, Roma næ ecclesiæ subiecta esse, & uectigalia. Sect. 97. subijcit: Tametsi reges regnarent, atq; in possessione consisterent: reginam tamen, ueramque regnorum dominam ac largitricem soliti sunt agnoscere. Et Sect. 103: Plena sunt omnium Pontificum prisca monumenta excelsæ potestatis, qua totum terrarum orbem imperijs gubernarunt, habenas omnium terrarum tenentes. Quam quidem potestatem effrõs ille Romanæ sedes præco, audet appellare omnipotentem.

REGINA ET DOMINA.

Os scilicet loquens grandia.

Et quidem uidemus hodie ab occidentalibus regib. modò coronatis & electis, mitti Romam amplissimas legationes, qui & pedem osculentur Antichristianum, & debitam, ut uocant, obedientiam exhibeant. Proinde superius appellauit nõ quidem reges, sed tanquam reges. Superiorem enim agnoscunt, atque adeò sunt ueluti serui, aut uasalli seruorum serui. De quibus ille lusit non ineleganti districho:

Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Seruorum serui nunc tibi (Roma) sunt domini.

Cum agno pugnant.

His adijcit Apostolus adhuc multo grauius. Hi, reges inquam confœderati Pontificis, & obedientes Romanæ ecclesiæ filij, imbuti spiritu bestię, pugnabunt cum agno. Significatur autem tyrannis, quam exercent, & diu exercuerunt principes, reges & ordines aliquot Romani imperij, contra Christum & Euangelium ipsius. De agno hactenus dictum est satis in superioribus. Ioan. baptista, digito in Christum extento, dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Oppugnabunt ergo principes Romani non ipsum Christum, uolent enim esse Christiani, sed agnum, id est sanctificationem, iustificationem & satisfactionem Christi. Nam si quis hodie dicat, Sanctissimum esse Dei filium, per quem solum remittantur peccata, & sanctificemur: nec addat, Sanctissimum esse & Romanum pontificem, qui indulgentijs concessis purget: quin potius dixerit, Indulgentias esse impostaram, & Papam omnium impurissimum: profectò nec pro orthodoxo habebitur, neque parcetur ipsi propter confessum agnum Dei. Si quis confessus fuerit, in solo Dei filio iusticiam esse, & per solam fidem, non etiã per opera & merita nostra iustificari homines, ad mortẽ aut in uincula raptabitur, neque profuerit ipsi confessio agni Dei. Si quis dixerit, se unica Christi in cruce hostia, ut agni immaculati, & ab initio uel origine sacrificati, plenè expiatum esse,

esse, neque egere ipsum missis Papisticis, quibus sacrifici iactitant se quotidie pro peccatis uiuorum & mortuorum immolare, quod quidem sit & falsum & blasphemum, rectà abripitur in carcerem, & inde protrahitur in ignem. Vera hæc esse, negare non possumus, cum innumera regum & principum Romanisantium exempla hodie extent. Non est itaque ut de longinquo expositionem afferamus, quomodo cum agno pugnent hi reges, qui toti dependent à Pontifice. De alijs hic nihil loquor, qui toti pendent à Christo.

Porrò consolationis ergò consequenter appendit, Et agnus uincet illos. Quamuis enim reges & principes Papistici uideantur uincere sanctos, quos comburunt & extinguunt atque conterunt, uiuit tamen semper Christus, floret Christi redemptio. Pijsimè enim ille cecinit uates bonus: *Agnus uincet illos.*

Viuit adhuc Christus, manet insuperabile uerum,
Dum perit immenso quicquid in orbe uiret.

Pereunt reges, pereunt aut mutãtur regna: ueritas autem nunquam mutatur, Christus in æternum non perit. Rationem ualidissimam subiungit: Quoniam dominus dominorum est, & rex regum. Proinde subijcientur scabellum pedibus agni, quotquot illi reluctabuntur. Vides iterum, quare superius dixerit Ioannes: Potestatem tanquam reges accipiunt. Omnes enim reges sub Christo sunt, qui omnibus in orbe dominis præeminet. Quia ipsi data est potestas in cœlo & in terra. Simus ergo intrepido animo, quia imperator Dominus & rex noster omnipotens, immortalis & inuictus est. Veniet mox in nubibus cœli, iudicaturus uiuos & mortuos, &c.

Quinimò promittitur disertè nobis quoque Christi cultoribus uictoria. Et qui cum illo sunt uocati, electi & fideles. Electi sumus in Christo ante iacta fundamẽta mundi, ut credamus in ipsum, & salui fiamus, Ephes. 1. cap. Huc uocamur prædicatione euangelica. Vide 2. Thess. 2. cap. Nos autem debemus gratias agere Deo semper, &c. Hæc teneamus, & simus in turbis nostri seculi constantes & intrepidi. Deo gloria. *Vocati, electi, fideles.*

Rursus explicatur latius uisio, & ostenditur supplicium bestiæ.

CONCIO LXXV.

ET dicit mihi: Aquæ quas uidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ. Et decem cornua quę uidisti in bestia, hi odio prosequentur meretricem, & desolatam facient eam, & nudam: & carnes eius comedent, & ipsam in igne concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum est illi: & ut unam faciant uoluntatem, & ut regnum suum dent bestiæ, donec consummentur uerba Dei. Et mulier quã uidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

Angelus à Christo Domino missus, exponit Ioanni & toti orbi, mysterium bestiæ exhibitæ: præcipuè uerò iudicium uel supplicium eius, propter flagitia nepharia. id quod & consequenti capitulo prosequetur.

Et in præsenti exponit significationem aquarum, quibus dominatur meretrix, Romana utique potestas. Significant aquæ, regna per orbem dispersa. Id quod per tria uocabula, pro more suo, & quidem prophetico, sicuti superius annotatum est, explicat. Nam nominando populos, turbas, gentes & linguas, comprehẽdit nationes quasi innumeras, uarijs distinctas linguis & moribus. Aquis uerò cũ nihil sit mobilius, & cum semel excitatæ sunt furiosius & barbarum magis: rectè aquis comparãtur populi uel uulgus, quod & ipsum ex instabilitate uocatur mobile, & ex furoribus insanum & barbarum. *Aquæ super quas sedet meretrix.*

Seditiones. Proinde non temerè ſapientes omnes grauiter damnarunt ſeditiones, quas appellare ſolemus *das waldwaſſer*: utpote quibus congregantur peſsima quæq; ingenia, eisque occaſio datur erũpendi pro libidine, & nocendi. Cæterùm cum tot gentes ſubditę fuerint Romano imperio, & errarint nihilominus in uera fide, quid profuerit poſthac multa & uaria numerare regna, quæ conſentiant in religione aliqua? Quaſi uerò finceritas & ueritas religionis dependeat à multitudine hominum in ipſam conſentientium.

Iudicium Dei contra Romã. Sequitur modò iudicium Dei cõtra Romam ſanguinariam, quod in hac uiſione potiſsimum eſt: Summa omnium eſt, Diſcerpetur Roma fruſtulatim, & igni cõburetur: & ut audiuimus 13 cap. Sicuti alijs fecit, ita fiet ei. Exponenda uerò hæc ſunt primùm quidem de Roma ueteri, deinde de noua: atq; in his expendenda ſunt principiò uerba, deinde applicandæ hiſtoriæ, ex quibus prophetiæ ueritas illuceſcat.

Odium decimum cornuũ contra ſcortũ. Decem cornua, ſignificant reges qui emerſerunt ex diſsipatione Romani imperij, quales fuerunt reges Vueſtgotthorum, Oſtgotthorum, Germanorum & Francorum, Langobardorum, Hunnorum, Vuandalorum, &c. Seruierunt hæ gentes aliquando Romanis, & ſtipendia meruerunt: fauerunt eis, atq; res eorum ſuo diſpendio perfecerunt: non ſecus ac amator ſedulus ſcortillo alicui inſeruit, à quo nulla ratione auelli poteſt, ut quam deperit ardentiſsimè: tandem uerò animaduerſa perfidia, odiſſe incipit eandem infenſiſsimè. Ita hæ gentes atque aliæ, Romanum nomen ita perſequi cœperunt, ut nulla eius ueſtigia alicubi uoluerint extare, aut remanere reliqua. Omnes prouinciæ Romanorum oppletæ fuerunt inſcriptionibus Romanis, ſtatuis, columnis & titulis: ſed in iiſdem, in Germania præſertim, & limitibus, quot obſecro ex tanta ſuperſunt copia? Deletæ ſunt urbes, in quibus habebant præſidia ſua Romani, funditùs, ut hodie uix appareant ueſtigia.

Et quemadmodum uir probus uxorem improbam, ſcortum impudens, non tantum proſequitur odio, ſed & eandem deſerit, diuexat, & nudam reddit, exutis omnibus matronalibus ornamentis (ſic enim Deus in prophetis, ſuo populo facturum ſe propter perfidiam minatur:) ita gentes defecerunt à Romano imperio, hoc ipſum deuaſtarunt & denudarunt, diripientes eius opes, quas per rapinam omnium gentium Romani conuexerant: deprædatæ ſunt paſsim etiam Romanas prouincias. Quòd autem dicuntur carnes beſtiæ deuoraturi reges illi, ex conſuetudine loquendi exponendum eſt. Sic enim loqui conſueuimus, cum crudelitatem extremam, & odium implacabile ſignificamus: *Ich möcht ein row ſtuck fleiſch vß imm byßen vnd ryßen.* Quemadmodũ ergo Roma erga omnes gentes fuit ſæuiſsima, ita omnes gentes truculentiſsimè illam lacerabunt. Tandem & igne concremabunt.

Ezech. 16. Oſeæ 2.

Deuorabunt carnes eius.

Hiſtoria Romæ uaſtatæ et exuſtæ. Cõferamus his hiſtoriam, uideamusq; quomodo hæc ſint adimpleta in ueteri Roma, & impleantur adhuc in noua. Dicemus autem de ueteri primùm, deinde de noua. Et quidem uetus Roma multis annis creuit, & rapinas per orbem terrarũ exercuit, ſanctosq; altiſsimi contriuit: unde dignum erat, per multos annos extendi ſuppliciũ eius, atq; adeò gradibus deſcendi ad extremum eius incendium & excidium. Colliguntur anni ſuppliciorum eius circiter 136, quib. impœnitens, continuis diuexata eſt calamitatibus, cædibus atq; diuexationibus. Atque huius rei compendium contexui Concione huius operis 57, in cap. 13. Repetã aũt hic paucula, & alia quędam paulo copioſius & ſignificantius commemorabo. Sicut Dominus longanimitatem ſuam, & clementiam in puniendis Niniuitis & Hieroſolymitanis, ſimul & diſtrictam declarauit iuſticiam: ita lentè procedendo, in excindenda Roma, clementer reliquit ſpacium pœnitentiæ, quam cum non agerent, impœnitentes horribiliter uaſtauit atque excidit. Dedit ergo Romæ principes optimos, Conſtantium, Conſtantinos, Iuuianum, Valentinianum, Gratianum, Theodoſium, &c. quorum diligenti opera & pietate ethnicos furores ac idolomaniam retexit, refrenauit, ueramq; religionem reſtituit atque confirmauit. Cæterùm ut Ioſiæ temporibus inueteratus error & abominanda idololatria expectorari non quiuit, quin maior pars mallet adhuc abominationes Amorrhæorum: ſic Romani & in urbe & in prouincijs aſpirabant cupidè ad reſtitutionem inueteratæ idololatriæ. Sicut ergo grauibus bellis Iudæorum inuictam impietatem domuit tandem, &

urbem

urbem Hierosolymorum excidit: ita bellis Gotthicis, Vuandalicis, barbararumq; (ut historię uocant) gentium incursionibus superbam & impiam Romam cum prouincijs attriuit, tandem & urbem ferro igniq́ue Gotthico uastauit. Clamauit ipsum hostis nomen, uindictam non ab hominibus irrogari, sed ab ipso Deo. Nam Gotthorũ Germanicum uocabulum, significat gentem Dei, uel diuinam. Deus enim appellatur Gott: inde Gotthi *die Gotther*, gens uel populus Dei. Deus ergo, non homo castigauit, attriuit, tandem & uastauit Romã. Id quod significantissimè in præsenti dicit Ioannes. *Gotthi uastant Romam.*

Principiò regnantibus Arcadio & Honorio, Vuestgotthi urbẽ, duce Alarycho, obsident, irrumpunt, capiunt, diripiunt. Valde casum Romæ hunc deplorat Hieronymus ad Principiam, in Epitaphio Marcellæ: Orosius uerò, quod & Concione 57 commemoraui, meo quidem iudicio, rectius prædicat Dei in Roma afflicta iudicium iustum. Clementer quidem pro delictorum grauitate tunc castigatam fuisse Romam, constat: sed cum percutientis manum non agnoscerent Romani, factũ est ut mox redierit mor tuo Alrycho, duce iam Adolpho (*Adelhilff*, uel *Atthilff*) uictor exercitus ex Lucania, & lõgè cupidius nunc quàm antea Romanas opes deprędatus sit. *Allrych Vuestgotthus.*

Ab eo tempore conceditur iterum pœnitendi spaciũ Romæ, per annos circiter 42. interea Hunnicis uel Atthalicis cladibus per prouincias editis, & quidem ingentibus ac stupendis, admonentur ut sapiant. Quid quòd ipse Atthila cum suis Hunnis in ipsam quoq; Italiam concedit, & iam Romæ imminet? Accidit tunc, quòd Romanos ad ueri Dei cultum cõmouere potuisset, si ulla superfuisset in eis gratitudinis uel mica reliqua. Minister enim ecclesiæ Romanæ, Leo episcopus (nondum innotuerat Pontificum fastus barbaricus) doctor fidei Christianę, & mysteriorum Christi dispẽsator, supplex Atthilæ factus, pacem impetrat Romæ, & oratione euidenti hostem auertit sanguinarium à ceruicibus Romanorum. Beneficium hoc erat ingens, quod Deus per ministrum suum exhibere uoluit Romanis, si adhuc odisse cessarent religionem Christi, ac obtrectare Christo, quasi is mala effunderet in orbem, nihilq́ue boni aut quietis emergeret ex prædicatione Euangelij. Nunc enim Romæ (ut innumera alia non cõmemorem) inæstimabile beneficium contulit, & quidem per prædicatorem Euangelij. Facta sunt hæc anno Domini 454. *Atthila Hunnus.*

Cæterùm dum Romani suo more pergerent, & iam etiam princeps non malus Valentinianus confoderetur, & per tumultum indigna fierent plurima, nec ullum appareret signũ gratitudinis erga Christum & conuersionis uerę: unius mulierculæ Eudoxiæ, Valentiniani uxoris, quæ & ipsa in tumultu illo indigna multa erat perpessa, artibus factũ est, ut Vandalorum rex Gensrychus, ex Aphrica, cum ter centenis millibus nauigarit Romam, eamq́; cæperit, & per continuos 14 dies exhauserit thesauros, ex omnibus propè habitati orbis partibus in ipsam importatis. Nihil tunc potuit Leonis intercessio, nisi quod à cædib. & incendio sibi tẽperarunt Vuãdali: quod & ipsum non erat contemnendum Dei beneficium. Primus Vuestgotthorum rex, qui Romam irrupit, appellatus est Allrych, alij uocant Atalarychum: hic uerò Vandalorum dux nuncupatur Gensrich (*yhãner macht sine knãcht all rych: diser gantz rych*) Sic uerò Roma meretrix, facta est desolata & nuda, spoliata inquam, quę ex spolijs omnium gentium opulenta superbierat hactenus. Verùm ne nunc quidem tota est cõuulsa & incensa: quod non leue erat beneficium, iterum Romæ præstitum à Christo ad emendationem. *Genserych Vãdalus.*

Quin conceduntur præterea adhuc anni circiter 20, in quib. tamen, sicuti in decem tribubus Izraelis, ante excidium Samariæ, continua exercebantur latrocinia, dum decem principes regnant Romæ: ita tamen, ut nullus ex his non protinus ab alio sit uel interceptus, confossus, uel eiectus. Augustulus inter hos ultimus fuit. Nam ut Augustus Iulio succedens, monarchiæ Romanæ dedit principium, ita Augustulus ipsam finiuit. 4. Reg. 15.

Deletis enim legionibus Romanis, & nomine imperatorio, per Germanos, Odacer (qui nomẽ à uastãdis agris, Oedacher, acceperat, & ueluti uastator *landtzerstörer* diceba tur,) Romam cæpit, & rex in ea regnauit annis circiter 15. Pellitur tamen hic rursus, & *Odacer Germanus.*

Theoderychus Ostgotthus. cæditur (instigante Constantinop. Imperatore Zenone) à principe Ostgotthorum Theoderycho. Ac regnât Romæ Ostgotthi annos circiter 50, donec Iustinianus Imp. in Italiam, pro ea recuperanda, Belliſarium cum exercitu Græco mitteret: cui ſe Ostgotthi, adiuti Germanorum præſidijs, ſubmiſsis à Theodoperto Francorum rege, fortiter oppoſuere. Bellatum eſt per annos continuos 18 in Italia, diuerſa fortuna.

Totila Balduff, uel Bald im helm. Vicit tandem Totila Balduilla. Is urbem Romam cæpit & combuſsit, nec tamẽ derepentè. Nam ſpacium conceſsit deliberandi. Sed cum nè ſic quidem proficeret, Romam uaſtauit, & ut Ioannes prędixit, igne concremauit. Excidium hoc celebrant hiſtoriæ omnes. Ioan. Auentimus lib. Annalium Boiorum 3, ea de re hæc nobis reliquit: Totilas Romam obſidet, capitque, 16 Calendas Ianuarij (17 Decembris) anno Chriſtianæ ſalutis 548. Totila omnia bona militibus donat, cæterũ corpora eſſe libera edicto ſanxit. Inde legatos cum mandatis Neoromam (Conſtantinopolim) ad Iuſtinianum ire iubet. Poſtulabat ab imperatore Italiam, fœdusque, quemadmodum ſub Imperatore Anaſtaſio & Theoderycho rege fuiſſet. Quod ſi non impetraret, minabatur Totila ſe urbem, quam retinere non poſſet, nomenque Romanum exciſurum. Iuſtinianus reſpondit, Belliſarium in Italia eſſe, cui res Italicas commiſiſſet. Totila igitur, ubi poſtulatis imperator non annuit, urbem Romam euertere decreuit. Mœnium partem maximam pluribus locis ſolo æquat, Capitolium incendit. Omnes ciues cum cõiugibus & liberis urbe excedere iubet. Plebs per oppida Campaniæ diſperſa eſt. Senatores patriciosque Totila ſecum pro obſidibus retinuit. Inde ædificijs ignis immiſſus eſt. Incenſam omni parte Romam, Gotthus uacuam reliquit. Tredecim dies incendiũ emicuit. Fuit urbs Roma amplius quadraginta diebus in ea ſolitudine, ut nec mulier quidem, nec uir quiſquam in ea fuerit. Euerſa urbe, Totilas in Lucanos Calabrosque caſtra mouet. Belliſarius uacuam urbem occupat, celerius omnium opinione foſſa, uallo, aggere, turribus ligneis, partem urbis munit. nam tota inſtaurari non potuit hactenus. Totilas adeſt: ſed repulſus, Tibur diſcedit. Belliſarius in Græciam ab Imperatore reuocatur. Totila Romam obſidet, capit. Ita uno anno Roma caput mundi, gentiumque domina, ter capta eſt. Hæc Auentinus. Leonardus Aretinus de bello Italico contra Gotthos, in fine lib. 3. Roma poſt hæc, inquit, cum toto exercitu egreſſus, eam deſolatam penitus, & uacuam dereliquit Totila, &c. Quis iam non dixerit, Ioannem paucis uerbis comprehendiſſe ueteris urbis excidium, quod mira copia hiſtorici poſtea deſcripſerunt: quod denique eo prorſus modo quo prædictum erat, inſequutum eſt prophetiam, poſt annos 451. atque adeò euidenter paucis propoſuiſſe uerbis, ut uĩ dearis coram inſpicere & ruentem & ardentem Romam.

Ruet & noua Roma cum ſuo imperio. Sicut autem in Euangelica hiſtoria commiſcet Dominus prophetiã de excidio Hieroſolymorum, & conſummatione ſeculi, ut quilibet ex eo quod cernit Hieroſolymorum urbem, ita uti prædixerat Dominus, perijſſe, neq; lapidem manſiſſe ſuper lapidẽ, colligeret pari fide & certitudine mundum hunc ruiturum. Ita nos ex eo quòd cernimus ueterem urbem Romam cecidiſſe, imperiumque maximum, & quod æternum prædicabatur futurum, redactum eſſe in nihilum, colligamus & nouam Romam unà cum umbratili imperio, uel imagine imperij, certo certius ruituram, & redigendam in nihilum. Ac principiò quidem Sarraceni & Turcę, qui dominabantur, & adhuc regnant in prouincijs olim Romano imperio ſubditis, ut in Aſia, in Græcia, Aegypto, Aphrica, Illyrico, Pannonia inferiori, atque ideo rectè numerantur inter decem cornua, oderunt cane peius & angue & Papatum ipſum cum Roma, & imperiũ illud umbratile. Sed & hiſtoriæ teſtantur, ſæpe irruptiones ab his factas, adeoq; Romam ipſam fuiſſe ſpoliatam. Quid hodie fiat, ipſa nos docet experiẽtia. An uerò Turca, an ipſi principes Chriſtiani ad Chriſtum conuerſi per Euangelium, Romam ſint ſpoliaturi hanc nouam, uaſtaturi prorſus, & igne combuſturi, nouit Dominus, qui huius aliquid ferè uidetur hic innuere. Hoc certum eſt, Chriſtum ſolum manu ſua Antichriſtum humiliaturum, & aduentu ſuo aboliturum. Certum eſt, terram, & quæ ſunt in ea opera, exurenda. Sic enim habet doctrina Apoſtolica: & futura quidem hæc omnia in fine ſeculi. legatur Paulus 2. Theſſ. 2. & Petrus 2. Petri 3. Præterea exoriuntur in regnis orbis

uarijs

uarijs homines docti, qui aliquando ſedi Romanæ obſtricti, ipſam cum idolo putido propugnarunt: ſed conuerſi ad Chriſtum, odiſſe modò incipiunt Romam, Romanamque eccleſiam, quam & oppugnant, uaſtant, & igne diuini uerbi comburunt. Perit ergo, & perijt hodie in pijs omnis Papæ & Papatus gloria, decus & opulentia. Oderunt Romam & Romanas merces uiri cordati omnes. Clamãt omnes, dignam eſſe hanc Sodomam, quæ igne cœlitùs delato comburatur. Neque dubium eſt quin grauis contra ipſam ſit parata uindicta.

Porrò breuibus ſubijcitur ratio, cur ita ſæuiant in beſtiam reges, & cur iſta fiant eo modo & ea ratione, qua audiuimus. Deus enim dedit in corda eorum, inquit, ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην, ut faciant ſententiam eius, & ut faciãt unam ſententiam uel uoluntatem. Referunt autem αὐτοῦ eius, alij ad beſtiam: id quod nimis remotum & alienum uidetur. Refertur potius ad proximius, ad Deũ inquam, qui dedit in corda regum facere ſententiã eius, Dei inquã. Sententia enim & uolũtas Dei eſt, ut pereat beſtia, ut ſuppliciũ de ipſa effuſi ſanguinis innoxij ſumatur. Idem faciet ut reges ſint nõ diſcordes, ſed concordes, ut unanimes Dei iudicium exequantur. Ita legimus in prophetis, Deum dediſſe in corda regũ Salmanazaris, Senacherib, Nabuchodonoſoris, Cyri & aliorum, ut faciant quod feciſſe leguntur, in ſumẽdis uidelicet ſupplicijs de impijs, & in aſſerendis pijs. Sed & in hiſtorijs cõmemoratur, Alarychũ Vueſtgotthorũ regem à ſeruo Dei quidem retractum, ne ita feſtinaret ſubuertere Romam: ſed illum reſpondiſſe, Eſt qui mihi perpetuam faciat moleſtiam, & dicat, Vade deſtrue Romã. Qui uerò eandẽ uoluntatẽ immiſit in corda Alarychi, Adolphi, Genſerychi, Odacris, Theoderychi, & Totilę: idem ſi uoluerit, & cum uoluerit, & quibus uoluerit principibus inſeret, ut & ipſi ſuum contra nouam Romam & Romanam eccleſiam faciant officium. *Deus dedit in corda regum, &c.*

Adijcit angelus, Deum item in corda regum dediſſe, ut dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur uerba Dei. Id quod interpretes explicant, & dicunt, permiſiſſe Deum, ut iſtud animis concipiant conſilium, tradendi regni uidelicet beſtiæ. Ego ſimplicius eſſe arbitror, ſi Deum ſimpliciter fateamur nullius peccati eſſe authorem: ac peccare homines nulla fatali impulſos neceſsitate, ſed uicio & culpa propria. Voluit ergo Deus, quod & uerbo ſuo expreſsit & docuit, ut reges regna ſua traderent Chriſto, ſummo regi: quod cum ipſis non placeret, mallentq; uarias ob cauſas carnis & mundi, regna ſua tradere Pontifici, & ſe ſubdere ſedi, ut aiunt, Apoſtolicæ, iuſto ſuo iudicio deſeruit eos Deus, & tradidit (ſicuti & Roman. 1. ſcribitur) in reprobum ſenſum, ad faciendum ea quæ Deus non probat. Simul autem uerba Dei per prophetas & apoſtolos prædicta, ad hunc modum ſunt completa. Certè uerba Dei & non hominum illa ſunt, quæ de hac re leguntur in Daniele, & in toto hoc libro Apocalypſeos.

Poſtremò explicat angelus, quid ſignificatum ſit per mulierem inſidentem beſtiæ: ciuitas utique illa magna, & Romana urbs, mundi caput & domina, & Romana eccleſia, Papatus & poteſtas, extendens ſe & regnum ſuum ſuper reges terræ. De qua hactenus dictum eſt ſatis. Deo gloria. *Mulier ciuitas magna.*

Demonſtrat, Romam certò ruituram: & addit cauſas ruinæ eius.

CONCIO LXXVI.

ET poſt hæc uidi alium angelum, deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius, & clamauit per fortitudinem uoce magna, dicens: Cecidit cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis uolucris immundæ & inuiſæ. Quia de uino iræ ſcortationis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa ſcortati ſunt: & mercatores terræ de uirtute deliciarum eius diuites facti ſunt. *Cap. XVIII.*

Pro-

Prosequitur per integrum cap.18.interitum Romæ ueteris & nouæ,Ethnicismi ité & Antichristianismi excidium,idque mira copia & euidentia, adeò ut uidearis tibi coràm contueri omnia.Sed & ordine utitur pulcherrimo.Principiò enim angelus excidium Romæ denunciat uerbis significantissimis. Deinde datur consilium pijs, quomodo se gerant in tantis periculis.Additur modus uastationis, quod sicuti cupidè & crudeliter Roma gentes deprædata sit & exciderit, ita quoque ipsi euenturum sit. Inde contexitur threnodia,qua principes & mercatores lugent Romæ interitum:ubi & opes & delicias Romanas commemorant.Hinc exultant apostoli & prophetæ de iustissimo Dei iudicio.Sed & molaris in profundum ab angelo Domini demergitur: ut ita Romæ certissimus, irreparabilis & grauiss.interitus significetur.Quib.iterum caufæ tantorum malorum subtexuntur,ac laus & iubilatio omnium cœlitum subijcitur.

Summa capitis 18.

Imitatur Ioannes prophetas.

Felicissimè autem in his imitatur sanctos Dei prophetas,quorum duo eodem propemodum modo excidium ueteris Babylonis describunt,Isaias in 13.& 14.& 21.cap.& Ieremias in 50 & 51.Ezechiel uerò Tyri interitum cap.26.27.28.Vt enim omnium impiorum par est sors & exitus,ita scriptura Canonica in depingendo ipsorum interitu pulcherrimè sibi cõgruit.Sed & Apostoli,licet loquerentur Gentibus,& scriberẽt Græcè,nihil tamen de patrio idiomate mutarunt,adeoq; alienas linguas sacræ coegerunt seruire,non Hebræam Gentium linguis.Nam Græcè loquentes seruarunt loquutiones Hebraicas,& phrasim patriam,utpote primam,diuinam,sanctamque:& cum omnium linguis loqui possent,nunquam tamen alienas sic loquuti sunt & scripserunt, ut in eis non animaduerteretur dialectus Hebræa.Caueant ergo,ne hodie quidam nimis sint delicatis auribus,puritatemque Latini sermonis sic sequantur & exprimant, ut recedant interim à simplicitate sacræ linguæ,& mysteria non modica amittãt.Qui morosi non sunt,malunt se attemperare linguæ sanctę,& discere eius idiomata,quàm ipsam uel renitentem peregrinis linguis subiugare, atque ad seruiendum delicatulis auribus nostris adigere. Porrò sæpe iam monuimus,quis finis & usus sit tractationis huius de iudicijs uel supplicijs diuinis.Asseritur enim ueritas & iusticia Dei, consolationem accipiunt afflicti,& terrentur impij,& omnes hostes Dei,&c.

Maiestas sacræ linguæ.

Lectorũ in Biblicis uersionibus morositas.

Impij rident oracula Dei.

Sed dum hæc uulgaret Ioannes, & uaticinaretur de excidio Babylonis (quam omnes illo tempore,propter uicinum,quod uidelicet nuper sub Vespasiano euenerat,Hierosolymorum excidium,& captiuitatem Iudæorum grauissimã, significare Romam perspicuè intelligebant: sic enim olim Babylon, sanctam urbem & gentem afflixerat, ut nunc Vespasianus Romanus) pij quidem uera esse, & uentura omnino credebant: prophani,ut delyra irridebant.Fecerant hoc maiores ipsorum.Dum enim & prophetæ interitum Niniues,Babylonis, & potentissimarum monarchiarum prædicerent, insanire illis uidebantur.Cæterùm ita uti prædicta fuerant,euenerunt. Credunt ergo Dei oraculis fideles,utcunque diu differantur,quæ futura prædicuntur: utcunque ea secundum mundum appareant impossibilia. Deo enim prædicenti & uolenti, nihil est difficile.

Author huius oraculi.

Nunciaturus autem Romæ interitum,auditores præparat,fidemque conciliat uaticinio,dum ante omnia ostendit authorem oraculi uel prophetię,ipsum Dei angelum. Et quidem multis illum nobis angelum commendat,ne quid de ueritate eorum quæ dicit,dubitaremus.Dicit enim,illum descendere de cœlo.Vnde nos colligimus,ea quę adfert,esse diuina & cœlestia.Idem dicitur habere potestatem magnã:ne uidelicet dubitaremus,ea esse impossibilia,quæ dicit futura.Si enim angelus Dei minister potentissimus est:qualem esse existimamus Dominum,qui angelum misit?Vnicus angelus ante mœnia Hierusalem cæcidit uiros bellatores octogintaquinque & centena milia. Vnicus angelus extinxit una nocte omnia Aegypti primogenita.Ergo cum potentissimus angelus interitum ueteris & nouę Romæ prædicat,nõ est quòd dubitemus futurum. Præterea illuminatur terra à gloria,id est à splendore seu lumine angeli huius. Nam prophetia hæc nec obscura est,nec tegi uult,sed maximè & quàm illustrissimè prædicari per orbem.

Liberè & clarè prædicandũ cõtra Antichristum.

Vnde & idem angelus totis clamat uiribus,& quidem uoce ingenti. Nam oportet

hæc

hæc Dei oracula, in quibus agitur de gloria Dei & animarum salute, intentissimis prædicare uocibus, utcunque probibeat & persequatur mundus. Hęc autem obseruēt, qui putant edictis, igni & ferro prohiberi posse, ne contra Antichristū clarissima uoce prædicetur. Fallūtur stolidi. Pugnatum est sexcentis & amplius annis, neq; quisquā quātumuis sæuiret, prædicationē hāc sopire potuit. Erumpit subinde, & latè peruagatur hodie quoq; totum terrarū orbē: proinde est adhuc, & erit perpetuò angeli huius gloria illustris, & uox uel prædicatio ualidissima, rumpantur ut ilia Papis.

Sequitur iam uaticinium angeli, cuius summa est: Interibit Roma, neq; ullum eius relinquetur uestigium. Id propheticè, sicuti & in 14. cap. fecit, eloquitur: Cecidit cecidit Babylon magna. Cecidit, dixit, pro cadet: præterito, propter rei certitudinem, usus pro futuro: quò & reduplicatio pertinet. Sic loquuti sunt etiam prophetæ. Miratur Macrobius Maronis admirandam breuitatem, ac inter alia lib. Satural. 5. cap. 1. Vis audire Vergilium, inquit, tanta breuitate dicentem, ut arctari magis ac contrahi breuitas ipsa non possit? *Et campos, ubi Troia fuit.*— Ecce pauciſsimis uerbis maximam ciuitatem hausit & absorpsit: non reliquit ille nec ruinam. Hæc Macrobius. Hęc multo uerius & rectius accōmodauerimus prophetis nostris eloquentiſs. in sua lingua, & beato Ioanni in primis. Quid enim breuius uel cogitari potuisset, quàm quòd dixerunt, Cecidit, cecidit Babylon magna? Simul enim & urbis magnitudinē & maiestatē exhibuit Ioannes, & totā absorpsit, ne ruina quidē relicta. Significauit enim, Romam ueterem & nouam, quātumuis uideatur magnifica, inuicta, æterna, ruituram tamen: & ita ruituram, ut eius nihil sit futurū reliquum. Id quod mox significantius Chria quadam oculis subijcit, dum sublato angelus molari, & in profundum maris deiecto, addit: Sic impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & ultrà iá non inuenietur. Proinde nihil fuit, est uel erit unquam in mundo tam potens & inuictum, quod non in nihilum redegerit inuicta Dei potentia, cum uoluerit, & hora illa fatalis aduenerit. Perijt uetus Roma, & potens illa monarchia disperijt: corruit simul & superstitio & ethnicismus & idololatria, multos dominata per annos: peribit & noua Roma cum imaginario suo imperio: corruet, & in fumum abibit, qui diu mundum dementauit & afflixit Papatus, uel Antichristianismus.

Cecidit, cecidit Babylon.

Præterea hypotyposi prophetica, uel è prophetis petita, modum excidij ostendit per consequentia: Et facta est habitatio dæmoniorum, &c. Ita enim his significat uastandam, ut locus qui prius fuit frequens hominibus, iam habitatio futurus sit ferarum & dæmonum, deserto (sicuti & Dominus testatur Matth. 12.) gaudentium. Allusit autem ad uerba prophetarum. Isaias in 13. Et subuertetur Babylon regnorum ornamentum, quemadmodum subuertit Deus Sodomam & Gomorram: nō habitabitur, sed requiescent ibi bestiæ, & saltabunt ibi pilosi uel satyri, &c. Eadem repetuntur Ieremiæ 50. cap. In 51. cap. ait: Et erit Babylon in tumulos, & in habitationem draconum, in stuporem & sibilum, quòd nemo ibi habitet. Nō dissimilia leguntur Ezech. 26. cap. de Tyri excidio. Ac Romam quidem ueterem uastatam esse, superius diximus: & 40 diebus, ac amplius, nō habitatā ab ullo homine. Quod autem rursus habitatā esse uidemus, nihil impedit ueritatē uaticinij Christi. Franciscus enim Petrarcha, homo Italus, & inter Italos doctissimos non postremus, in Epistola quadam ad amicum, hæc uerba Ioannis apostoli exponens, inter alia: Verè iam talis facta es, ait. Quanto enim homo perditus, & desperatæ nequitiæ, dæmone melior? Verè habitatio, imò regnum dęmonum facta es: qui suis artibus, humana licet effigie, in te regnant, &c. Vixit & scripsit hæc Petrarcha ante annos circiter 200. Et in alia quadam epistola, de ueteri & noua Babylone loquens: Fuit illa, inquit, omnium pessima, eaque tempestate fœdissima: hæc uerò iam non ciuitas, sed laruarum ac lemurum domus est, & ut breuiter dicam, scelerum atque dedecorum omnium sentina, atque ille uiuentium infernus, tanto antè Dauidico ore notatus, quàm fundatus aut cognitus. Et iterum idem ille: Quicquid de Assyria uel Aegyptia Babylone, quicquid de quatuor labyrinthis, quicquid denique de Auerni limine, deque Tartareis syluis, sulphureisque paludibus legisti, huic Tartaro admotum fabula est. Hic turrificus simul & terrificus Nimroth:

Et facta est habitatio dæmoniorum.

hic

hic pharetrata Semiramis: hic inexorabilis Minos: hic Rhadamantus: hic Cerberus uniuersa consumens: hic tauro supposita *Pasiphae, mixtumq; genus,* — quod Maro ait,

— *prolesq; biformis*
Minotaurus inest, Veneris monimenta nephandæ.

Hic postremò quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile usquam est aut fingitur aspicias, &c. Hæc ille, & his similia alia, in alijs epistolis plurima scripsit. Quid uerò hunc modò scripturum putas, si hodie curiam illam uideret Romanam: quam multis nominibus corruptiorem nunc esse constat, quàm tunc fuerit? Breuiter, significat Ioannes ex sententia Christi regis & iudicis, Romam & ueterem & nouam, unà cum ethnicismo & Antichristianismo funditùs perituram, neque unquam fore restituendam.

Causæ ruinæ urbis & imperij.

Causas superius semel & iterum commemoratas, iterum repetit & inculcat, impietatem, idololatriam, & seductionem in his omnium nationum & populorum, quos adegerunt tormentis ad recipiendam impietatem. Vbi & crudelitas, tyrannis, uel sanguis quoque locum habet. Dixi de uino scortationis superius in cap. 14. & aliàs, ut nihil opus sit ea repetere cum fastidio. Adiungitur his & alia causa noua, Et mercatores terræ, *ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνου αὐτῆς*, ex potentia uel uirtute lasciuiæ eius, ditati sunt. Dixit autem, Ex uirtute lasciuiæ: pro eo quod est, ex immensa, ualida & insatiabili libidine ditati sunt. Roma enim cum abundaret spolijs, quæ auarè diripuerat, & ex omnib. Romam contulerat nationibus, in omnis generis luxus & lasciuias effundebatur, *ward gåttſth, geyl vnd můtwillig.* Proinde ueniétes illuc uoluptatum magistri, & cupediarum artifices, rerumque preciosissimarum mercatores, semper suos emptores, admiratores, cultoresque inueniebant, adeoque diuites reddebantur ex Romanorum uoluptuosa & luxuriosa uita. Notat ergo Apostolus, incredibilis & sumptuosissimæ luxuriæ in cibo, potu, uestibus & ædificijs, in cultu corporis & ornatu, studium. Eodem œstro perciti Romanistæ etiam nostri temporis in Italia & extra Italiam, opes maximas profundunt uiuendo luxuriosè. Cernitur hoc præcipuè in spiritualibus illis patribus, episcopis & abbatibus, denique in toto clero Romano. At Deus nunquam luxum & tyrannidem inultam diu ulla in gente tulit. Cecidit ergo Babylon quoque, cadet itaque & Romana ecclesia. Discant ergo & priuati homines temperantiam, & abstinere à luxu & superbia. Domino sit gloria.

Consilium datur pijs, qui exire Babylonem iubentur. Excitantur item hostes in Babylonem, mandatur que illis ne quid ei parcant.

CONCIO LXXVII.

ET audiui uocẽ aliã de cœlo dicentẽ: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorũ eius, ne de plagis eius accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius usque ad cœlum, & recordatus est Deus iniquitatum eius. Reddite illi, sicuti & ipsa reddidit uobis: & duplicate illi duplicia, secũdum opera eius. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quãtum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum miscete illi tormentum & luctum. Quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & uidua non sum, & luctum nõ uidebo. Ideo in una die uenient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur. Quia fortis est Dominus Deus, qui iudicabit illam.

Se-

Secundus locus huius capitis est fidele Domini consilium, datum pijs, quomodo ipsi se gerant in felicitate, & in excidio urbis. Roma quidē diu fuit orbis domina, opes & uoluptates totius mundi apparebant Romæ. Si quis Romæ & in prouincijs morigerum uel obsequentē se præberet Romanis, & religionē coleret Romanā, & conformē se faceret morib. & corruptelis Romanis, is magni fiebat, & ueluti per gradus peruenire poterat ad summos honores, ad maximas diuitias, & selectissimas delicias. Si quis se opponeret religioni Romanæ, & non assentiebatur Romanis: persequutione premebatur, spoliabatur & eijciebatur in exiliū, uel conijciebatur in carcerem, aut ducebatur. Grauiter ergo tentabantur pij, nec quò se uerterent tenebant. Sicuti & hodie fieri uidemus in noua Roma, & toto per orbem Papismo. Proinde Deus, qui non uult perire hominem, sed seruari, optimum hic ueræ felicitatis salutisque consilium suffi-cit: cui quotquot obtemperant, beati sunt. *Consilium Dei pro pijs, quomodo se gerāt.*

Equidem ab initio mox indicat authorē huius consilij, ut ipsi paret authoritatem, confidenterque ipsum recipiamus. Audiui, ait, uocem aliam è cœlo. à Deo itaq; cœlitùs proficiscitur hoc cōsilium: cui qui obsequuntur, Deo obsequuntur: qui nō obtemperant, Dei consilium contēnunt & calcant. Quale est autem hoc cōsiliū? Breue, perspicuum, possibile, honestum & salutare, uidelicet: Exite, ait Dominus, de illa, uidelicet Babylone, Roma, ueteri utique & noua, populus meus: id est, uos qui uultis dici populus Dei, & in albo ciuiū Dei inscribi. Hoc ipsum consilium, & non aliud, Deus idem ille per suos prophetas dedit ueteri suo populo, dum ageret in captiuitate Babylonica. Sic enim dicit Isaias in 48. & 52 cap. Discedite, discedite, exite inde, immundum ne tetigeritis. Exite de medio eius, mundamini, qui fertis uasa Domini. Sed & Ieremias 51. cap. Fugite de medio Babylonis, inquit, & seruet quisque animam suam, ne extirpemini in iniquitate eius. Quoniam tempus est ultionis Domini, uices ei rependet. Fugere ergo suadet Dominus, & sic saluandas esse animas. Alioqui enim nisi fugerimus, perituros nos. Porrò prophetæ nō docuerūt Izraelitas fugere ex Babylone corporaliter, per motum, ut uocant, localem. Hortatur enim Ieremias cap. 29. populum captiuum, ut in Babylone habitet, ac œconomiam ibi suam instituat, donec tempus appropinquet liberationis. Tunc enim exeundum ex Babylone. Interea non motu corporis, sed morum dissimilitudine illos uoluit recedere. Tametsi enim habitauerint in medio superstitiosorum, impiorum & idololatrarum: noluit tamen Dominus ipsos illis fieri similes. Fuga ergo illa in hoc fuit, quòd abstinere & temperare sibijpsis debuerunt ab impietate, idololatria, scelerib. sanguine uidelicet, usura, superbia, libidine, & similibus flagitijs: perstare autem in uera pietate, & innocentia. *Fuge Babylonem, est Dei consilium.*

Pari modo in præsenti, quoquò fugissent pij sub ueteri Romano imperio, ubiq; incidissent iterum in Romanos: sicuti & nos hodie, licet mutemus locum, Papatum interim habemus uel uicinum, uel imminentem. Rectè ergo Apostolus: Oportebit ex hoc mundo exisse, si nolitis uersari cum peccatoribus. Fuga ergo uera & pia fit, si manentes quidē in mūdo corporaliter animo & morib. quàm longissimè ex mūdo recesserimus, ita ut abstineamus ab omni idololatria & cultu ꝑphano, si hūc nō approbemus, si hic nobis non placeat: si non morib. impiorū uel arrideamus, uel nos ipsos cōformemus: si religionē nostram non prodiderimus, uel propter homines, uel propter lucrum temporariū. Itaq; Christiani, qui uixerūt sub Romano imperio, Romā ita fugerunt, ut ꝑrsus abstinuerint à cultu idolorū, & à corruptela morū gentiliū, licet uiuerent inter gētes. Tales enim fuisse ecclesias ueterū in Asia, audiuimus cap. 2 & 3. huius libri. Licet ergo & nos habitemus sub Papatu & in imperio, quod Euangeliū persequitur: fugere tamen debemus Papatū, id est templa Papistica: nemo piorum, cultus & obedientiæ gratia, ingredi, nemo ritus Papisticos agnoscere, ꝑbare & usurpare debet: à uitijs uerò & corruptelis fugere quàm remotissimè. Sic enim Apostolica scriptura nos erudit ad Roman. 12. 2. Corinth. 6. Ephes. 5. & 1. Pet. 4. Ac Ioannes in præsenti semetipsum ueluti exponens: Ne, inquit, συγκοινωνήσητε, ne participetis delictis eius, ne communicetis delictis eius. Delicta uerò sunt, non tantum quæ fiunt contra secundam, sed & quæ committuntur, & magis quidem, contra primam tabulam: cuiusmodi scelera sunt *Qualis fuga suadeatur.*

1. Cor. 5.

idololatria,impietas,abusus nominis diuini, peregrinus cultus contra 2 & 4 præceptũ tabulæ primæ.Ea ferè tunc & hodie habentur pro optimis operibus,cum sint abominationes. Communicatio fit maximè in sacrorum communicatione, deinde si in eandem luxus refusionem cum fœdis resoluamur hominibus. Si ergo ab illis caueamus,fugimus ex Babylone,& bono Dei consilio obsequimur.

Peccatur hodie contra hoc Dei consilium.

At hic hodie peccamus ferè,qui appellamur Euangelici.Multi enim satis esse putãt, si nescio quam religionem seruẽt in pectore occultè: palàm autem communicent cum illis, qui prodesse uel obesse possunt.Inuenias ergo qui idolis se prosternant, qui Missas & sacra Papistica frequentent.Sunt qui norunt sacerdotij Papistici abominationes plurimas,sed ei nihilominus consecrant suos liberos. Quoniam placent eis prælaturæ,& uita illa clericalis,id est opulenta & uoluptuosa. Sunt qui liberos suos protrudunt per matrimonij nexum in medium Papismi:neque hi aliud spectant,quàm opes & mundi honores atque amicitias. Contra hos omnes prophetæ unà cum apostolis,& in præsenti Christus Dei filius,à dextera Dei patris,intonat & clamat:Exite de il la populemi, ne communices cum peccatis eius. Non admittunt hæc uerba disputationem ingeniosam aut ciuilem,neque dispensationem carnalem & commodam. Sequitur enim:Ne de plagis eius accipiatis. Si enim placet Roma,si placet Romana religio,si placent prælaturæ,opes & honores Romanæ,si placet corruptela Romana, placeat & iudicium & pœnæ & condemnatio debita Antichristianismo.

Quid respondeas ad crimẽ defectionis.

Habemus præterea in præsentiarum,quod respondeamus Romanistis,obijcientib. nobis defectionem seu Apostasiam,atque ea de causa & crimen schismatis. Defecistis, inquiunt,à sancta Romana ecclesia,ipsaque defectione palàm declaratis,uos esse sectarios & schismaticos. Quibus respondemus,distinguere nos in Romana ecclesia.Nam agnoscimus Romanam quandam ueterem ecclesiam,insignem & apostolicam. De ea scripsit Paulus:Fides uestra annunciatur in toto mundo. Ab ea qui recesserit,absq; dubio & schismaticus erit,& in æternũ peribit. Est rursus alia Romana ecclesia, noua,& ueteri prorsus contraria,non iam amplius Apostolica,sed Papistica potius,in qua non sunt ministri uerbi & sacramentorum, sed uel principes, gentilibus nihil dissimiles: uel mercatores quibus sacramenta,remissio peccatorum,cœlum ipsum,& omnia in ecclesia,uilissimo precio sunt uenalia. Illi ipsi docent doctrinam ex diametro dissidentem cum Euangelica. Illi ipsi palàm sunt probrosissimis sceleribus, etiam fornicationis fœditate,non quidem tincti, sed madentes & fœtentes:ut nihil nunc dicam de sanguine Christiano. Neq; ulla in his cernitur pœnitentia. Cum his perseuerare,& cũ his communicare, est in æternum perire.Ab horum ergo consortio mandat hic Dominus ut recedamus,imò fugiamus.Quod ergo fecimus,Domino mandante fecimus,qui palàm à purpurata meretrice & ex Babylone hac iubet excedere,recedere,fugere.Sunt & alij loci illustres,mandantes defectionem:quos qui cognoscere & expendere uolunt, legant Deut.13.Ieremiæ 23,uerba item Domini in Euangelio Lucæ 6.cap. Matthęi 7. 23.24.Legatur Paulus in utraque ad Timoth.maximè cap.6.primæ,& in 2.cap.3 & 4. Ad Roman.16 ait: Obsecro uos fratres, ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam,quam uos didicistis,gignunt,& declinetis ab eis.Nam qui eiusmodi sunt, Domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo uentri: & per blandiloquentiam,&c.

Cur fugienda Babylon.

Porrò causam reddens, cur fugiẽda sit Babylon,utilitatem profert,& damnum: Ne de plagis eius accipiatis. Quisquis enim se coniunxerit impijs, idololatris,& spurcis atque impuris,præmium unà cum ipsis accipit:& quidem præmium præsentis uitæ, maledictionem, mentem reprobam, calamitates uarias, recensitas cap.16.& aliàs,& post hanc uitam tormenta sempiterna. Non ergo agitur de re leuicula, cum agitur de fugienda Babylone, uel de uitanda Romana religione:Multi his non credũt: quia non expendunt, quanta sit Romanæ ecclesiæ abominatio coram Deo:ideoque audiunt hæc ueluti fabulam,& perseuerant in eo uitæ genere, in quo sunt & uixerunt hactenus.Sed non mentitur,qui dicit,eos qui sibi fuga ex Babylone non consulunt, maturè perituros cum Babylone & toto impiorum consortio.Væ illis.

Cæte-

Cæterùm quia impij ferè in hoc ſeculo felices ſunt (unde multi colligunt, ignorare res noſtras Deum: aut certè ſi ſcit, curare parum) ſubiungitur ab Apoſtolo, uel oraculo cœlitùs delato: Quoniam peruenerunt peccata eius uſque ad cœlum, & recordatus eſt Deus iniquitatum eius. Nunquam ſanè obliuiſcitur Deus iniquitatũ. Omnia enim illi ſemper ſunt præſentia. Videtur tamen non meminiſſe, cum non punit. Homines enim ita ſentiunt: ſed dum punit & uiſitat peccatores, uidetur omnino rationem habere rerum noſtrarum, & meminiſſe ſcelerum & ſceleratorum hominum. Proinde ſignificat Ioannes, Deũ eſſe iuſtum, & memorem malorũ: pariter & bonorũ: ac ſuo tempore recõpenſaturum omnia hominum opera, in primis autem praua. Interim etiam ſignificat, peccata Romæ ueteris & nouæ eſſe grandia, uel enormia. Nam Geneſis 19 dicuntur peccata Sodomorum aſcendiſſe in cœlum, atq; adeò ueluti clamaſſe contra patratores, ac uindictam poſtulauiſſe. Sic legimus Ieremiæ 51, peccata Babylonis peruenisſe in nubes uſq;. Nam ubiq; ferè utitur Scripturæ locis Ioannes, quo maiorem authoritatem paret libro ſuo, licet alioqui inſpirato à Spiritu ſancto. Et quidem iniquitates & ſcelera Romæ ueteris ualde inſectati ſunt Satyrici ueteres, Horatius, Iuuenalis, & reliqui poetæ. Extant hodie in Romam, & Romanæ eccleſiæ purpuratos & prælatos, ſcripta acria permulta, & Paſquilli (Paſquillus hodie Satyricus eſt ſcriptor, unus pro multis) innumeri, ut non minus hodie quàm olim peccata Romæ in ipſum uſq; cœlum clamitent.

Deum recordari ſcelerum.

Pergit poſt hæc iterum commemorare plagas & interitum certiſsimum Romæ, qui locus huius capitis tertius eſt, quo egregiè etiam deſcribitur modus uaſtationis & excidij truculentiſsimus. Inducitur enim Deus inſtigans & adhortans milites, & iudicij ſui commiſſarios atque exequutores ad uindictam: & ut ſeueriſsimè exigant pœnas, non parcant, ſed abundantiſsimè retribuant, & ea menſura menſurent, qua Roma menſa eſt alijs. Valet enim hic illa Domini, & communis apud omnes gentes ſententia: Eadem menſura qua metimini, uiciſsim metientur alij uobis, dabiturq́ue menſura bona, preſſa, concuſſa, & ſuperfluens. Ergo quoniam Roma depręda eſt orbem terrarum, & ſeduxit orbem terrarum, meritò, & iuſta Dei ira direpta eſt, & funditùs conuulſa. Id quod Gotthi ſumma fide & diligentia fecerunt: ut dubitare non poſsimus, etiam nouam Romam & ſedem illam apoſtaticam à ſuis hoſtibus, quos parauit Dominus, & ab angelis zizania colligentibus, fruſtulatim diſcerpendam. Quid uerò futurum ſit in alio ſeculo, colligere poſſumus ex eo, quòd toties inculcat, abſq; miſericordia conduplicanda eſſe mala, pœnas, luctum & tormenta. Grauia quidem & horrẽda hæc ſunt. Vtinam fidelibus percipiantur mentibus. Rurſus autem hic locus ueluti uerbotim deſcriptus eſt ex Ieremiæ cap. 50. ubi in hanc legis ſententiã: Vlciſcimini in Babylonem, & ſicut fecit, facite ei. Graſſare & excinde, dicit Dominus, & perfice omnia quæ præcepi tibi. Vaſtate eam, ut nihil ſuperſit. Circumuallate eam, ne quis euadat. Reddite ei iuxta opus ſuum: & ſecundum omnia quæ fecit, facite ei. Quia contra Dominum ſuperba fuit, & contra ſanctum Izraelis. Hæc dixit apud Ieremiam Dominus. Vides ergo unde ſua in præſenti mutuauerit Dominus. Vides quid ſibi quælibet urbs, aut reſpublica, aut homo polliceatur, ſi ditatus ex aliorum incommodo, uoluptuetur & ſuperbiat in hoc ſeculo. Idem eſt enim Deus, & paria ſunt iudicia eius contra omnes impios.

Reddite illi, ſicuti reddidit uobis.

Simul autem cauſas interitus miſcuit, crudelitatem, auaritiam, rapinas, cædes, incendia, quibus totum orbem diu uaſtauit Roma. Sed pergit ſignificantius cauſas etiam alias commemorare: ſuperbiam uidelicet, gloriationem & iactantiam, ſecuritatem, luxum, delicias & uoluptates. Sequitur enim: Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, &c. Et iterum: quia in corde ſuo dicit, Sedeo regina, &c. Etiam hæc mutuò accepit ex Iſaiæ 47, ubi Babylon quoque ſic & totidem uerbis gloriatur. Gloriabatur Roma quondam, ſe mundi eſſe dominam, ſe fore æternam. Nam nummis argenteis incuſſerunt, Romæ æternæ. Nunquã fore putarunt, ut regna auellerentur ab ipſa. Nunquam ergo putauit ſe uiduã futurã. Neq; dubito Germanos à Romanis mutuaſſe ſuã illã uocem Germanicam *rõmen*, per quam intelligunt gloriari & iactare magnificè: quod Ro-

Gloriatio, ſuperbia & ſecuritas Romæ.

manorum ceu proprium ac peculiare uidetur fuisse. Secura fuit. Non putauit se subuer tendam. Dixit, Luctū nō uidebo, *Ich wird kein leyd haben, ich wird allwäg* gaudeamus *singen.* Hodie Romanistæ quoq; cum tripudio iactitāt, nullos Imperatores, nullos reges, nūl los populos, nullos hæreticos & schismaticos (ita uerò appellant hostes Romanæ ne- quitię, uiros pios & doctos) feliciter oppugnasse Romam. Semper oppressos esse hostes Romanæ ecclesiæ, hanc triumphasse de hostib. suis iam ab annis septingentis & octin- gentis & amplius. Fluctibus posse nauiculam Petri grauiter quassari, iactari, adoperi ri, sed non mergi: perpetuam ergo fore Romanam sedem, reginam & dominam regno rum & ecclesiarum omnium, &c.

Peribit dere- pentè Roma.

Verùm audi iam Dei iudicium: Ideo quia superba, gloriosa, secura, impia est, una die uenient plagæ eius. Aretas innuit, per unam diem denotari repentinum excidium: ac tunc perituram, cum minimè putasset. Commemorat autem ordine plagas eius, mor- tem, luctum, famem, & ignem. Et historiæ testantur, hæc ad uerbum per Gotthos in ueteri Roma esse impleta: de qua re antea dixi. ergo nihil dubitamus, ijsdem calamitati bus nouam quoq; Romā fore ab hominib. & angelis Dei lacerandam, & stirpitus euel lendam. Ac ne quis hoc putaret impossibile (nam magna est utriusq; Romæ potentia & maiestas, adeò ut qui dixisset Ioannis seculo, Ruet Roma, rem dixisse uisus fuisset a- deò impossibilem, ac si dixisset, Ruet cœlum) subiungit protinus: Quia fortis est Do- minus Deus, qui iudicabit illā. Ne ergo dubitemus de ruina Papismi. Dominus enim est uerax, iustus & omnipotens. Cui gloria in secula seculorum, Amen.

Threnodia uel luctus & lamentatio Romæ, quam ipsi persoluunt principes & mercatores.

CONCIO LXXVIII.

ET flebunt illam, & plangent se super illa reges terræ, qui cum illa scortati sunt, & in delicijs uixerunt, cum uiderint fumum incendij eius, longè stantes, propter timorem tormenti eius, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna Baby- lon, ciuitas illa fortis: quoniam in una hora uenit iudicium tuum. Et negociatores terræ flent & lugent super illa. Quoniam merces eo- rum nemo emit amplius, merces auri & argenti, & lapidis precioſi: neque margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & coccini, & omne

θύινον

lignum thyinum, & omne uas eburneum, & omne uas de ligno pre- ciosissimo, & ære, & ferro, & marmore, & cinamomū, & odoramen ta, & unguentum, & thus, & uinum, & oleum, & similam, & triticū, & iumenta, & oues, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animas hominum. Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam nequa- quam inueneris. Mercatores horum qui diuites facti sunt, ab ea lon- gè stabunt propter timorem tormenti eius, flentes ac lugentes, & di centes: Væ uæ ciuitas illa magna, quę amicta erat byssō & purpura, & coccino, & deaurata erat auro, & lapide precioso, & margaritis: quoniam una hora desolatæ sunt tantæ diuitiæ. Et omnis guberna- tor, & omnis in nauibus turba, & nautæ, & quicunq; in mari ope- rantur, longè steterunt & clamauerunt, uidentes fumum incendij e- ius, dicētes: Quę similis ciuitati huic magnæ? Et miserunt puluerem

super

ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habebant naues in mari, de precijs eius: quoniam una hora deſolata eſt.

Threnodia & planctus ſuper Roma.

Sequitur quarto loco huius capitis Planctus uel threnodia, aut lamentatio exuſtæ Romæ & exciſæ. Copia eſt mirifica, hypotypoſi euidẽti omnia ueluti oculis ſubijciẽs. Eſt autem Domino Deo noſtro mos familiaris, ut cum euidenter gentis, regni aut urbis interitum excidiumq́; prænunciare, & omnium animis infigere uult, elegiam aut threnos cantare iubeat uates ſuos. Lamentationibus autem huiuſmodi non tantum interitus oſtenditur, ſed & cauſæ interitus, & modus excidij commemorantur: ſimul etiam finis aut uſus indicatur, ne alij ſimiles fiant ei genti, ne & excidij participes fiant. Exempla habemus in literis propherarum perſpicua, Ieremiæ in primis lamentationes, & qui huic loco magis congruunt Tyri threnos ab Ezechiele cãtatos cap. 27 & 28. Et quidem apparet Ioannem inde plurima mutuatum eſſe.

Neque uerò eſt quod his operoſius inhæreamus. ſumma omniũ hæc eſt: Ruet Roma, & interibit funditùs, ut nihil reliquum futurũ ſit uel de imperio uel de ſede illa, nedũ de opib. & uoluptatibus. Id quod partim impletũ eſt in Roma ueteri, partim uerò in noua ad diem iudicij implebitur.

Plangũt reges et mercatores.

Cęterùm nec Chriſtus ipſe, nec Apoſtolus inducitur, deplorãs excidium Babylonis: ſed introducuntur perſonæ impiæ, quæ conſiderandæ primùm ueniunt. Sunt enim reges uel principes terrarum, mercatores & gubernatores nauium uel nauicularij, qui omnes cum hoc ſcorto fornicationem exercuerunt, & ex conſortio eius ditati ſunt. Et quidem uetus Roma inſtructa fuit regum amicitijs: deinde uerò præſides ab ipſis miſſi ad gubernandas prouincias, ſinguli reges ac principes eſſe uidebantur. Et quoniam ingentes erant opes Romæ, ac luxus incredibilis omnes ordines inuaſerat, maximum ibi lucrum faciebant mercatores. Sed & nauigationes inſtitutæ erant Romam ex oriente, meridie & occidente, ex Syria inquam, ex Aegypto uel Aphrica, & ex ipſa Hiſpania, extimisq́ue mundi partibus. At cum deſtructa in ruinis iaceret Roma, & fruſtillatim diſcerptum eſſet imperium, non potuerunt nõ lugere, quibus perierat ſimul & lucrum & uoluptas.

Mercatores Romæ nouæ.

Habet etiam noua Roma præter illos tẽporarios, etiã peculiares ſuos mercatores & principes. Nam prẹlati eccleſiaſtici principes ſunt. Ac in Romana eccleſia exerceri mercaturam, norunt ſancti Dei omnes. Quid enim rerum ſacrarum in ſede illa uenale non eſt? Mercatura exercetur in remiſsione peccatorum, in indulgẽtijs & ſatisfactionibus, in beneficijs eccleſiaſticis, & imaginum diuorumq́ue cultu, in miſsis, in ſepulturis & iuſtis exoluendis defunctis, & in rebus propè omnibus ſpiritualibus. Inde eſt lucrum immodicum & materia uoluptatum ampliſsima. Mercatores alij magno precio merces ſibi comparant: Romanenſes Cananæi, ne teruncio quidem emunt merces ſuas, ſed diuendunt eaſdem immenſo precio. Neque puto ullam unquam fuiſſe mercaturam huic ſimilem in mundo, neque quæſtum uberiorem ex re nihili. Attigit iſta & Eraſmus in Prouerbio, A mortuo tributum petere. Cæterùm cũ ante iudicij diem ſpiritu oris ſui Chriſtus Dominus interficiat Antichriſtum, & quęſtus ille imminui incipiat, uidemus quales ubique inter ſpirituales mercatores exoriantur querelæ & quiritationes. Qualem ergo futuram putamus lamentationem & planctum, ubi idem Dominus aduentu ſuo eundem Antichriſtum aboleuerit prorſus, ac incendium ſempiternum erit ſubeundum?

De planctu.

Deinde conſiderandus erit nonnihil & planctus. Plangere per ſe, peccatum non eſt. Planxerunt enim mortuos ſuos, & ſuas calamitates, interitum urbium & regnorum, optimi & ſanctiſsimi quique. Plangit enim Abraham. Extant threni Ieremiæ, ſuper urbe Hieroſolymorum. Plangunt fideles planctu magno Stephanum, in Actis. Cæterùm in lamentatione ſeruarunt modum, & retulerunt omnia ad gloriam Dei, animarumq́ue ſalutem. Non ea ratione plangunt impij & mundani homines. Nunquam his in mentem ueniunt hominum peccata, propter quæ mundum punit iuſtus

Dominus, neque mala ſua & ſuorum referunt ad gloriam, ueritatem iuſticiamq; Dei, uel ad emendationem morum: ergo non dolet ipſis offenſum eſſe Deum, nec ueniam poſtulant peccatorum: ſed dolet ipſis, ablatam eſſe peccandi opportunitatem, uoluptates, lucrũ uel emolumentum. Et in præſenti plangunt principes, mercatores & nauiculatores, non propter amiſſum Dei fauorem, non ex uera ſympathia & amore proximi, ſed ex ſtudio ſui ipſius, propter res terrenas deperditas, propter deſtructas res elegantes, uetereſ, robuſtas, precioſas: maximè uerò propter lucrum amiſſum, & diſsipatas uoluptates. Vtriuſque doloris meminit Apoſtolus in 2. ad Corinth. 7. cap. Et quidem hic dolor & planctus nihil aliud eſt, quàm deſcriptio ſeu adumbratio certiſsimi uaſtiſsimiq́ excidij & hominum impiorum. Eleganter uerò planctum cùm in habitu plangentium, tum ex eorum uerbis proponit. Ad habitum pertinet quòd flent, clamant, plangunt, puluereq́ capitibus ſuis imponunt. Ad uerba referuntur hæc, Væ, uæ, ciuitas illa magna, &c. Id quod repetitur à mercatoribus & nauiculatoribus.

Luxus, uoluptas & deliciæ Romæ.

Præterea attingũtur hic quoque interitus cauſſæ, luxus & uoluptates, quibus diffluxit Roma. Simul commemorantur luxus, opes, maieſtas, ſuperbia & delicię utriuſque Romæ. Admonentur obiter, quid omnes mundani homines expectent, ſi ſe implicent uoluptatibus & luxui huius ſeculi: qui Romæ fuit & eſt immenſus. Neque legimus in ullis hiſtorijs, diu perſtitiſſe gentes, deditas ac fractas uoluptatibus delicijsque. Aedificare, edere, bibere, ueſtiri, & ſeruos atque ancillas habere licet: ſed ſeruandus eſt & in his, ut in rebus omnibus, modus: agnoſcenda Dei beneficia, non præferenda ſunt illa pietati. Atqui Romæ & in mundo, præterita pietate & modo, iſta tantum ſpectantur, deſiderantur & diliguntur. In ædificijs & ſupellectile omnia erant ſumptuoſa & immoderata. Aurea ſunt, quæ uel fictilia uel ſtannea eſſe poterant: argentea, quæ lignea. Et cum lignum deligebatur, non quoduis lignum, ſed θύινον thyinum, id eſt præſtantiſsimum (quod appellamus nos *edel holtz*) deligebatur. Thyinum dictum appareat à Thyia arbore, cui Theophraſtus magnum tribuit honorem, memoratas ex ea referens templorum ueterum contignationes, quandamq́ immortalitatem materiæ in tectis contra uicia omnia incorruptæ, &c. Hæc Plinius lib. 13. cap. 16. In ſeruitio quoque ita utuntur hominibus, ut pecoribus: neque iumentis niſi ſelectiſsimis utuntur. Sunt illis equi & muli præſtantiſsimi. Sunt illis lecticæ & rhedæ & currus inſignes: auro, gemmis & oſtro nitent omnia: ad ſuperbiam & luxum compoſita ſunt omnia. Quid quod ſeruorum agmina quoque ſericea incedunt tota, dominorum colores gerentia? Ipſe Dominus omnium, inſidens humeris ſuorum belphonierorum ſublimis portatur, & corporibus hominum ceu uehiculo nobiliſsimo uehitur. In cibo & potu iſtorum hominum omnia ſunt delicatiſsima, exquiſitiſsima, uariaq́. Potus ipſorum eſt precioſus, peregrinus & immodicus. Cultus corporis quoque immoderatus eſt. Radiant ueſtes auro, & rigent margaritis. Vulgaris ipſorum ueſtis, eſt byſſus & ſericum, *ſyden vnd ſammat*. Vtuntur & unguentis & pomis deſiderij: id quod & de fructibus arborum poteſt intelligi, & de pomis aureis continentibus moſcum, & gratum re dolentibus, uel odoramenta ſpirantibus, quæ appellamus *byſemõppffel*, &c.

Finis & exitus uoluptatum.

Poſtremò conſiderandum in his omnibus, quis finis aut exitus ſit luxus, ſuperbiæ atque uoluptatum, & quàm inſtabilis ſit hominum fauor & amicitia. Intereũt hic ſemel omnia, nihil manet integrum. Et pereunt quidem una hora, quæ parata fuerunt annis plurimis. Diffugiũt à nobis in diſcrimine, qui maximum ex nobis lucrum perceperunt. Quinimò à longè & poſt principia ſtant, & ſortem deplorant iniquam: nemo accedit ut liberet. Quilibet ſuæ cuti timet. Diſcamus itaque fidere Deo, ſpernere uoluptates, nihil fidere carni & ſocietatibus hominum. Nam tempore felici, multi numerantur amici: ubi uerò nubila cœperint eſſe tempora, omnes diffluũt, ac te qui illis confidebas, relinquunt in periculo. Eſt & hic finis horum præcipuus omnium, quem & initiò indicauimus: Ruet Roma, & deſolabitur perpetuò.

Dominus Deus noſter coherceat omne malum. Amen.

Exul-

Exultatio ſanctorum de fracta & deleta Babylone, eiuſdemq; demerſio, & cauſæ demerſionis uel excidij commemorantur.

CONCIO LXXIX.

EXulta ſuper eam cœlum, & ſancti apoſtoli & prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium ueſtrum de illa. Et ſuſtulit unus angelus fortis lapidem, quaſi molarē magnū, & miſit in mare, dicens: Sic impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & ultrà non inuenietur. Et uox citharœdorum, & muſicorum, & tibicinum, & tuba, non audietur in te amplius: & omnis artifex cuiuſcunq; artis non inuenietur in te amplius, & uox molæ non audietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit in te amplius, & uox ſponſi & ſponſæ nō audietur poſthac in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in ueneficijs tuis errauerunt omnes gentes: & in ea ſanguis prophetarum & ſanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.

Quinto loco huius capitis adhortatur angelus Domini, omnes ſanctos cœlites ad exultandum, idq́ue ob Babylonem deletam. Opponitur autem hæc ſanctorum exultatio planctui impiorum. Nam ut hi dolent, præreptas eſſe ſibi uoluptatū cauſas: ita ſancti exultant de oppreſſa impietate, & uindicata Dei gloria. Prohibetur quidem in Prouerbijs Solomonis & in doctrina Chriſti & apoſtolorum, ne lętemur de inimicorū noſtrorum calamitatibus, néue maledicamus aut malefaciamus hoſtib. noſtris. Id quod perpetuum eſt, & omnibus mandatum hominibus, neque ulla unquam diſpenſatio ne mutandum: ſed obſeruandum eſt interim, homines diuerſa ratione gaudere. Lætantur homines non rarò de interitu hoſtium ſuorum, idq́; ex odio & affectu prauo: quod non fit citra peccatum. Lætantur rurſus alij de impiorum calamitatibus & ſupplicijs, nulla tamen cæcati inuidia erga illos qui ſubijciuntur calamitatibus: quibus alioquin meliorem optaſſent ſortem, ſi ipſis conuerſio perſuaderi potuiſſet: ſed gaudent potius de uindicata iuſticia, & aſſertis pijs ab impiorum tyrannide. Vnde Pſalmo 58 legimus dixiſſe prophetam: Lætabitur iuſtus, cum uiderit uindictam, pedes ſuos lauabit in ſanguine impij (affectus nimirum & prauos ſuos mores repurgabit, cum uiderit impij ſanguinem effuſum: id quod factum credit in documentum, ne ſectemur affectus noſtros prauos, fundaturq́; mox ſanguis etiam noſter à iuſtiſsimo Deo per ſuos cōmiſſarios) Et dicet homo: Certè fructus eſt iuſto, certè eſt Deus iudicās in terra. Lætantur ergo & iuſti, & lætantur quidem, cum uiderint uindictam. Non dicitur aūt, quòd appetant, & uotis imprecentur uindictam. Mihi, inquit Dominus, uindicta, ego retribuam. Cum ergo Dominus retribuit, lætantur propter liberationē, & propter aſſertam confirmatāq́; ueritatē: non aūt gaudent ex odio quo laborarūt erga oppreſſores, quos perditos damnatosque optarunt. Semper pij optant conuerti impios, & redire cum Deo in concordiam. Cæterùm cum uident illos nulla moueri pœnitentia, ſed obſtipo collo progredi & ruere in proprium exitium, Deumq́; illos intercipere, in ſalutem fidelium & liberationem piorum: exultant pij de hac liberatione, & laudant Dei iuſticiam. Quanquam interim perpetuò maluiſſent, ſi fieri potuiſſet, perditos aliter uitam ſuam inſtituiſſe: nunc uerò cum aliter fieri non potuit, per ipſorum obſtinatam maliciam, non obloquuntur Dei iudicijs: ſed illa potius laudant. Hæc ſcilicet faciunt iuſti in terris. Iuſti uerò cœlites cum ſint repurgati iam ab omnibus affectibus, purgatiſsima prorſus eſt ipſorum exultatio, ut ſuperuacāneum ſit de ea operoſius diſputare. Cum autem cœlites exultent de interitu impiorum, facile licet æſtimare, quantum errent, qui fidunt patrocinio uel ſuffragijs Sanctorum: cum interim de im-

Exultatio ſanctorum ob Romam deletam.

Lætari ſanctos de interitu impiorum.

pia ſua uita nihil mutent prorſus. Facile erit & eorum ſolicitudinem diſcutere, qui metuunt ne ipſis quoque ſit dolendum, uidentibus damnatos eſſe ſuos fratres, ſorores, amicos & neceſſarios. Nam ſancti uoluntati Dei planè aſſentiuntur, & prædicant Dei iudicia, ac de ipſis exultant, dolere non poſſunt amplius.

Exulta cœlum. Iubet autem exultare cœlum, ſicuti in Pſalmis ſæpe legimus eandem phraſim: niſi per cœlum, intelligere malis cœlites, in cœlo uidelicet habitantes, quales eſſe credimus apoſtolos & prophetas. Eo enim tempore, cum hæc ſcriberet Ioānes, omnes propè cæſi fuerant apoſtoli. Sciendum eſt autem, à Romana beſtia deuoratum eſſe, id eſt afflictum & occiſum, non tantum Dei filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: ſed Ioannem quoque baptiſtam, omnes Dei apoſtolos, & omnes Chriſti martyres. Per prophetas intelligimus non tantum ueteres illos, ſed omnes fideles Euangelij prędicatores. Nam ſuperius non ſemel audiuimus, prophetas appellari præcones uerbi fideles. Rationem porrò ſubiungit, cur debeant exultare: Quoniam iudicauit Deus iudicium ueſtrum de illa. Etenim in 6. cap. animæ martyrum ſub ara clamant: Vſquequò Domine non uindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui ſunt in terra? Iam ergo laudant Dei iuſticiam, qui ut tunc promiſit ſe uindicaturum, ita nunc uindicauit.

Diui non puniunt impios. Diſcimus autem ex hoc loco, omne iudicium datum eſſe filio, & nullum cœlitem iudicare aut punire poſſe hominem prauum in terra. Falſiſsimum eſt enim, quod docentur diui ſuos punire hoſtes: Antonium igni ſacro, Valentinum morbo comitiali, & alios alijs morbis. Deus ſolus, ſicuti & 16 cap. multis expoſitum eſt, punit, morboſque tollit & immittit. Certiſsimum eſt autem, cùm ex hoc in primis, tum ex alijs compluribus huius libri locis, Deum non dormitare, ſed ſuo tempore certiſsimè uindicare & punire. Tradiderant morituri martyres, omne ſuum iudicium Domino Deo. is iam iudicat ſanctorum iudicium de Roma: id eſt, iuſto ſuo iudicio uindictam ſumit de Roma, quòd iniquo iudicio oppreſsiſſet ſanctos.

Sexto loco huius capitis redit iterum ad deſcriptionem Babylonici excidij. Eſt autem clariſsima, adeoque ocularis quædam & euidens demonſtratio, per chriam uel paradigma. Lapide enim, molaris inſtar magnitudinis, ſublato, proijcit illum in mare. ſimul expoſitionem huius facti ſubiungēs, ait, Sic derepentè & per impetum (ὁρμήματι) proijcietur Babylon, &c. Sumptus eſt hic locus ex fine 51. cap. Ieremiæ, ubi ſimilia ad uerbum propemodum legis. Inducitur autem in præſenti angelus fortis, ne cogitaremus robur Romę ualidius fortaſsis eſſe, quàm quod poſsit confringi. Confringetur autem à forti angelo. Cæterùm quæ demerguntur protinus, nuſpiam apparent amplius. Significatur ergo, repentino interitu ruituram Romam, ut ne ueſtigium quidem futurum ſit reliquum, adeoque nullo ruituram negotio: *Sy wirt machen plumpp, vnd nienen me ſin.* Porrò Dominus in Euangelio, ſcelus ſcandali aſſerit, molari in collum ſuſpenſo eſſe plectendum: quinimò non ſatis graue eſſe ſupplicium, quantumuis apud Syros infame & probroſum haberetur, cum ſcelus mereatur lōgè maiori atrociori ue pœna puniri. Vnde Primaſius exiſtimauit, obiter hic ſignificari, Babylonem, propter ſcandala orbi obiecta, mari immergendam, ad collum ueluti alligato molari. Certè ſi ulla unquam urbs, ſi ullum regnum offenſionibus maximis infeſtum fuit, & ſcandala innumera obiecit Chriſtianis: Roma & Romanum imperiū, atq; adeò Papatus eccleſiæ maximè ſcandalo nocuit, ac nocet adhuc. Vnde dubiū nō eſt, grauiſsimè punitam eſſe, & adhuc mulctandam fore à Domino.

Demergitur Babylon in mare.

Deinde ſermonibus propheticis figuratiſque ſignificat uaſtitatem inſignem, atque adeò locum illum in æternum, nunquam porrò habitandum. Similes loquutiones inuenies Iſaiæ 24, & Ezech. 26, & aliàs ſæpe. Concidet, inquit, omnis uoluptas, præſertim quæ capi ſolet ex Muſica. Ceſſabunt artes. Breuiter, nulla erit amplius ibi hominum habitatio.

Cauſæ uaſtationis. Septimo & ultimo loco ſubijciuntur iterum cauſæ huius uaſtationis, & inſignio-
res quidē tres. Prior: Mercatores tui fuerūt principes terræ. Qui enim mercaturā exercuerūt in Romana eccleſia, & exercēt adhuc, principes ſunt ferè. De qb. ſuperius dixi. Notatur ergo ſuperbia, auaritia, luxus. Aretas: Mercatores eos dicit, ait, qui orbē terræ per-

perinde ac nundinas quasdam inuertunt atque perturbant, &c. Posterior: quia inueneficijs tuis errauerunt omnes gentes. Non dubium est ueneficia magiamque regnare in Babylone, & ibi reperiri copiam genethliacorum, necromanticorũ & ueneficorum: apparet tamen hic pręcipuè significari seductio, idololatria & impietas, aut error doctrinæ. Talis uenefica fuit Iezabel, sicuti claret 4. Reg. 9. Quæ & ueneficia reuera exercuit, & corrupta religione homines dementauit. Ita uerò Roma totum orbẽ seduxit, & seducit. Quo nomine grauissimè puniri meretur. Postrema excidij causa: Quia sanguis in te inuentus est. Non abstergitur aut emundatur sanguis effusus ab ijs, qui effundunt sanguinem innoxium. Licet autem non statim requiratur: erit tamen tempus, quando requiretur à Deo, tunc autem inuenitur. Triplicis autem sanguinis mentionem facit. Principiò prophetici, eorum inquam qui prædicarunt Euangelium, & patres fuerunt fidelium. Deinde sanctorum, utiq; martyrum. Postremò, omnium qui interfecti sunt in terra, nimirum promiscuè habitantium per orbem hominum: quos Romanis bellis, seditionib. & tyrannide Romana sublatos & exhaustos intelligimus. Sic in Ieremiæ quoq; oratione prima legimus, Deum seueriter requirere effusum suorum sanguinem. Omnis quidem sanguinis effusio grauis est (excepta ea quæ iustè fit per magistratum) altera tamen grauior est altera. Qui enim doctorem Euangelij cædit, grauius peccat, quàm qui uulgarem intercipit hominem: & qui propter religionẽ ueram hominem interficit, & martyrem facit, grauius peccat quàm qui in bello hominem perimit. Ergo uniuersus sanguis à Roma, quoquo modo effusus, requiretur à Roma, & requiritur. Sic loquutus est & de Hierosolymorum urbe Dominus, Matth. 23. Dominus Iesus misereatur nostri, & respiciat nos oculis misericordiæ suæ. Amen.

Sanguinis effusio.

Gratulationes & hymni sanctorum recitantur propter Romam uastatam, & omnem impietatem sublatam.

CONCIO LXXX.

ET post hæc audiui uocem magnam turbæ multæ in cœlo dicentis, Alleluia, Salus & gloria, & honor, & potentia Domino Deo nostro. Quia uera & iusta iudicia eius, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terrã prostitutione sui, & uindicauit sanguinem seruorum suorum de manu eius. Et iterum dixerunt, Alleluia. Et fumus eius ascendit in secula seculorum. Et prociderunt uigintiquatuor seniores, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum, sedentem super thronum, dicentes: Amen, Alleluia. Et uox exiuit de throno, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis eum, pusilli & magni, Et audiui uocem turbæ multæ, & sicut uocem aquarum multarum, & sicut uocem tonitruorũ magnorum, dicentiũ: Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ agni. CAP. XIX.

Quoniam apostolus hoc libro copiosissimè describit oppressionem sanctorum, & crudelem, atrocem, petulãtemque insultationem persequutorum Euangelij, qua & Deo illudunt, & sanctos excruciant, unde omnib. semper seculis querelę piorũ etiam hominum exortæ legũtur, quasi Deus longanimitate & patiẽtia magna, oppressos negligere uideatur: copiosissimè etiam prosequitur in præsenti sanctorũ tripudia & laudes, quibus extollũt Dei ueritatẽ & iusticiã, nũquã negligentis suos, & grauissimè animaduertentis in impios persequutores. Gratulãtur autem hic maximè, & Deum laudant ob sublatum Antichristum, & omnem cum ipso impietatẽ. Qui quidem primus est

Nusquam cultores suos destituit Deus.

est huius capitis locus. Secundus confirmat omnes sanctos, ne quid de salute addubitent fidelium, quam certissimam esse ostendit. Tertius locus commemorat peccatum beati Ioannis: & beati angeli fidelem doctrinam de non colendis ullis, quãtumuis sanctis creaturis. Postremo loco describitur iudex, uel uindex Iesus Christus, in iudicium uenturus: describitur item exitium & supplicium omnium impiorum, quod de ipsis sumit iustus & sanctus Dominus. Qui quidem locus cœptus cap. huius lib. II. & hactenus suspensus, repetitus 14. nonnihil, nunc demum absoluitur.

Ac uarius quidem, copiosus & multiplex est iubilus sanctorum, de perditis abolitisque hostibus piorum. Principiò audit uocem, & quidem magnam, turbæ multæ in cœlo. In genere ergo ostendit, omnes cœlites, angelis non exclusis, laudes canere Deo in cœlis. Id quod intelligimus futurum ultimo in iudicio, calcatis impijs omnibus. Prius autem, hæc quàm fiant, commemorãtur & describuntur, ut per hæc se pij in discriminibus & tormentis consolentur, firmique in uera fide permaneant: credentes se quoque, licet nunc oppressos, epinicium Deo cantaturos.

Et quidem contexit hic integrum hymnum, dictum in laudem Dei uindicis. Præ-
Alleluia. ponit Alleluia: deinde subijcit laudes, Salus & gloria, &c. Significat autem Alleluia, laudate Dominum. Vtitur uoce usitatissima, & omnibus in ueteri ecclesia notissima. Habent enim aliquot Psalmi hunc titulum, Halleluiah. Nam præcentor sic hortabatur & excitabat populum, ad laudandum Deum. Itaque eodem modo in præsenti ueluti argumentum hymni sui complectentes sancti, dicunt, Alleluia. Plus autem habent gratiæ hæc uocabula in nostris uel peregrinis linguis usurpata, quàm trãslata. Sic manfit in ecclesia, Osanna, Amen, Sæla, Maranatha, & alia nonnulla. De quibus & Hieronymus ad Marcellam & Damasum.

Hymnus sanctorum. Sequitur iam hymnus: Salus & gloria & honor, &c. Laudant autem illa in Deo, & in solidum ipsi tribuunt. De quib. dixi, dum explicarem cap. huius lib. 4 & 5. Præterea laudant Deum, ab eo quòd in hac causa præcipuum est: quia uera & iusta iudicia eius. Quæ sententia omnium peccatoribus altissimè insculpenda uidetur, ut quæ in tentationibus erigere potest non uulgariter. Cur autem iudicia Dei uera sint & iusta, subijcit, Quia iudicauit de meretrice magna: id est, supplicium sumpsit iustum & commeritum de meretrice magna. Visus est hactenus multis Dominus nimium esse lentus, nimiumque indũlgere Romæ, & ecclesiæ Romanę: tunc uerò cernent iustissimum esse Deum. De meretrice dictum est satis superius.

Repetit hic tamen atrocissima & maxima eius peccata uel scelera. Prius, Corruptela per prostitutionem & ueneficia. Significatur seductio per adulteratam & impiam doctrinam. Posterius, Effusio sanguinis sanctorum martyrum. De utroque dictum est iam sæpius. Punit ergo Deus corruptelam doctrinæ, & crudelitatem Romanæ ecclesiæ in sanctos Dei exercitam.

Laudes Dei Deo gratæ. Cæterùm ut in initio cecinerunt Alleluia, ita & in fine id ipsum repetunt. Hac repetitione ostendentes, laudes quas nunc etiam Deo effundimus in terris, Deo gratissimas esse. Et adiungitur mox sententia, quę uideri poterat uel à Ioanne adiecta esse, uel ab ipsis diuinis cœlitibus apposita. Significatur autem ea, incendium impiorum fore perpetuum, nulloque fine terminandum, quod & Isaias dixit cap. 30. & 66, & Do-
Fumus ascendit. minus ipse apud Matth. in 25. & Marcum in cap. 9. Cum enim fumum dicit, ignem subesse intellexit. Hæc scilicet cogitemus, quoties nobis blandiuntur uoluptates & Antichristianæ commoditates. Perpetuus enim hic ignis pręparatus est omnibus impijs, Antichristianis maximè. Deinde speciatim inducit laudantes Deum uiginti quatuor illos seniores, & quatuor animalia, per quæ uniuersitas creaturarum intelligitur. De qua re uide quæ dicta sunt cap. huius lib. 4 & 5. Principiò autem non tantũ procumbunt, sed & procidunt, ut quid in terris faciamus, intelligamus. Adorant autem, & sedentem quidem in throno Deum, non angelos, non spiritus, non ullas creaturas. Porrò duabus uocib. hymnum ipsorum adumbrat. Canunt enim, Amen & Alleluia. Nam confirmant, Deum esse iustum, & iudicia eius esse æqua, & iustè ipsum animaduertere in meretricem. Ideoque laudandum.

Iam

Iam etiam exit uox de throno, nimirum ab ipso Deo, sed per ministerium angeli. Sequitur enim: Laudem dicite Deo nostro. En Deo nostro, inquit. Numerat ergo se hic inter eos, qui Deum communem habent cum hominibus. Angelus ergo erat, qui ex Deo illa recitabat. Nunc ergo quod faciunt sancti, facere iubentur. Nam in medijs laudibus auditur hæc uox à Deo per angelum. Iubet autem laudare, & quidem Deum unicum & uerum. Exponit item, qui laudent: Omnes sancti, hoc est Dei timentes, siue parui siue magni sint. Significatur ergo hoc mandato, Deum affici laudibus hominum sanctorum, placere illas. Vnde iam qui in terris degimus, discimus laudare Dominum sine intermissione, & ex sincero corde. Discimus neminem excipi, cuiuscunque tandem sit gradus aut ætatis, sexus aut conditionis. *Exit è throno uox.*

Alius iterum hymnus subiungitur, ueluti obedientiæ exemplum. Iusserat enim Deus per angelum laudare sanctos. Obediunt ergo nunc Deo, & laudes ei offerunt. Quantæ autem fuerint hæ laudes, duplici comparatione ostendit, & mira quidem breuitate, euidentia quoq; uel hypotyposi. Ait enim, uoces canentiũ fuisse sonoras ceu aquarum, & quidem multarum strepitum: item ueluti tonitruorum, & quidem magnorum fragorem. Si huiusmodi breuitas & euidentia in Homero aut Vergilio inueniretur, inueniret plurimos admiratores, & qui exornarent & commendarent elegantiam. Scripturas sacras, & ipsorum elegantiam & enargiam, exemplo carentem, nemo miratur, nemo exornat. Rursus autem attexitur hymnus, cuius initium, ut & superioris, est Alleluia. Sicuti autem superiori hymno celebrarunt sancti, Deum iustè punire impios: ita in hoc prædicant Deũ regnare, atq; uidebitur uel gratis seruare sanctos. Iubent ergo laudare Dominũ. Ratio: Quoniã cum sit omnipotens, regnat. Regnauit quidem semper: sed cum impijs tanta per ipsum sunt permissa, uisum est multis, impios, & in primis Antichristũ, regnare: nunc uerò cum hunc oppresit, & gloriã suam simul & cultores suos asseruit, manifestum fit omnibus, Deũ solum regnare à seculo in seculum. Adijciunt & aliam causam, cur laudandus sit Deus, imò cur gaudendum & exultandum pijs: Quia uenerunt nuptiæ agni. Quia aduenit iam hoc tempus, quo agnus ipse Dei filios, dilectam suam sponsam, eos inquam quos fuso sanguine redemit, in æterna gaudia uult inducere. De nuptijs, paulo pòst copiosiora dicentur. Laus & gloria sit redemptori nostro Christo Domino. *Laudes diuinæ sint maximæ.*

De nuptijs agni, & præparatione sponsæ agni.

CONCIO LXXXI.

ET uxor eius præparauit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino puro & splendido. Byssinum enim iustificationes sanctorum sunt.

Celebrant sancti Dominum laudibus, gratulationib. & hymnis. Causæ sunt innumeræ: duæ tamen insignes præ alijs. Prior, quia iudicauit Dominus meretricem, & uindicauit sanctorum sanguinem. Posterior, quia uenerunt nuptiæ agni. Exultant itaq; de Dei iusticia, qua supplicium sumpsit de impijs: & de clemẽtia eius uel gratia, qua uitam beatam donat pijs. Obiter uerò dicendum est de nuptijs.

Frequentissima est mentio coniugij & nuptiarum in sacris literis utriusque testamenti. Id uerò minimè ad literam, sed per allegoriam est exponendum: ne cum Turcis aut Mahumetistis incidamus in absurditates probrosas & monstrificas. Etenim rebus corporalibus adumbrantur spiritualia. Spiritualium hæc est summa: Deus pater amator generis humani, homines seruare uult per filium. Ea res exponitur parabola coniugij & nuptiarum. Sunt autem in coniugio sponsalia, est connexio uel coniunctio utriusque, sunt denique nuptiæ. *Coniugium & nuptiæ.*

Sponsalibus non tantum despondentur iuuenis & puella, sed simul cõstituitur tota ratio coniugij futuri. Dicunt enim iurisperiti, sponsalia esse promissionem siue contractum, stipulationem futurarum nuptiarum. Sponsalia hæc facta sunt ab exordio mundi, dum Deus promittit se liberaturum humanum genus per filium, recepturumq; *Sponsalia.*

pturumque in gloriam. Huc pertinent omnes promiſsiones de Chriſto, de remiſsione peccatorum & uita æterna. Præſcribuntur item officia ſponſæ. Spondet ſe futuram obedientem, & alia, &c. Chriſtus Dei patris filius, ſponſus, deſpondet ſibi omnes electos gratia ſua mera: promittit illis ſuam iuſticiam, omnia dona cœleſtia, & uitam æternam. Recipit præterea in ſe omnes infirmitates ſponſæ, & repurgat eius ſordes. Sponſa uerò deſpondetur ipſi fide, ut eſt apud Oſeam, & ſe totam illi debet: ad cuius etiam uoluntatem & legem ſe totam componit. Eſt enim corpus capitis uiui. Sicut Paulus dicit Epheſ. 5. Paranymphi, ſunt prophetæ, patriarchæ, apoſtoli. Sic Ioannes baptiſta, Ioan. 3. appellat ſe amicũ ſponſi. Addit, Chriſti eſſe ſponſam. Paulus 2. Cor. 11. ait: Deſpondi uos uni uiro uirginem caſtam, &c. Huc pertinere uidetur Ezech. cap. 16.

Coniunctio. Connexio autem, uel coniunctio utriuſque fit poſt deſponſationem, certis cæremonijs: coniunctis uidelicet manibus & uerbis conceptis, datur arrhabo uel annulus, &c. At mox ab initio fœdus & coniunctio quoque inter Deum & homines facta eſt, quæ ſæpe legitur non ſine cæremonijs, uerbis certis & ſacrificijs reparata, ueluti per Abrahamum, Moſem atque alios. Obſtringit ſe hominib. Deus, & homines ſibi. Sacramenta intercedunt. Huc ſpectant illa omnia, quod Deus coniunctus eſſe uelit homini, & homines ſibi obſtrictos, & omnia ſua nobis bona communicata. Omnium autem arctiſsimè connexum eſt hoc connubium, dum Dei filius in unam atque eandem perſonam ſibi uniuit carnem, & per Apoſtolos prædicare iuſsit omnibus gentibus, ſe communionem habiturum cum fidelibus. De ea communione multa paſsim leguntur in

Arrha. ſacris literis. Arrhabonem autem fidei & coniunctionis æternæ dedit, non annulum aureum, ſed ſacramenta potius: imò Spiritum ſanctum, ſicut Paulus ait 2. Corinth. 1. & Epheſ. 1.

Nuptiæ. Nuptiarum uerò ſolennitas celebrabitur in reſurrectione mortuorum. Animæ quidem rectà à morte corporea tranſeunt in uitam æternam: ſed nondum facta eſt plena reſtitutio & ſalus hominis, niſi & corpus accedat. In reſurrectione ergo ueniũt nuptiæ agni, id eſt, Chriſti redemptoris. Tunc obuiam ferimur Chriſto in aera, tunc ille ſponſam ſuam inducit in thalamum beatæ & æternæ gloriæ, tunc exhibebitur opipara illa cœna, tunc ſponſa perfruetur æternùm ſpõſi amoribus. Hæ ſcilicet erunt nuptię agni. Iucundiores uerò erunt, quòd electo ſcorto & condemnato, matrona iam plenum & ſolidum gaudebit gaudium. De hoc gaudio, & his nuptijs, gratulantur ſancti cœlites.

Præparatio ſponſæ ad nuptias. Cæterùm commemorant ſancti, hic quoque quandam ſponſæ præparationem, ut obiter quid pios deceat, & cui rei in poſtremo ſeculo ſtudeant, intelligãt. Præparemus nos ad occurſum ſponſi. Nam in horas expectamus iudicem. Præparamus autem nos non una hora uel die, ſed tota uita, & per omnem uitæ curſum. Quomodo autem præparemur, exponit ipſe Dominus parabola decem uirginum. Ornemus nos uera fide in

Matth. 25. poſtremis temporibus cõtra Antichriſtianiſmum. Ornemus nos operibus charitatis,

Lucæ 21. operibus item iuſticiæ, caſtitatis & temperantiæ: ne ebrietate, ſanguine, & curis huius ſeculi corrumpamur & defœdemur.

Veſtis ſponſæ. Porrò ne quis hanc præparationem tribueret ſuo merito, & ſuis uiribus uel uirtutibus, ſimul etiam uideamus præparationem illam in primis in paranda ueſte conſiſtere: mox ſubijcit Ioannes, Datum eſſe ſponſæ ut cooperiat uel ueſtiat ſe. Si datum, ergo nõ opera & uiribus noſtris paratum, 1. Corinth. 4. Si datum, ergo non emptum per contractum Papiſticum. uide Actorum 8. Sed & genus ueſtimenti exprimit, byſſo mundo uel puro, & ſplendido uel fulgido. Legimus enim & in Euangelio de ueſte nuptiali. Apoſtolus ſubinde hortatur, ut induamur Domino Ieſu. Allegorica hæc ſunt. Sed & in præſenti genus hoc ueſtimenti mox exponens, ait: Byſsinum, iuſtificationes ſanctorum

Iuſtificationes. ſunt. Sanctos appellat fideles. Cum autem ſit una tantũ iuſtificatio fidei per Chriſtum,

1. Ioan. 3. Ioannes plurali numero effert iuſtificationes. Nam qui gratis propter Chriſtum per fidem ſolam iuſtificati ſunt, opera mox iuſticiæ uaria & multa edunt. Nam qui iuſtus eſt, ait idem Ioannes, is facit iuſticiam. Sunt ergo iuſtificationes, nimirum iuſticia fidei iuſtificans, & iuſticia operum iuſtificans: id eſt, iuſtificatos nos eſſe ſola fide, declarans. Purgamur enim ſanguine Chriſti gratis, id quod fide recipimus: & plenè iuſtifica

mur,

mur, teſte Paulo Rom. 3. Deinde qui iuſti ſunt, uaria opera iuſticiæ faciunt, & probant ſe Deo. Ita non nudi, ſed induti apparent ueſte nuptiali: ſicuti & tertio huius libri capite attigimus.

Significanter autem appellatur ueſtis ſponſæ pura uel munda, non propter ſemetipſum, quam ſemper ſcimus carne eſſe impeditam & infirmam: ſed propter ſanctificatorem ſpiritũ, & ſanguinem filij Dei: ut teſtatur Paulus Epheſ. 5. & 1. Ioan. 1. Veſtis præterea fulgida & ſplendida eſſe dicitur, idq; propter futuram ſanctorũ clarificationẽ: cuius mentio fit Danielis 12. & Mat. 13. cap. Ex iuſticia enim ſequitur gloria. Quos enim iuſtificauit, eoſdem & glorificauit. Illi ſit laus, honor & gloria, Amen. *Veſtis pura & ſplendida.* *Rom. 8.*

De certitudine ſalutis Sanctorum, & quid uel qualis ſit beatitudo uel ſalus.

CONCIO LXXXII.

ET dicit mihi, Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarũ agni uocati ſunt. Et dicit mihi: Hæc uerba Dei, uera ſunt.

Secundus locus huius capitis eſt, de certitudine ſalutis fidelium: ubi obiter ſignificatur, quid & qualis ſit beatitudo credentium. Etenim cõpiose iam dictum eſt de nuptijs agni, id eſt de beatitudine & gloria electorum: at ſuggeruntur homini in hac uita, uaria, quæ in dubium uertunt ſalutem, eamq; ueluti incertam reddere conantur, ideoq; nunc animi uacillantes confirmantur. Vtilis eſt hæc doctrina, afflictis tentatisq; conſcientijs, & expugnat ac proterit ſophiſtarum doctrinam, perhibentem, nunquam hominem ſuæ ſalutis eſſe certum, eo quòd alibi dixerit Sapiens: Neſcit homo, amore an odio dignus ſit. Cum id alia occaſione, & in alium finem dixerit, uti expoſui in libro meo De gratia Dei, &c. *De certitudine ſalutis fidelium.*

Demonſtratur ergo in præſentiarum, certiſsimam eſſe fidelium ſalutem. Principiò enim iubetur Euangeliſta ab angelo, ſcribere. Petitum hoc eſt à more hominum, qui teſtamenta ſua, pacta & contractus, in literas referunt, & mox ſigillis obſignãt, fidei gratia, & in perpetuam rei memoriam. Ac qui huiuſmodi ſcripta habent, ſecuro ſunt animo, & ſe ſatis inſtructos tutosq; credunt, contra omnes omnium inſidias & artes praua. Ideoque ut pacificaretur animus hominis in negotio ſalutis, curat conſcribi ueluti inſtrumentum, quo ſecuri de certa ſalute ſint pij omnes. Eandem illam ſcribendi rationem ſequitur aliàs in rebus grauibus Dominus noſter. Id quod uidere licet apud Iſaiam in cap. 8 & 30. & apud Abacuk cap. 2. Quo minus mirandum eſt, apoſtolum Paulum toties citaſſe illud ſuum ex Abacuk: Iuſtus fide ſua uiuet. Vnicum enim hoc teſtimonium Dei, utpote ex inſtrumento prolatum diuino, loco omnium eſſe potuit. *Scribitur ab Ioanne.*

Cum autem Deus Moſen & Ieremiam apertè iuſſerit ſcribere (unde certè æſtimamus, & certò colligimus, non iniuſſos ſcripſiſſe alios quoque prophetas & apoſtolos ac euangeliſtas) cernimus, quantæ authoritatis ſint apud omnes pios ſcripti libri utriuſque inſtrumenti uel teſtamenti. Sunt enim diuini, authentici, ſunt inſtrumentum & teſtamentum Dei, libri ipſius Dei, quibus meritò creditur citra aliunde accedentem approbationem. Teſtamentis, inſtrumentis & tabulis hominum obſignatis creditur: quanto magis credendum eſt libris canonicis? *Autoritas ſcripturæ ſanctæ.*

Deinde manifeſtè exponitur Ioanni, quid ſcribat: Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni ſunt uocati. Conſtat ergo, iam confirmatum & diuino oraculo & legitimo inſtrumento, uocatos ad nuptias agni certo fore & eſſe beatos. Pronunciatum eſt hoc diuino oraculo, & ſcriptum authenticè. Quis ergo relinquitur locus dubitationi? Certè beati ſunt fideles, Chriſto inſiti. Vocati enim ſunt in præſentiarum, quibus prædicatur Euangelium, quo uocantur ad participatum omnium Dei donorum, maximè uerò ad uitam æternam per Chriſtum: & qui non modò audiunt ueritatem Euangelicã, ſed qui etiam recipiunt illam, & credunt ex animo. Etenim multi ſunt uocati, & pauci electi. Nam multis prædicatur Euangelium, & offertur Dei gratia in Chriſto, ſed nõ *Vocati ſunt beati.*

recipiunt. Qui autem per gratiam Dei uera fide recipiunt, beantur. Nam non tantũ uocantur ad nuptias, ſed etiã ueniunt ad nuptias, & perfruuntur cœna illa nuptiali. Petita uidentur hæc ex doctrina Saluatoris, quam deſcribit Lucas in 14. cap. de inuitatis ad nuptias. Lege illum locum.

Quid & qualis beatitudo.

Obiter interim exponitur, quid & qualis ſit beatitudo fidelium: nihil aliud, quàm perfruitio cœnę agni nuptialis. Cœna ſub finem diei exhibetur. Ita plena ſalus confertur pijs ſub finem ſeculi, in reſurrectione mortuorum: ſicuti & ſuperiori ſermone expoſitum eſt. Et quidem ſunt illa omnia planè allegorica, quæ aliquod nobis ſpecimen æternæ uitæ ac gloriæ adumbrant. Alioqui ex doctrina prophetica & apoſtolica didicimus, quę auris non audiuit, neque oculus uidit, neque in cor hominis aſcenderunt, ea Deum diligentibus ipſum prępараſſe.

Hæc uerba Dei uera ſunt.

Poſtremò ſubijcitur iterum grauiſsima aſſeueratio uel confirmatio horum, quæ dicta ſunt. Nam oraculo redditũ, audit cœlitùs, οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοί εἰσι τοῦ θεοῦ, Hi ſermones ueri ſunt Dei. Veri ſcilicet ſunt, & Dei ſunt. Vel, Veri ſunt, quia Dei ſunt. Eraſ. uertit: Hæc uerba Dei uera ſunt. Ita & uulgatus interpres: *Diſes ſind warhafftige wort Gottes.* uel, *Diſe warhaffte wort ſind Gottes.* Duplici ergo nomine cõfirmantur hæc, quæ propoſita ſunt: & quia uera ſunt, & quia Dei ſunt. Quanquam in idem recidant. Cum enim Dei ſint, qui ueritas eſt, non poſſunt non eſſe uera. Credamus ergo his, neque dubitationi ullum locum permittamus.

Scriptura eſt uerbum Dei.

Præſcinditur hic occaſio ſubtiliter diſputandi, ſcripturas & prædicationes propoſitas ab hominibus ex ſcripturis, non eſſe uerbum Dei: quòd atramento ſint ſcripta in papyrum, & pronunciata uoce humana, & cum ſono tranſeunte: cum uerbum Dei humanum non ſit, neque corruptibile, neque tranſiens. Nam oraculum cœleſte manifeſtè pronunciat hic, Verba ſcripta in librum à Ioanne, & pronunciata ab angelo, & uera eſſe, & uerbum Dei eſſe. Sic aſſerit Paulus quoque 1. Theſſ. 2. prædicatum à ſe uerbum, reuera eſſe uerbum Dei. Ita S. Petrus, 1. Pet. 1. Deſinant ergo paradoxa proferre homines curioſi, & diſputare, uerbum Dei ſcriptum & prædicatum non eſſe uerbum Dei. Tunc certè uerbum Dei non eſt, quando cum ſancta Dei ſcriptura non congruunt quæ ſcribuntur & dicuntur. Animi fidelium potius huc ſunt pertrahendi, ut uerbis ſcripturæ omnibus legitimo ſenſu expoſitis, ita ut certiſsimis Dei uerbis credant & innitantur. Alioqui enim cui rei innitemur? Quid poſthac certum & indubitatum habebimus? Deo ſit gloria.

Exponitur factum Ioannis, angelum adorare uolentis, angeli uerò prohibentis.

CONCIO LXXXIII.

ET cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris. Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu, eſt ſpiritus prophetiæ.

Subiungitur locus tertius huius capitis, factum uidelicet Ioannis apoſtoli, & angeli Dei. Ioannes uolebat angelum adorare: ſed prohibetur ab angelo, qui iubet Deũ adorare. Videtur autem ante omnia Ioannis factum atq; conſiliũ eſſe cõſiderandũ. Angeli ſunt ſanè illuſtres creaturæ & potentiæ magnæ, per quos operatur Dominus maxima opera. Aſſumũt illi ſpeciem potiſsimũ humanam, & perſequenter apparẽt hominib. ſeruiũt, tuẽtur & benefaciũt, put Deus ipſorũ utitur miniſterio. Nã Apoſtolus loquẽs de angelis (quod & Cõcione 29 monuimus) Nónne omnes, inquit, ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui in miniſteriũ emittũtur ꝓpter eos qui hęredes erũt ſalutis? Et Scriptura hęc multis illuſtrat exẽplis. Apparẽt tres in ſpecie humana Abrahæ, qui erãt angeli, erudiẽtes illũ: duo eripiũt ex manib. Sodomitarũ ipſum Loth, & educũt ex incendio: integra angelorũ caſtra circũuallãt Iacobũ, protegẽtes ipſum cõtra uim fratris Eſau.

Angelorũ excellentia.

Hebr. 1.

Gene. 18 19. 32.

Mittit

Mittit Dominus ante Moſem & populum Izraelis angelum ſuum, qui ducat per deſertum in terram promiſſam. Circundant Heliſęum currus ignei. Soluit obſidionem Hieroſolymorum angelus, cæſis Aſsyriorum centenis octoginta quinque millibus. Daniel familiares ſibi habet angelos. Ita patres & prophetę cæteri. Angelus Ioſephum omni leuat ſolicitudine: idem eripit Magos ex inſidijs Herodis: iubet mox auehere Chriſtum in Aegyptum: angeli miniſtrant Chriſto, in candidis ueſtibus teſtificantur reſurrexiſſe & aſcendiſſe in cœlos Dominum. Illi ipſi educunt apoſtolos ex carcere. Vnus ex eis liberat Petrum è uinculis Herodis. Mittitur ad Cornelium Centurionem Italum angelus. Sæpe colloquuntur cum Paulo angeli. Magna ſæpe beneficia conferunt hominibus. Declarant ſe magna per Deum uti uirtute. Illa uerò dum obſeruant homines, colere uolunt angelos: ſicuti & in præſentiarum, dum Ioannes apoſtolus intelligeret, Chriſtum ipſum per angelum ſuum tanta ipſi in utilitatem eccleſiarum aperire myſteria, cum eius miraretur claritatem & dotes diuinas planè, protinus uult adorare angelum ſuum illum myſtagogam: non quòd cogitaret & moliretur defectionem à Deo, & pro Deo angelum adorare cuperet. Neque enim de tanto Apoſtolo tantum nefas cogitare fas eſt. Dulia ergo, ut uocant, (& ut Thomas Aquinas exponit) non latria, angelum uoluit adorare & colere: id eſt, Deum adorare ac colere ut Deum: ſed angelum aliquanto depreſsius, ut eximium Dei legatum. At ea re peccauit, ut omnes intelligerent peccare ſe, quotquot angelos uel excellentes creaturas adorant & colunt cultu duliæ. Sicuti faciunt hodie in Papiſmo omnes diuorum cultores. Neque alio fuco tingunt errorem ſuum, quàm diſtinctione illa, Deum coli & adorari cultu latriæ, diuos autem & angelos cultu duliæ, hyperduliæ cultu diuam uirginem, & neſcio quæ alia quæ nominare pudet & piget.

Exod. 34. 4. Reg. 6. 4. Reg. 19. Matth. 1. 2. Matth. 4. 28. Act. 1. Act. 5. 10. 12.

Quare Ioannes adorare uoluerit angelũ.

Ac apparet eodem errore implicitum fuiſſe Ioannem, quem alioqui neceſſe eſt dicamus apoſtaſia peccaſſe, & angelum adorare uoluiſſe pro Deo, uel cum Deo: quod utrũque impium, & uiro tanto indignum eſt. Si autem & Deum adorauit, nihilominus angelum quoque adorare uoluit, quid aliud quàm cultu duliæ peccauit? Et Deus quidem uirum tantum, ſicuti & Petrum & Thomam, errare permiſit, ut nobis mederetur: id eſt, ex illorum erroribus diſceremus ſapere rectius, & colere Deum emendatius. Neque enim omnia facta & dicta ſanctorũ probanda eſſe indiſcriminatim, docet apertè præſens locus, & ſimilia exempla errorum.

Errat ſanctus Ioannes.

Nunc enim ſequitur factum angeli excellentiſsimi, id eſt, pia refutatio erroris. Principiò non leuiter & perfunctoriè dicit, Ne feceris quod inſtituiſti: ſed grauiter damnans factum eius, emphaſi quadam dicit, Vide ne feceris. Similis loquutio eſt nobis Heluetijs, cum (ſignificantes modis omnibus cauendum) dicimus *Lůg vnd thů das nitt.* Proinde teſtimonio angeli didicimus, iam neque angelos adorandos, neque diuos. Cum enim de diuis ipſe Dominus dicat, Erunt ſicut angeli Dei: non uideo cur nõ debeam angelis diuos coniungere. Et quidem non adorandos didicimus uel cultu latriæ, aut duliæ. Eſt autem adorare, uenerantis animo procidere ad pedes, procumbere, geniculari. Sicuti alibi diximus.

Neque angelos adorãdos, neque diuos, cultu duliæ.

Deinde adiungit rationes angelus, cur non debeat adorare: Quia ſum conſeruus tuus. Non dicit ſeruus, ſed conſeruus: eiuſdem ſcilicet officij tecum, ſub eodem domino. Seruiunt enim angeli Deo, ſuo more: ſeruiunt & homines Deo, ſuo more: omnes tamen ſerui ſunt, & domini quidem eiuſdem ſerui ſunt. Iniquum eſt autem, ut ſeruus adoret & colat conſeruum, eiuſdem ſortis creaturam. Indignum eſt itaque, ut fideles adorent apoſtolos, prophetas, aut martyres: multo minus mortua ipſorum oſſa adorare decet. Ne quis autem diceret, Reſpectu quidem Ioannis excellentiſsimi apoſtoli, fatetur ſe angelus eſſe conſeruum: at diuerſa eſt ratio hominum reliquorum, qui non accedimus ad dignitatem beati Ioannis: ideoque cum ſimus longè inferiores, ſuperiores angelos & apoſtolos adorare poſſumus: præoccupat & dicit, Et fratrum tuorum. Qui autem ſunt fratres Ioannis apoſtoli? Reſpondet ipſe angelus, & ait: Habentium teſtimonium Ieſu. Teſtimonium Ieſu, eſt Euangelium, & ipſa fides, fixa in Euangelium, comprehendens fideli mente Ieſum. Omnes ergo fideles Chriſti, ſunt fratres

Fratres Ioannis & Chriſti.

Ioannis: ergo & horum conseruus est angelus. Proinde nullus fidelium debet ullum angelum uel apostolũ adorare. Sed & Dominus omnes uerbo uel prædicationi ipsius obedientes appellat fratres, apud Matth. in cap. 12. Est autem diligenter obseruandum, fide nos fieri fratres Christi, angelorum & apostolorũ. Hoc oportuerat inculcauisse monachos, non fraternitatem Mariæ, & fraternitates diuorum: nisi fuissent apostoli, magni & abominabilis illius Antichristi.

Fraternitas Christiana.

Testimonium Iesu Christi quid.

Quinimò ipse angelus iterum uerba sua exponens, ostendit, quod nam sit testimonium Iesu Christi. Testimonium enim Iesu, est spiritus prophetię. Significat autem spiritus reuelationem & intellectum: prophetia uerò, doctrinam propheticam & apostolicam. Ideoque sententia est: Testimonium Iesu Christi nihil aliud est, quàm ipsa reuelatio in animo pij per spiritum sanctum & fidem, doctrinæ propheticæ & apostolicæ. Ideo enim & testes in Euangelio appellantur apostoli: & euangelium, testimonium: & testificari, est prædicare. Ex illa autem expositione tale colligitur argumentum: Caussa adorationis tuæ, Ioannes, est haud dubiè excellens illa reuelatio & prophetia, per me tibi reuelata. Cæterùm si ideo adorandus uideor, quia eximius in me est spiritus prophetiæ: pari ratione adorabis omnes confratres tuos, in quibus idem est prophetiæ spiritus, testimonium utique Iesu, uera fides. Sed cum cernas, & ipse fateri cogaris, id esse absurdum, intelligito absurdum esse si adores angelum.

Deum adora.

Postrema & ualidissima ratio, cur adorari nolit, illa est: Deum adora. Petita est ex authoritate & lege Dei perpetua & immutabili, reuelata Deuter. 6. & repetità à Seruatore nostro Christo apud Matth. in cap. 4. Si legi Dei obediremus, iamdudum ex ecclesia exulasset omnis adoratio, inuocatio & cultus diuorum.

Angeli non adorandi, non inuocandi.

Porrò sunt alij quoque loci, qui ministeria & uirtutes angelorum commendant, interim Deum ipsum adorare & inuocare docent. Vide Psalmos elegantissimos 34. & 91. Quod si quis uult consensum etiam habere patrum (quamuis mihi sola Scriptura sufficiat) legat Augustinum dicentem, angelos neque adorandos, neque inuocãdos, neque eis sacrificandum, aut templa extruenda. Loci potiores sunt, De uera religione cap. 55. Contra Maximinum Arianorum episcopum, lib. 1. folio 477. De ciuitate Dei, lib. 8. cap. ultimo, 10. cap. 16. 19. 22. cap. 19. Deo sit gloria.

Descriptio iudicis Christi, uenientis in iudicium ultimum.

CONCIO LXXXIIII.

ET uidi cœlum apertũ, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum uocatur fidelis & uerax, & in iusticia iudicat & pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis. Et in capite eius diademata multa: habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. Et uestitus erat ueste, tincta sanguine. Et uocabatur nomen eius, Sermo Dei. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, uestiti byssino albo & mundo. Et ex ore eius procedit gladius anceps & acutus, ut eo percutiat gentes: & ipse reget eas uirga ferrea: & ipse calcat torcular uini furoris, & iræ Dei omnipotentis. Et habet in uestimento & in femore suo scriptum nomen, Rex regum & dominus dominantium.

De ultimo iudicio.

Hactenus multa audiuimus de supplicijs impiorum uarijs: quoniam uerò constat, supplicia à Deo sumi de sceleratis & impijs diuersis temporibus, & uariè, plenissimè uerò & seuerissimè in ultimo illo iudicio, & deinceps in æternum, ac Ioannes semel, iterum & tertiò cœperit differere de illo iudicio extremo, ut in fine capitis undecimi & quartidecimi, semper tamen in alium locum distulerit suspenderitque ac reseruarit;

uarit:tandem opportunum ratus,ut descriptionem in primis necessariam omnium oculis subijciat,accingitur tandem,& in præsentiarum quidem,ut rem omnium maximam absoluat.Subiungit igitur tractationi copiosæ de supplicijs impiorum, plenissimam & euidentissimam descriptionem iudicis iustissimi & maximi, & iudicij illius ultimi & omnium districtissimi,quo pœnæ omniũ plenissimè & seueriſsimè exigentur ab omnibus Antichristianis & impijs in secula seculorum. Extenditur hic locus (qui alioqui huius capitis quartus est) & hæc tractatio ad caput usque 21. Eloquutio grandis est,resipiens maiestatem propheticam,euidentiamque & enargiam apostolicam.Eius generis non pauca inuenias in prophetis,præsertim apud Isaiam cap.24.25. 26.27.

Et quidem doctrina hęc utilis est,& necessaria in primis, quæ diligentissimè discatur & intelligatur ab omnibus & singulis fidelibus, utpote quæ summa diligentia & copia plenissima in hunc finem tradita est à prophetis & apostolis,in primis autem ab ipso Domino Iesu Christo, cùm in Euangelio, tum in diuinissima hac reuelatione. Etenim nisi religione iudicij & iudicis uenturi retinearis in officio,nihil mirum si insanias & pereas cum impio & stulto seculo.In tractatione iudicij extremi cernitur finis omnium,uita & mors,felicitas & miseria, supplicium uel pœna & præmium ineffabile & cœleste.Hæc qui rememorat sedulò,abhorret à sceleribus,& in timore sancto ambulat coram Deo. *Vtilis & necessaria doctrina de Extremo iudicij die.*

Didicimus autem ex doctrina Euangelica, diem illum restitutionis omnium,& oppressionis impiorũ,simul & uniuersę impietatis,nemini mortaliũ,sed soli patri esse cognitũ:eaq; de causa horã eius & momentũ inquiri stolidissimè,nedũ impiè.Signa tamen ostendit ac prænunciauit bonus Dominus,quæ cũ impleri aut impleta esse uiderimus,capita nostra eleuemus. appropinquare enim redemptionem nostram. En redemptionem,ait,non tormentum.De pijs enim loquitur,redemptionem expectantibus è cœlis,ad reditum Saluatoris & redemptoris nostri Christi Domini: qui simul & hostibus suis ultionem,sicuti Apostolus 2.Thess.1.dicit,infliget.Proinde ne simus hic curiosi,qui indagemus imperuestigabilia:sed uigilemus & oremus potius iuxta salutare præceptum Saluatoris & iudicis & uindicis nostri,simus lumbis præcincti,& lucernæ ardeant in manibus nostris, expectemus firmi in fide & solidi in spe sancta. Caueamus potius,ne solicitudo huius seculi corda nostra occupet,& diffluamus ebrietate & crapula,ac simus uel conuersemur inter eos qui temporibus Noë & Loth, mundana tantum spectabant,contemnebant cœlestia,& sana monentes irridebant, donec ira Dei efferuesceret,& se in ipsos (quod minimè expectauerant) effunderet.Vidimus omnia signa,quæ diem Domini præcessura dicuntur,esse adimpleta. Vigilemus ergo. Et istis quidem ad hunc modum consideratis,uideamus & audiamus porrò summa attentione & diligentia, qualis nam uenturus sit iudex uniuersorum, quale illud pijs exoptatissimum,impijs tremendum & horribile iudicium futurum. *Dies illa nemini cognita.*

Principiò uidet Ioannes in uisione (uisione enim, quo omnia essent euidentiora, tantum negotium, non tantùm narrat, sed etiam oculis contemplandum obijcit:& quę dicit,ex reuelatione Iesu Christi dicit:ne quis obijciat,Nę tu temerarius es, qui de rebus incognitis sermonem instituis.Quis enim nouit,quis aut qualis sit futurus iudex,aut quale iudicium futurum? Ex ipso ergo iudice Christo,& ex reuelatione cœlesti hæc dicit) cœlum apertum.Etenim alij loci scripturarum ostendunt, Dominum in gloria & maiestate uenturum: ergo cum fulgore & splendore lucis illustriss. cum igne & claritate maxima.Sic enim dicitur Matth.24 & 25.Danielis 7.& 2.Thess. 1.cap. Apertione ergo cœli significatur,totum orbem gloria & splendore illustrãdum, diemque illam multo illustrissimam futuram.Alij intelligunt,iudicium non intelligi plenè, nisi ex reuelatione cœlesti. Quod ut uerissimum agnosco,ita maius quidpiam hic significari puto. *Cœlum apertum.*

Deinde subijcitur descriptio iudicis,ueluti bellatoris & herois inclyti,multis partibus composita.Intelligunt ex ipsa pij,non dormitare custodem,uigilemque & uindicem ecclesiæ,quem impij mentiuntur non sentire,quæ ipsi pijs irrogant damna,ne- *Procedit iudex in iudicii.*

que curare ſuperſtitioſos (ut uocant) Chriſtianos. Vident præterea ſe errare, ſi quando cogitant Chriſtum nimis indulgentem, nimis diu diſsimulare ſuorum calamitates. Nunc enim iudex & uindex procedit. Sunt multæ in hoc libro elegantiſsimæ Chriſti deſcriptiones, ſi in ullo alio libro: ſed eſt hæc in primis elegãs & uiua, quam porrò ueluti per partes, pro modulo noſtro, explicauimus. Tu ſubinde cogitabis maiora, donec noſtris oculis illa coràm dabitur contueri.

Vehitur equo albo. Vehitur equo iudex noſter, & quidem albo: non quòd opera equorum corruptibilium ei opus ſit in cœlis, ſed loquitur ſic more humano, ut nos maiora imaginemur. Vehuntur niueis equis uictores. Significatur ergo, iudicem noſtrum futurum uictorem & triumphatorem. Alij exiſtimant equo candido ſignificari puriſsimam eius humanitatem. Ego potius intelligo nubem candidam. Nam ea ſuſcepit ipſum ab oculis diſcipulorum, cum è monte Oliueti in cœlum aſcenderet. In eadem redibit iudicaturus. Sicut autem reges uehuntur equis & curru: ita Pſalmiſta affingit Deo nubes ueluti equos & currum.

Fidelis & uerax. 2. Iudex noſter eſt πιστὸς, fidelis & uerax, *trüw vnd warhafft*. Fidelis, ſuis fidelibus. Verax in omnibus promiſsis erga pios omnes, & impios. Fallentur, & falſos ſe eſſe uidebunt in iudicio, quotquot Dei promiſsiones & minas ceu uanas contempſerunt, atque ab euentu huius ſeculi res æſtimantes, felices & beatos impios, infelices & miſeros exiſtimant eſſe pios. De hoc diſſeruit & Malachias in cap. tertio & quarto. Cum autem fidelis ſit iudex & uerax, iudicat & pugnat in iuſticia, ſuum utiq; tribuens cuique, præmia bonis, ſupplicia malis. Non iudicat & pugnat hic rex, ut ſolent reges huius ſeculi, uanitatem ſequentes, & affectus corruptos. Pugnare uerò dicitur Chriſtus, cum impijs rependit pro meritis. Apoſtolus: Omnes, inquit, nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſque ea quæ fecerit per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. 2. Corinth. 5.

Oculi ueluti flãma ignis. 3. Oculi iudicis ſunt ueluti flamma ignis. Nam ut nemo ſubterfugere poteſt, aut latêre iudicem aut iudicium: ut omnium abſcondita ſcrutatur, neque quicquam ab eius aſpectu ſe abdit: ita oculi eius truces & horribiles contra impios. Pij contra ex aſpectu Domini ſatiantur omni iucunditate, & gaudio maximo. Flammiuomi oculi tribuuntur Chriſto, & in prima uiſione: ex ea require plura. Scriptura alioqui teſtatur ubique, iudicem nouiſſe omnia, etiam cordium ſecreta. Stultè ergo facis, qui putas uiciſſe te, & impunè peccaſſe, ſi ſubterfugias hominum cognitionem & iudicium. Reſtat aliud iudicium, in quo omnia impiorum ad confuſionem ipſorum extremam reuelabuntur coram toto mundo. Pijs tegũtur peccata, per illum cuius beneficio ſunt iuſtificati & abſoluti à pœna & culpa.

Pſal. 16. Rom. 2.

Rom. 4.

Diademata multa in capite. 4. Diademata permulta habet iudex noſter in capite ſuo: quia ipſe ſolus præſidet regnis omnibus, ac populis. Sicuti & Daniel ſignificauit cap. ſeptimo. Ipſe ſolus uerè diceretur Aphricanus, Europęus & Aſiaticus, Parthicus, Perſicus, Germanicus, Gothicus, &c. Quæ ſtultè admodum ſibi uendicant reguli noſtri, ita affectantes monarchiam, cum ſolus Chriſtus ſit monarcha uerus in ſecula. Hic iudex & ſummus princeps plures illas coronas decutiet ex capite pontificis Romani. Nullus præterea in orbe tam erit potens rex, ut huic poſsit reſiſtere, & bellum contra ipſum gerere.

Nomen incognitum. 5. Habet iudex noſter nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe. Hoc exprimetur mox clarius. Habet Chriſtus nomen ineffabile, quia Deus uerus, æternus, immenſus & omnipotens eſt. Nemo nouit hoc nomen, niſi ipſe. Nam principiò maior eſt Dei maieſtas quàm poſsit comprehendi ab ulla creatura: deinde nemini competit nomen Dei, niſi uni & ſoli. Nam Dei nomen eſt incommunicabile, in hac ſignificatione. Ipſe enim uerus eſt Deus, & præter eum nemo. id quod ſæpe repetit Iſaias. Ipſe eſt Saluator, rex, monarcha & iudex: quæ omnia ſoli competunt, alijs communia non ſunt. Præterea ipſe Dominus in Euangelio dicit: Nemo nouit filium, niſi pater: neque patrem quiſquam nouit, niſi filius, & cuicunque uoluerit filius reuelare. Quibus accedit, quod hic per ænigma cernimus: tantaque eſt diuinæ maieſtatis gloria,

ria, quod modò etiam diximus, ut captus humanus tantæ gloriæ capiendæ impar sit. Solus ergo Deus nouit nomen suum.

6. Vestis iudicis nostri sanguine est aspersa. Quo significatur uictoria & cędes hostiũ: quæ mox subiungetur sub finem capitis. Sumpsit autem hanc notam nostri iudicis ex Isaiæ 63. cap. Alludit ad uictores, è prælio redeuntes, quorum uestes & arma cæsorum sanguine cruentata sunt. Significatur autem iudicis sæueritas iusta, ac strages maxima hostium. *Vestis sanguinolenta.*

7. Nomen iudicis modò exprimitur: quod impijs planè incognitum est. Vocatur autem iudex, Sermo Dei. Filius enim est uerbum & sermo Dei, expressus diuinæ substantiæ character: in quo exprimitur ipse pater, & ex quo ceu uerbo cordis uero nuncio, intelligimus mentem & uoluntatem patris. Nota sunt hæc sacrosancta ex Euangelio uerba: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, &c. Ioannis primo capite. Ergo Christus uerbum caro factum est, Dominus Deus & iudex uniuersorum. *Nomen iudicis sermo Dei.* *Ioan. 14.* *Hebræ. 1.*

8. Adiungitur iudici exercitus, non angelorum duntaxat, cum quibus se uenturum in iudicium sæpe repetijt in Euangelio: sed omnium fidelium siue sanctorum, qui nuspiam, ne hic quidem, seiunguntur à capite. Principiò enim ad classicum archangeli resurgunt sancti, simul etiam uiuentes unà cum mortuis mutantur, & simul obuiam Christo rapiuntur in aera. Hic, hic, in nubibus & claro cœlo apparẽt cum Christo uictores felices & beati. Resurgunt mox & impij, & immutantur qui uixerint in illa die cum resurgentibus ad pœnam & opprobrium. Vident autem sanctos cum Christo in cœlis, & in gloria, sentiunt mox infanda tormenta. Eueniunt prorsus & complentur quæ descripta sunt Sapientiæ cap. 3 & 5. Dicit ergo Ioannes, hunc exercitum esse in cœlo, nõ in terra. Dicit hũc sequi Christum. Idem enim & Apostolus dixit 1. Thessal. 4. Sed & uestitos, non nudos comparere illos, addit: & uestis genus exprimit. Vestiti, inquit, erant byssino, albo & mundo. Sancti enim in Christo consequuntur iusticiam & gloriam, mundãtur & glorificantur. Atque hunc sensum ipse Ioannes paulo antè nobis aperuit, dicens: Byssinum iustificationes sanctorum sunt. *Exercitus iudicis candidus.* *Sanctificatio & glorificatio.*

9. Ex ore iudicis procedit gladius anceps & acutus, δίστομος, qui ex utraque parte scindit. *ist nitt ein dillitz der vff ein syten schnyt, sunder ein zweyschnydent schwärt.* Non altera parte acutus, altera obtusus est, ex æquo utrinque scindit. Significatur iusta sententia, ore Dei pronunciata contra impios. Nam contra hos sententia Dei gladius est, penetrans in corda ipsorum. Vnde & acutus appellatur. Districtum & seuerum, sed tamen iustum est iudicis nostri iudicium. In Euangelio, qualis ille gladius sit, ostenditur: nempe sententia illa tristis & immutabilis, Abite in ignem æternum, Matth. 25. Vnde sequitur in uerbis Euangelistæ: Vt eo percutiat gentes, nimirum ut damnet, & æterno supplicio affligat omnes incredulos. *Gladius ex ore iudicis.*

10. Et ipse reget eos uirga ferrea. Eodem propè loquutionis genere idem dicit, quod dixit antea. Nam qui noluerunt recipere aut agnoscere cum pœnitentia baculum pastoralis eruditionis & disciplinæ, illi experientur in iudicio sceptrum ferreum, quo comminuet eos, ceu figuli uasculum. Nec resistet ei, aut præualebit ulla potentia. Petitum est autem loquutionis genus ex Psal. 245. & 110. Libentur enim scripturæ uerbis utitur Ioannes, ut reddat librum commendabiliorem, uel gratum magis & acceptum. *Reget eos uirga ferrea.*

11. Ipse calcat torcular uini furoris, &c. Rursus idem dicit, quod superius: sed alia nunc parabola prolata, ac illa ipsa petita ex Scripturis, nimirum ex Isaiæ cap. sexagesimotertio. Summa est: Furorem effundet in impios, & grauissimè animaduertet in eos, omnipotenti sua manu, cui omnia cedunt, incussa ipsorum capitibus. *Er wird den rächten trottboum vfflaßen, oder druff gan laßen.* Vide quæ dixi in cap. huius lib. 14. *Calcat torcular.*

12. Rursus indicatur huius iudicis nomen, & in nomine maiestas & potestas longè & omnium maxima. Habet nomen scriptum in ueste & femore. His demonstratur uera Christi humanitas, iuxta quam exaltatus est, ut inquit Apostolus Philipp. 2. & da- *Rex regum & dominus dominantium.*

tum est ei nomen quod est supra omne nomen. Hic dicitur rex regum, & dominus dominorum, uerus Deus, omnium Dominus, & monarcha & iudex. Ita enim loquuntur & cæteri apostoli Actorum 2 & 17. cap. Et uideri poterat in hoc iudicis nomine, ueluti causa reddi, cur hic iudex sit constitutus omnium. Quia rex est, & dominus omnium. Cui gloria in secula, Amen.

Descriptio iudicij, quo supplicium ab Antichristianis & impijs sumitur.

CONCIO LXXXV.

ET uidi unum angelum stantem in sole, & clamauit uoce magna, dicens omnibus auibus quæ uolabant per medium cœli: Venite & congregamini ad cœnam magni Dei, ut edatis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum & seruorum, & pusillorum ac magnorum. Et uidi bestiam & reges terræ, & exercitus eorũ congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehensa est bestia, & cum illa pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa: in quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius: uiui conjecti sunt hi duo in stagnum ignis, ardens sulphure. Et cæteri occisi sunt gladio sedentis super equum, qui procedit ex ore ipsius, & omnes aues saturatæ sunt ex carnibus eorum.

Iudicij & supplicij impiorũ descriptio.

Mox à iudicis descriptione, & uiua quapiam pictura, sequitur descriptio non minus euidens iudicij: id est, quomodo Christus superatis hostibus suis, ipsos æternis mancipet supplicijs. Vtitur autẽ Apostolus prophetica phrasi & eloquentia. Nam prosopopœia quadam conuocantur ad mactationem & cõuiuium omnes aues, ut saturentur carnibus cæsorum. Fit autem allusio primũ ad mactantes & apparãtes conuiuiũ, ad quod uocãt amicos, ac epulãtur. Deinde fit allusio ad stragem & cædem hostium, ex qua feræ & aues exaturantur. Neq; his aliud significatur, quàm omnes impios à Christo fore prosternendos, & de ipsis sumendum supplicium. Proposita est superius cœna pijs, qua ipsi reficiuntur & saturantur. In præsenti apparatur conuiuium ex celebri mactatione, qua impij nihil commoditatis percipiunt, neque saturantur, sed ipsi potius mactantur & deuorantur, id est pereunt. Nemo enim imaginabitur, semel impios prosternendos, & deinde laniandos à feris, lacerandosque à uolucribus, atque ita omne simul desijsse supplicium. Ita enim nulla propemodum uideretur ipsorum pœna: sed parabolis temporarijs æterna adumbrantur. Sumpta sunt hæc ex prophetis, maximè ex Isaiæ 66 cap. & ex Ezech. 39. cap. ubi eadem propè uerba leguntur. *Der herr hat kylchwych vnd metzget*, quando impios calamitatibus adoperit, bellis inquam, cladibus, & alijs supplicijs ueluti mactat: maximè uerò, cum ultimo iudicio æternis addicit tormentis.

Angelus stans in sole.

Denunciatur autem hęc mactatio ab angelo, stante in sole, & clamante magna uoce. Quare significatur, iudicij diem tubis non obscurè indicendam, diem fore illustrem. Neminem hic latêre posse, omnia huius audienda ab omnibus. Ideoque magna & intelligibili uoce clamat. Et quidem conuocat, ut apud Ezechielem, aues ad deuorandum reges, & omnium ordinum ætatis & sexus homines: id est, cõuocandos fore hos

omnes

omnes, ut luant supplicium & interitum sempiternum. Diligenter ergo recensẽt reges, tribunos, fortes, & omnis generis homines, utique persequutores Christi, Antichristianos, impios, contemptores & impœnitentes.

Inseritur hic causa damnationis & interitus impiorum, dum conatus, studium & facinus eorum iudicatur. Congregati iam sunt ad faciendum prælium cõtra Christum, & eius electos, hoc est cõtra ecclesiam. Qui? Bestia, reges terræ, & horum exercitus, duces & milites, spiritualiter & corporaliter pugnantes. Atque hic nullo opus est commentario copioso. Inspice historias ecclesiæ ab annis quingentis. Vide quid fiat hodie à Pontificibus, episcopis & principibus, eorumque consiliarijs & ministris. Conuocantur comitia, conscribuntur in his contra Euangelicos mandata sanguinolenta, fit persequutio grauis contra Euangelium & ecclesiam. Concursitant patres spirituales, consultant. Concilium conuocandum clamant. Ad quid obsecro? Vt excindatur, & radicitùs euellatur, extirpeturque noua illa, ut aiunt, doctrina Euangelica. Ideoque semper stant in procinctu Martis, subinde congregantur contra Deum, & contra Christum eius, pugnaturi cum Christo Domino, & cum electis eius. Hodie si quando pax conceditur, è medio sublatis principum bellis cruentissimis, protinus cõcursiones & consultationes fiunt de opprimendis pijs. At nullum est aliud peccati genus grauius, quàm oppugnare ueritatem Euangelicam. Ideoque hæc præcipua est causa condemnationis impiorum in die illa. Hodie numeratur inter præcipuas uirtutes principum, si princeps aliquis nolit locum ullum cedere Euangelicæ prædicationi: sed explosa hac, Romanam ecclesiam tueatur & propager, cum dogmatibus illis, & ritibus falso ueteribus appellatis. Tales appellantur Orthodoxi, Catholici, Christianissimi, & defensores fidei.

Causa damnationis oppugnatio ueritatis.

Nunc uerò & damnatio horum, & modus damnationis subijcitur: Et apprehensa est bestia. Loquitur autem de his quasi facinorosis ἐν ἀντροφώνῳ deprehensis, & præter expectationem quidem apprehensis. Nam in medio conatu intercipiuntur, dum adhuc in magna spe sunt, & credunt sese contra Christum & eius ecclesiam permulta effecturos. Igitur in ipso oppugnationis & persequutionis æstu ac scelere comprehẽdentur. Vnde & illud colliquescit, persequutionem & oppugnationem ueritatis in finem usque seculi perseueraturam. Quis autem apprehendetur? Bestia & pseudopropheta, qui fecit signa. De his require, quæ dicta sunt cap. 13. sub finem. Caussa æternæ condemnationis iterum inseritur: Quia seduxit suis præstigijs & imposturis, mandatis & iussionibus orbem. De quo dictum est antea non semel, ut & 17. cap. &c. Sodalitium etiam condemnationis adiungitur: Quotquot acceperunt bestiæ characterem, & bestiam adorarunt. De his nihil nunc repetemus. Expositа sunt hæc capite 13. Quanquam uerò ex scripturis nihil probari possit aut debeat: certum est tamen, pictores suas illas picturas iudicij extremi, ueteres hinc esse mutuatas.

Apprehensa est bestia.

Cernimus enim iudicij extremi typos ueteres, ante centum & plures annos pictos referre nobis, ac exhibere cateruam sacrificorũ, monachorum & spiritualium patrum ingentem, in primis autem regum & Paparum laruas quæ ad inferos raptantur, & in imo tartaro æternis ignibus ardent. Vnde & uulgari prouerbio dictum est, plures apud inferos reperiri & conspici clericos quàm rusticos, &c.

Des iungsten gerichts gemälde.

Damnatio porrò ipsa, & supplicij modus, aut ipsum supplicium erit ignis. Ioannes enim: Viui coniecti sunt hi duo in stagnum ignis, ardens sulphure. τὴν λίμνην, in paludem, in *fhüwrinen see wiger, in das moß oder lachen, die mitt schwâbel brünt.* Talis est enim notatio uel descriptio inferorum, & supplicij extremi, qualis describitur apud Isaiam quoque cap. 30. Præparata est iam olim Tophet, hæc etiam pro rege præparata est, quam profundam & amplam fecit, penetrale eius ignis, uis lignorum ingens, quæ flatus Domini ceu sulphureus torrens incendit. Non dissimilia leguntur cap. 66. & in Euangelio Iesu Christi Marci 9. Matth. 25. & in alijs infinitis propè locis. Cognitum est omnibus & Sodomorum supplicium, Genesis 19. Spretis ergo impiorum irrisorum cachinnis, credere hæc malunt pij, quàm experiri. Nam hic nobis inferi ceu inspiciendi aperiuntur. Timeamus.

Lacus ignis ardens sulphur.

Duo

Duo hi coniecti sunt in stagnum.

Duo autem hic singulariter nominantur. Cum enim authores fuerint malorum omnium, meritò primas obtinent in pœna uel supplicijs. Nam Sapiens quoque dixit, Horrendè & citò apparebit uobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet: & potentes potenter cruciabuntur. Nam & aliàs ostendit Scriptura, gradus esse supplicij, pro iniquitatum qualitate. Nec cogitabimus hic, capita puniri sine membris. Totum enim Antichristi corpus tormentis mancipabitur. Omnes impij punientur, sicuti clarius mox tum, & in fine 20 cap. explicabitur.

Sapiētiæ 6.

Viui coniecti sunt in stagnū.

At illud etiam singulariter est obseruandum, quòd dicuntur uiui præcipitandi in tartara. Ita enim significatur mortuorum resurrectio. Significatur, in iudicio deprehendum seculum in carne adhuc reliquum, nondum mortuum, sed uiuum: id quod Paulus disertè exprimit 1. Thess. 4. & nos in symbolo apertè enunciamus dicendo: Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos: non tantum iustos & iniustos, sed mortuos, nimirum in carne residuos, atque uiuentes. Viuet ergo Antichristus in iudicij die, non extinguetur antea. Durabit persequutio Antichristiana cum omni impietate, usque ad extremum diem. Sicut autem Chore, Dathan, Abyron, & reliqua coniuratorū turba, in ipso defectionis scelere deprehensi sunt, & uiui absorpti unà cum tabernaculis & rebus suis omnibus à terra dehiscente, ita & in iudicij die tartarus omnes impios, Antichristianos in primis, dehiscens excipiet ac deglutiet. Id quod multi modò non credunt, sed illo die infandis cum cruciatibus & horrore inedicibili experientur, & nos omnes hisce oculis nostris uidebimus. Respondent quidem singuli in suis sectis, & sperant se salutem consequuturos in suis superstitionibus. Verùm hæc quæ in præsenti audimus, dicuntur nobis ab ipso iudice Christo, ut certissima & indubitata, & quodammodo spectanda proponuntur.

Et cæteri occisi sunt gladio.

Quid autem fiet in illo iudicio reliquis impijs & impœnitentibus? An soli Antichristiani propter Antichristianismum damnabuntur? Adijcit Ioannes: Et cæteri occisi sunt gladio, &c. Nam Matt. 25. profertur ex ore iudicis: Ite in ignem æternum, præparatum diabolo & angelis eius. Quia esuriui, & nō dedistis mihi cibum. Et reliqua. Etenim si damnandi sunt iusto Dei iudicio, qui cum beneficia præstare potuerunt, non autem præstiterunt: quid oro eueniet illis, qui non modò nulla præstiterunt miseris beneficia, sed insuper rebus necessarijs instructos, & beneficos spoliarunt suis facultatibus: ipsi has deinde luxuriosè uiuendo prodegerunt, atque ita facultatibus instructos, in extremam miseriam præcipitarunt: pauperes autem aliquando ditiorum beneficentia adiutos, eo iam etiam auxilio spoliarunt? Comprehenduntur hic quoq; hæretici, Iudęi, Gentes, Mahumedici, & similes omnes.

Et omnes aues saturatæ sunt.

Sub finem repetitur, omnes aues saturatas esse ex carnibus damnatorum, id quod ex figura orationis repetitum intelligimus: non tamen esse interpretandum ad literam, sed eo dicendi genere significatum esse, abundantissimè puniri impios & impœnitentes omnes. Primasius hunc locum enarrans: Non usq; adeò debemus carnaliter sapere, inquit, ut sanctos tanquam impiorum (nam per aues, sanctos exponit) carnibus satiari credamus: sed reuelata sanctis diuini æquitate iudicij, qua plenitudinem redimens electorum, damnandos cæteros sanxerit, saturari dicuntur huius cognitione iustitiæ, quā in hac uita esurire & sitire quis poterit, perfectè nō cōprehendere. Iam & Isaias de impijs loquens: Et erunt, inquit, usque ad satietatem uisionis omni carni, hanc puto saturitatem hic poni auium prę̄missam. Et mox: Possunt & in malo aues intelligi, angeli transgressores, qui cum suos ad interitum perduxerint sectatores, malo desiderio expleto, satiari dicuntur carnibus perditorum, de eorum captantes damnatione satietatem, quibus se authores præbuerunt ad errorem. Hæc ille. Ego uerò ut ea non improbo, quæ uerè alioqui dicuntur: ita nō anxiè & minutatim illa excutienda esse arbitror, quæ figuratè, & ad imitationem propheticam dicta, nihil aliud singulari dicendi genere innuere uelle uidentur, quàm perdendos fore (sicut modò dixi) impios omnes, magna Dei potentia & exquisitis supplicijs. Timeamus ergo Deum, cui soli gloria.

De

De illustri ueritate Euangelica, quæ opera Apostolorum diffusa est per totum orbem, & per annos mille.

CONCIO LXXXVI.

ET uidi angelum descendentem è cœlo, habentem clauē a- CAP. XX.
byssi, & catenā magnā in manu sua. Et apprehēdit draconem, serpentē antiquū, qui est diabolus & satanas: & ligauit eū per annos mille, & misit eū in abyssum, & clausit eū, & obsignauit super illū, ut nō seducat amplius gentes, donec cōsummentur mille anni. Et post hæc oportet illū solui modico tempore.

In cognitione extremi iudicij momenta pietatis maxima.

Cum maxima momenta religionis & ueræ pietatis, sint in uera cognitione & intellectu extremi iudicij, quod sæpe monemus: magno commodo differit Ioannes tanta diligentia de ultimo iudicio. Ac pro more suo, quo plus euidentiæ omnia haberent quæ proponit, non tantum res uerbis narrat, sed uisionibus ueluti præsentia oculis aspicienda proponit: & quidem fidelibus. In fidelib. enim hæc omnia, licet diuinissima, merus sunt lusus. Verùm ridebit ipsos quoque, suo tēpore, diuina sapientia: sicuti ipsa minatur in Prouerb. Solom. Simul uerò aliquot explicat quæstiones, quæ circa hoc negotium moueri solent.

Quid eueniat illis, qui nec christiani sunt, nec Antichristiani.

Dixit autem, bestiam unà cum pseudopropheta & omnibus suis complicibus præcipitandam, die illa extrema, in tartara: sed cum potior pars neque Antichristiana sit, neque Christiana, sed sui potius arbitrij & sensus, ut sibijpsi sit regula & lex: quales uel certè hæretici sunt, ut Nestoriani, Iacobitæ, Georgiani, &c. uel ethnici adhuc ac gentiles, Iudæi item & Turcæ: mirari quis poterat, ac quærere, quid illis fiat in die illa, uel quid eis eueniat? Respondit Ioannes: Et cæteri occisi sunt gladio sedentis super equum, &c. Rursus, cum mirari poterat pius, quomodo damnabuntur, qui nati inter Turcas, hæreticos, Iudæos & gentes, ueritatem Christianam nunquam audierunt? Præoccupat illam cogitationem Ioannes, ac per initium capitis uigesimi ostendit, quanta maiestate & perspicuitate euidentiaque mundo inclaruerit ueritas Christi Euangelica: quomodo item omnis potestas ac uirtus erepta sit diabolo, idque per annos mille, quibus continuè intonuerit Euangelij prædicatio: ut sint omnino inexcusabiles, quotquot Euangelium Christi nō receperunt. Etenim prædicatio Euangelij non fuit obscura, sed multo clarissima: non fuit breuis & contracta, sed per mille annos uulgata: non fuit recepta à paruulis, sed ab omnibus omnium nationum sub sole gentibus ac nationibus. Crassa est ergo ignorantia Iudæorum & gentium, hæreticorum, & Turcarum. Licet enim olim uideatur ueritas fuisse illustris, nunc non item: certum est tamen, maiestatem Euangelij tantam fuisse in orbe, ut nunc quoque eius sit apud omnes mentio: suaque malicia comprimant oculos, qui nihil intelligunt Christi. Valet ergo nunc quoque illud Apostoli: Quod si uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est: quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucescat illis lumen Euangelij, &c. 2. Corinth. 4. Vnde iam colligimus, neminem omnium eorum qui damnantur in orbe, damnari præter meritum. Id quod Apostolus etiam Paulus attigit in epistola ad Romanos cap. 1 & 2. Locus ergo hic tractatur utilis & necessarius, de illustri prædicatione Euangelij per totum orbem, durante cursu eius per annos mille.

Quanta maiestate ueritas Christi mundo inclaruerit.

Qui damnantur, damnantur iustè.

Tractatio autem hæc hoc ordine procedit. Principiò describitur angelus, deinde ostenditur opus uel effectus eius. Postremò adiungitur & temporis cōsignatio. Quod angeli descriptionē attinet, principiò quidē angelus nominatur, & in medium producitur: sed intelligitur totus ordo apostolicus, in quo relucet eximiè doctor gētiū Paulus. Neq; mirū est, apostolicū ordinē intelligi per angelū. Nā angelus significat nūciū, legatū uel apostolū. ideoq; Malach. p̄cursorē Domini Ioannē, appellauit angelū: Ecce mitto angelū meū ante te, &c. Ac ministri ecclesiarū nō semel in hoc lib. appellati sunt angeli.

Angelus ordinem apostolicū significat.

Si

Si autem nominis præstantia & nobilitas ministris placet, placeat ijsdem etiam puritas angelica, & fides eximia. Legatus nihil nisi quod in mandatis accepit, ab eo à quo legatur, agit & dicit: ita & ministri nihil nisi acceptum à Domino, in scripturis, tradãt.

Angelus descendit è cœlo.

Deinde dicitur hic angelus illustris cœlo descendere, non quòd apostolorum corpora cœlo sint delapsa: sed quòd uocatio & officium ipsorum cœlitùs sit impositum. Nam Dei filius, qui de cœlo descendit, apostolos delegit, & emisit in orbem. Id quod exponitur Matth. 10. & Ioan. 20. Marci 16. & Lucæ 24. Ac Paulus dicit ad Galatas, se neque per homines, neque ab hominibus uocatum esse, & ordinatum apostolum: sed à Deo per Christum. Vnde claret, quanta sit apostolorum authoritas. Nam non sunt illi qui loquuntur, sed spiritus Christi & patris loquitur per ipsos. Ergo qui ipsorum spernit doctrinam, Deum patrem & filium spernit. Mentiuntur item qui dicunt, euangelium esse nuperam doctrinam, cõfictam ab ingeniosis hominibus. Legatur primum caput prioris & posterioris epistolæ Petri.

Angelus tenet in manu clauẽ abyßi & catenam.

Post ista dicitur hic angelus manu sua retinere duo eximia instrumenta, clauem & catenam. Quid per hæc intelligat, uideamus. Equidem per ista instrumenta aliud nihil intelligit Ioannes, quàm liberam, ueram, sanctam & uiuam Euangelij prędicationem: qua factum est, ut & infernus clausus sit fidelibus, & sathanę iniecta catena, cõstrictusque & uinctus teneatur, ne tantum quantum uult noceat pijs, & seducat quos uult. Ita enim mox ipse Ioan. se exponet.

Clauis.

Porrò claues ligandi & soluendi acceperunt apostoli à Domino, apud Matt. in 16. & apud Ioan. in cap. 20. Aperiunt prædicatione Euangelica abyssum, id est imos inferos & ipsum tartarum impijs, cum eis annunciãt damnationẽ apud inferos, propter ipsorum impietatem. Claudunt pijs inferos, dum doctrina Euangelica aperiunt cœlos, ac perducunt fideles ad gaudia cœlestia. De clauibus alibi copiosius est dictum.

Catena.

Catena, symbolum est captiuitatis. Prædicatione uerbi Dei capitur & uincitur sathanas. Vnde factum, ut strenuis aliquot prædicatoribus uulgus pictorum appinxerit diabolum catenis constrictum.

Apprehendit draconem.

Per consequentia clarius explicatur hæc clauis, & catenæ significatio, dum exponitur effectus prædicationis apostolicę. Subiungit enim: Et apprehendit draconem, &c. Repetit autem nomina hostis nostri ex cap. 12, ubi singula sunt exposita. Vnde & requiras licebit. Ligauit autem angelus sathanam, qui est finis & usus catenę, ne uidelicet se commoueat, & fideles inuadat & perdat. Præterea sequitur aliud uehementius quiddam: Et misit eum in abyssum: præcipitem nimirum in ima dedit tartara, ne fideles trucidet. Sequitur aliud adhuc grauius: Et clausit eum, ne emergeret & erumperet iterum. Hic finis & usus est clauis. Quinimò obsignauit super illum. Solent autem literæ, carceres, sepulchra obsignari, idq; fidei gratia, ne quis resignet, sed ut concluſa & obsignata tutaque maneant. Significant autem hæc omnia plenissimam uictoriam, quam consequuti sumus per Christum, uerbo Euangelij nobis annunciatam, & communicatam per fidem. Nobis enim hostem uicit, fudit, ligauit, concluſit, & concluſum obsignauit, ut iam tuti & securi simus ab illo. Postremò sequitur, quod ista omnia & singula explicet membra: Vt non seducat amplius gentes, nimirum eo modo, quo seduxit ante uictoriam Christi, & ante prædicatum per orbem Euangelium. Tunc enim omnia scatebant impietate & erroribus. Prostabant ubique templa deorum uel idolorum, adorabantur idola, dabant hæc responsa, fumabant aræ & hominum & pecudum cruore. Regnabat omnis conscleratio. Magia, ueneficium, parricidia, stupra, exercebãtur impunè. Nemo facile explicauerit, uel copiosa oratione, quàm turpiter mundo imposuerit sathan, quàm regnarit securè, & quanta implicatione astrinxerit sibi ceu mancipium, genus hominum. Inspiciat, cui lubet, Græciã, Italiam & Asiam: & in his Corinthum Græciæ, Romam Italiæ, & Ephesum Asię metropolim. Inueniet abominationes abominandas, ac dicet, diabolum totum in his regnasse, & quotidie nouis artibus dementasse miseros. Cæterùm ubi unus Paulus (de reliquis apostolis nunc nihil dicam) peruenisset Corinthum, Ephesum & Romam, & ibi prædicasset Christum: quis non uideat, quàm uerè hic uiderit Ioannes, ligatum & concluſum

Ne seducat amplius gentes.

ſum ſathanam? Breuior in hac ſum materia, alioqui copioſiſsima, quòd uidear mihi abundè feciſſe ſatis, ſi tantum commonſtrauero aliqua ueſtigia, quibus inſiſtentes perueniatis ad longè ampliorem iſtarum rerum conſiderationem. Huc pertinent illa diui Pauli uerba, quæ leguntur in Actis cap. 26, dicta coram Agrippa rege & principibus Syriæ & procoſ. Feſto: Ad hoc apparui tibi (ait Dominus ad Paulum) ut conſtituam te miniſtrum & teſtem, & eorum quæ uidiſti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, in quas te nunc mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à poteſtate ſathanæ ad Deum, ut accipiant remiſsionem peccatorum: & reliqua. In epiſt. ad Coloſſ. 1. cap. ut & aliàs ſæpe oſtendit Paulus, Chriſtum uiciſſe ſathanam, & illum ipſum Chriſtum nos redemiſſe & tranſtuliſſe ex regno tenebrarum in regnum & lucem filij Dei. Ergo quod apoſtoli & miniſtri hic ligare & concludere dicuntur ſathanam, miniſterialiter eſt intelligendum. Licebit cuilibet etiam iudicare ex his quæ hactenus tractata ſunt, num profecerit in doctrina Euangelij, quam iam diu in templo audiuit. Si enim ipſe adhuc catena uinctus es diaboli, *vnd mitt des Tüffels kettinen verhafft, dem Tüffel in allem vnradt vnd wüſt nachdantzeſt*, nõdum audiuiſti Euangelium, ſicuti conueniebat: ſin uerò ſentis diabolum eſſe catena uinctum, ac teipſum diabolo imperitare, non regi te à diabolo, bene res habet. Clama: Cõfirma hoc, & adauge ô Deus, quod operatus es in nobis, &c.

Chriſtus ligauit ſathanam.

Quod autem tempus attinet illuſtriſsimæ huius ueritatis Euangelicæ, dicitur duratura in orbe annis mille. Nam diſertè ait: Ligauit eum per annos mille. Et iterum: Vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni. Scio, uarias eſſe de his mille annis interpretum ſententias. Scio, authore Papia, Chiliaſtarum ſiue Millenariorum hæreſim, ut commemorat Euſebius hiſtoriarum libro tertio, hinc eſſe petitam. Nolo ego aliorum confutare ſententiam, quod etiam nimis longum foret, & laborioſum, non perinde autem magnæ utilitatis. meam duntaxat lectoribus pijs propono expendendam: deinde liberum relinquo, ut quilibet id ſequatur, quod putauerit ueritati maximè conſentaneum, & utile pijs eſſe. Simpliciter autem intelligo, Ioannem loqui de mille annis, qui curſu continuo decreuerunt à Chriſti temporibus, uſque ad extremam illam prædicationis Euangelicæ & eccleſiæ Chriſti corruptelam.

Mille anni.

Neque admodum ſum ſcrupuloſus in indagando termino ſupputationis mille annorum. Simpliciter conſtituo principium ſupputationis in aperta prædicatione Euangelij, & in eo quod uerbum cœpit recipi, aut receptum iam erat à Gentilibus. Tres itaque terminos ſtatui poſſe exiſtimo, qui tamẽ omnes in idem recidunt, nihil inter ſe pugnantes, aut perpuſillum habentes diſcriminis: neque ita inter ſe diſsidentes, ut intermedij anni magnam uideantur diſſonantiam inducere. Proinde licebit, ſi placeat, ſupputationem mille annorum inire à triceſimoquarto anno natalis Chriſti, quo & Chriſtus aſcendit in cœlos, & Paulus ad miniſterium uocatus, gentes in conſortium populi Dei prædicatione uerbi Dei attraxit, ſathanam cohercere cœpit. Peruenies autem ad annum Domini 1034, & ad pontificatum Benedicti noni: qui cum malis artibus conſcendiſſet in ſellam, quam Petrinam aut Apoſtolicam uocant, magiam exercuit, & diabolo fœdere coniunctus fuit: à quo & ſublatus eſt, cum antea Papatum uendidiſſet Gregorio ſexto. Legatur Benonis Cardinalis hiſtoria, cuius ſuperius meminimus cap. 13. Legantur & alij hiſtorici. Certum eſt, diabolum illis diebus occupaſſe ſedem, quam uocant, Apoſtolicam. Legantur hiſtoriæ à Sylueſtro ſecundo, &c. & deinceps. Dices ergo, circa illa tempora rurſus erupiſſe ſathanam, & ſeduxiſſe gentes, maximè per Pontifices. Vel incipe ſupputationem mille annorum ab eo tempore, quo Paulus Romæ fuit ob Euangelium uinctus, & teſtaretur per uniuerſum mundum fuiſſe prædicatum Euangelium. Is erat annus Domini circiter 60. Ab illo ſupputans annos mille, peruenies ad annum Domini 1060, ad pontificatum Nicolai ſecundi, ſub quo ueritas uariè ſcribitur fuiſſe tentata & adulterata, ipſumque Gregorium ſeptimum etiam tunc ſuis conſilijs & artibus totum perturbaſſe mundum. Vel incipe ſupputationem à deſtructa urbe Hieroſolymorum, quo tempore reiectis Iudæis, gentes

Initium ſupputationis mille annorum.

in reiectorum Iudæorum locum innumerabili copia ſubintroierunt, uel recepte ſunt, qui erat annus Domini 73, & pertinges ad annum Domini 1073, ad pontificatum Gregorij ſeptimi: in quo hiſtorici non pauci tradunt, ipſum regnaſſe diabolum. Certè nullus maiore clade pietatem affecit, & impietatem promouit magis ſtrenuè, quàm hic Gregorius, Helbrandus alioqui nuncupatus. De eo dixi ſuperius cap. 13. Vbi etiam monui, Benonem Cardinalem mille illos annos deducere à natali Domini, & concludere in Syluestro ſecundo. Conſtat itaque, ueritatem Euangelicam in mundo habuiſſe locum non ignobilem, nec prorſus ſopitam fuiſſe mille annis: id eſt, à temporibus Apoſtolorum, uſque dum numeraretur annus Domini 1073, aut circiter. Quid illo tempore & poſtea factum ſit, poſthac audiemus, ubi ad illud peruenerimus, Et cum conſummati fuerint mille anni, &c.

Dixerit autem aliquis, Ego non uideo Euangelij prædicationem durauiſſe in mũdo tanto tempore, annis uidelicet mille. Etenim conſtat ex hiſtoricis, doctrinam de meritis, ſatisfactionibus & iuſtificatione operum, mox ab Apoſtolorum ſeculo prima ieciſſe fundamenta. Scimus, diuorum interceſsionem, cultumque reliquiarum defenſum eſſe à Hieronymo, qui ex hoc ſeculo migrauit anno incarnationis Domini 422. Scimus, Pontificem Romanum ſeſe ſtatim à morte Gregorij primi, uenditauiſſe pro capite & paſtore catholico eccleſiæ uniuerſalis. Scimus, eodem tempore circa annum incarnationis Domini 630, Mahumetem ſeduxiſſe bonam partem orbis terrarum. Scimus paulo pòſt inualuiſſe execrandam contentionem de uſu imaginum in templis Chriſtianorum. Audiuimus, Ioannem Antichriſto deſignauiſſe annos 666. Conſtat denique, diabolum per cædes, parricidia, & omnis generis facinora regnauiſſe in filijs diffidentiæ. Vnde ais, non uideo quomodo diabolus mille annis uinctus fuerit, atque concluſus. Reſpondeo, ea quæ allata ſunt hactenus, eſſe uera: interim nihilominus uerum eſſe & manere, quod Ioannes ex reuelatione Ieſu Chriſti aſſeruit, diabolum mille annis fore concludendum, & ligatum manſiſſe, uſque ſub finem 1000 annorum. Idque hoc modo declaramus. Dixit in Euangelio Dominus: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras: & cum de ueritate uerborum Chriſti dubitare nõ liceat cuiquam, nihilominus non ita eiectus legitur, quin maximas in mundo uires exercuerit, atque adeò ab Apoſtolis ipſis dictus ſit princeps huius ſeculi. Quomodo ergo dicitur eiectus eſſe, & tentare pios, regnare, & regno exutus eſſe?

Quomodo diabolus fuerit ligatus annis 1000.

Eiectus eſt ex eccleſia & fidelib. non quòd nõ redeat & tentet ſemper enim redit, & retrahere redemptos ſatagit (ſed quòd imperium plenũ amplius nõ teneat. Chriſtus enim iã uiuit, & regnat in eccleſia & ſanctis. Hos deforis, ut Auguſtinus ait, oppugnat) poſſeſsione auita eiectus eſt, at priſtinam habitationẽ recuperare cõtendit. Ita uerò uinctus & clauſus fuit mille annis ſathanas, ut qui fideles Chriſti per orbem non poſſedit & rexit pro ſua uoluntate & malicia, licet tẽtauerit & afflixerit. Sic negatur & ſpiritus Dei datus, non quòd non fuerit in orbe & in prophetis: ſed quòd non ita largiter effuſus ſit unquam in omnem carnem, ut à clarificatione Chriſti Domini. Eodẽ ſenſu dicimus & mortem & peccatũ fidelibus eſſe ablata & cõculcata. Sicut ergo Paulus, qui ad Coloſſ. 1. cap. dixit, nos translatos eſſe ex regno tenebrarũ in regnũ lucis: interim dicit ad Corinthios, Deum huius ſeculi occæcaſſe mentes infideliũ: ita Ioannes in præſenti dicit ligatũ & obſignatum eſſe diabolũ per annos mille, ac idem ille mox ſubdit, Cæteri mortuorũ nõ reuixerunt, donec cõſummerentur mille anni: id eſt, cõtinuis illis mille annis non crediderunt, qui pluris fecerunt beſtiam quàm Chriſtũ. Et illi quidẽ culpa ſua propria, & inſtigatione ſathanica non crediderunt & perierunt. Exeruit ergo in his uires ſuas ſathan. Qui quidem fidelibus eſt uinctus & clauſus, infidelibus liber & nimium familiaris. Sicuti & inferi pijs clauſi ſunt, impijs aperti. Vnde & in Symbolo confitemur, uitam æternam, & non mortem aut condemnationem ſempiternam. Fideles enim inferos non habent, aut nullus eſt his infernus: impijs paratus eſt. Confregit enim inferos Chriſtus, ſed ſuis fidelibus: infidelibus omnia inferorum adhuc robuſtiſsima ſunt, atque hi inferos habent.

Quomodo ſatan eiectus ſit, & tamen uexet fideles.

Deinde

Deinde dicitur diabolus ligatus, clauſus & obſignatus: quia poſt Chriſti redemptionem non tanta eſt eius in mundo potentia, quanta fuerat antea. Vnde ipſe ſe explicat Ioannes, & ait: Vt non ſeducat amplius gentes. Quid hoc Amplius, niſi non ita porrò ſeducat, ſicuti hactenus. Tametſi ergo aliquos interim ſeduxerit, tamen illis mille annis non tam latè, ſecurè & plenè regnauit, ut antea fecit, & ut ipſi poſt mille annos permiſſum eſt inſanire. Ex collatione ergo hæc dicuntur, & nō abſolutè. Ac ipſa res ſeu experientia declarat, non abſolutè, & ad nudam hæc literam eſſe intelligenda. Ergo quanquam mille annis iſtis ſathanas etiam afflauerit uenenum ſuum multis, & turbarit orbem, nihil tamen hoc eſt, ſi conferatur cum ijs quę poſt mille annos ſequuta ſunt in hunc uſque diem, & ſequentur porrò in finem uſque ſeculi. Olim quoq; plenè regnauit inter gentes per idololatriam. At mille annis templa & ſtatuæ ceciderunt, unà cum alijs inſtrumentis impietatis. *Diaboli poteſtas per Chriſtum cōfracta.*

Legimus ſanè, Apoſtolorum etiam ętate fuiſſe qui aſſeruerint, homines per legem ac opera iuſtificari. Vnde doctrina pullulauit ſatisfactionis & meritorum. Sed confutata eſt illa doctrina ab apoſtolo Paulo, præ alijs apoſtolis. Sed & Auguſtinus, & poſt ipſum Beda, conſtantiſsimè aſſeruerunt gratiæ doctrinam & redemptionis per Chriſtum. Durauit illa integra per annos mille continuos. Poſtea uerò monachis ſuperantibus, doctrina ſatisfactionis & meriti humani obtinuit: unde obſcurata eſt prorſus doctrina Ieſu Chriſti de gratuita peccatorum remiſsione & iuſticia imputatiua. Creuit ſanè apud quoſdam ſententia de intercedentibus uel orantibus in cœlo ſanctis pro ſuis cultoribus. Cœperunt nimis citò uenerari reliquię. Interim uerò illuminati unico interceſſori Chriſto adhæſerunt, reliquias non coluerunt. A' mille uerò fatalibus annis pleriq; plus diuis tribuerunt, quàm ipſi Sancto ſanctorum. Videmus hodie quid fiat. Teſtātur libri monachorum, quàm inualuerit creaturarum cultus ab annis 400, & circiter. Quis negauerit, ab hæreticis plurimos eſſe ſeductos? ſed quis inde colligit, Euangelium perijſſe, & regnaſſe ſathanam plenè? *Quædam religionis capita impetita.*

Aſcendit in cacumen montis Zion Pontifex Romanus, & ſalutari uoluit caput & paſtor uniuerſalis, catholicæ eccleſiæ. Verùm reclamauit conſtantiſsimè Oriens, reclamarunt & aliæ orbis partes. Poſt mille demum annos plenitudinem poteſtatis, ſibi per fas & nefas collatam eſſe, impudentiſsimè iactauit, ac eandem uſurpauit. Mahumedes plures ſeduxit, ſed perſtiterunt nihilo minus eccleſiæ patriarchales, Chriſtumque adorauit Oriens, meridies & ſeptentrio, ut mille anni rurſus ſuā habuerint lucem, nec tantum in his ſeuierit ſathan, quantum exactis mille annis. Certè Turcis ſuperantibus, omnia religionis peiora ſunt facta. Et bellum iſtud ſacrum permultum nocuit religioni, permultum animi addidit Sarracenis & impijs: de quo poſtea. Et imagines quidem cœperunt proponi in templis, & defendi. Sed hiſtoriæ teſtantur, magna id factum cum difficultate, & uix impetratum earum uſum, optimis quibuſque conſtantiſsimè reclamantibus. Cumque iam admiſſæ eſſent, nondum tamen ita inſaniebant idololatræ, ut nunc & ab annis aliquot factum uidemus. Vnde rectè dicitur, à mille annis ſolutus catenis ſathanas, qui prius etiam impulit incredulos, poſtremò tamen furioſius inſanijt.

Deſtinauit Ioannes Antichriſto certum numerum annorum, nempe 666. unde intelligeremus nomen Antichriſti. Sed ideo non ſequitur, diabolum tunc omnino fuiſſe ſolutum, aut extinctam prorſus ueritatis lucem. Nam Apoſtolus ſuo tempore, de eo loquēs: Myſterium, inquit, iniquitatis nunc agit. Habet ergo Antichriſtus ſemina, habet initia, habet exortum, habet adoleſcentiam, & ſua augmenta. Poſt mille demum annos impudentiſsimè & audaciſsimè egit, qui antea quoque maliciam ſuam exeruit: nunc autem omnium uenenatiſsimè, oppreſsis regibus & omnibus ipſi uel modicè contradicentibus. Scimus item mille iſtis annis regnauiſſe in multis diabolum per cædes, periuria & infanda innumeraque flagitia. Verùm ſi expenderis, quid factum ſit poſt annos mille, & quid fiat hodie: dixeris, ętates illas mille annorum fuiſſe aureas & argenteas: noſtras à 500 annis eſſe æreas, ferreas, plumbeas, luteas. Lactantius lib. 7. Inſtit. cap. 15. Propinquāte huius ſeculi termino, inquit, humanarum rerum ſtatum *Corruptela poſtremi ſeculi.*

commutari neceſſe eſt,& in deterius nequitia inualeſcente prolabi: ut iam noſtra hæc tempora,quibus iniquitas & malicia uſq; ad ſummum gradum creuit,in illius tamen inſanabilis mali comparatione,felicia & propè aurea poſsint iudicari. Ita enim iuſticia rareſcet,ita impietas,auaritia, & cupiditas, & libido crebreſcet, ut ſi qui tum fortè fuerint boni,prædæ ſint ſceleratis, ac diuexentur undique ab iniuſtis. Soli autem mali opulenti ſint, boni uerò in omnibus contumelijs atque in egeſtate iactentur. Confundetur omne ius,& leges peribunt. Nihil tunc quiſpiam habebit,niſi aut quæſitum aut defenſum malè. Audacia & uis omnia poſsidebunt. Non fides in hominibus, non pax,non humanitas,non pudor,non ueritas erit. Ac reliqua quæ ibi leguntur. Quibus omnibus noſtra ſecula pulchrè depicta eſſe uidentur.

Oportet illum ſolui modico tempore.

Verùm quid illud eſt,quod appendit, diabolum modico ſoluendum tempore? An modicum uidetur eſſe tempus,quod quingentos iam annos habet? Hunc uerò locum ſic exponimus,ſicut illum in Euangelio: Niſi decurtati fuiſſent dies illi, nulla fieret ſalua caro. Conſtat enim ex hiſtorijs, neque diabolum, neque Antichriſtum, diu pacatum obtinuiſſe regnum illud ſuum. Semper enim & quouis ſeculo emerſerunt uiri ſancti & docti,qui à Deo illuminati & confortati, inſtar Enoch & Heliæ,impijs & impietati ſeſe oppoſuerunt,atque ueram pietatem aſſeruerunt. Vnde conſolationem acceperunt afflictæ conſcientiæ ab Antichriſto, Deo per miſericordiam ſuam ſic temperante res,ne electi deſperarent in tantis tentationibus, erroribus & tenebris.

Proinde modico tempore rebus ſuis frui potuerunt & Sathan & Pontifex. Emerſerunt enim mox à mille annis Vualdenſes,qui conſtanter oppugnarunt Papam,& eius impietatem. Excitauit Dominus reges aliquot,inter quos ſunt Friderychi Imperatores Germani,Ludouicus Bauarus,& multi alij. Diſsederunt item inter ſemetipſos Pontifices,dum plures eliguntur, & ſinguli uolunt eſſe uicarij Chriſti, atq; totum illud ſuum corpus eccleſiaſticum ſchiſmatis dilacerant. Exoriuntur prædicatores acres contra iſtos & omnem ſuperſtitionem, Vuickleff, Huſsius, Hieronymus Pragundus, & nonnulli alij. Quid hodie fiat,& iam factum ſit annis triginta & amplius,contra ſuperſtitiones,contra impietates,contra Papam,& contra totum clerum, clamitant ipſi Papiſtæ,& teſtantur omnes orbis partes. Proinde modico tempore ſolutus eſt diabolus. Dominus Ieſus conterat illum ſub pedes noſtros breui.

Quales futuri ſint mille illi anni, & de animarum à morte corporea certa beatitudine, & de reſurrectione prima, & morte ſecunda.

CONCIO LXXXVII.

ET uidi ſedes,& ſederunt ſuper eas,& iudicium datum eſt illis: & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter ſermonem Dei: & qui non adorauerunt beſtiam,neque imaginem eius,nec acceperunt characterem eius in frontibus ſuis: aut in manibus ſuis, & uixerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annis: cæteri uerò mortuorum non reuixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc illa reſurrectio prima. Beatus & ſanctus,qui habet partē in reſurrectione prima. In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

Declaratur quales futuri mille anni.

Declarat his ſemetipſum beatus Ioānes,explicās quales nā futuri ſint anni illi mille. Non quidē tales,quales permulti,inter quos & Chiliaſtę numerādi ueniūt,ſibi imaginantur,in quib. uidelicet ſit futura trāquillitas in terris,& quib. ſancti in hiſce terris in exquiſi-

exquisitissimis uoluptatib.uel gaudijs cum Christo regnaturi sint corporaliter. Nam hanc sententiam ipse Ioannes confutat,dum ostendit,sanctos decollandos fore à bestia & imagine eius:ac futuros qui in morte maneant, non reuiuiscant, aut Euangelium Christi recipiat.Claret itaq;,bestiã & imaginem eius futurã illis mille annis. Claret Euangelium Christi,per hos mille annos ita rutilaturum,ita in catena cohercendum satanam, ut nihilominus non omnes recipiant Euangelium, neq; tranquilla sit futura securitas:quin sancti propter ueritatem Christi persequutionem sustineant à bestia,ac multi Euangelio non credant,sed ei potius se opponant & pereant.interim tamen diabolum non tantam habiturum potestatem,quantam exactis mille annis consequutus est:neq; ita obscurandum mille annis Euangelium, sicuti postea corruptum & adulteratum est.Simul autem dogmata quædam insignia & necessaria admodum attingit & illustrat, nempe quæ sit sors illorum,qui uel occiduntur propter Christum, uel respuunt Antichristum:nempe quòd animæ ipsorum non dormiant usq; ad iudicium, sed uiuant cum Christo in cœlis.Differit præterea de resurrectione prima, & morte secunda.Sic autem mirantibus,ubi sint futuræ mortuorũ animæ, & quid facturæ mox à morte corporea,respondet,& quantum nouisse prodest exponit.

Animæ decollatorum.

Proinde uidet Ioannes sedes,& sedentes super eas.Qui uerò sedentes illi?Subiungit ipse per expositionem,& ait:Et animas decollatorum. Etenim expositione accipitur, quasi tu dicas,sedentes illi in sedibus cœlestibus, erant animæ decollatorum. Animæ non decollantur,sed corpora:animæ in statu & uita sua permanent.Vnde dicit,Animę decollatorum uel occisorum,nimirum corporũ. Obseruemus autem, loqui Ioannem non de corporibus reassumptis,immutatis, aut resuscitatis in iudicio ultimo,sed de animabus solutis à corporibus martyrum. Loquitur enim de animabus à corpore solutis,ante iudicium,prout quisq; suo tempore in hoc uiuit seculo, & inde euocatur per mortem. Nam & Aretas Cæsarien.intelligit & exponit hæc de animabus martyrum: interim non existimat neminem saluari,nisi gladio tyrannico sit extinctus.Nam addit & hæc:Vel certè tropicè decollatos dicit eos,qui membra sua, quæ sunt supra terram, mortificauerunt.Hæc ille.Sed & nos ostendimus superius, in primis uita sempiterna martyres donari,deinde omnes eos qui uerè Deum coluerunt, & pœnitentiam egerunt,carnemque crucifixerunt cum concupiscentijs suis.

Decollati propter Christum.

Significanter autem dicit,decollatos esse sanctos,non propter furta,parricidia & maleficia,sicut & Petrus docet 1.Pet.4.sed propter sermonem Dei,& testimoniũ Iesu Christi.Sermo Dei, ὁ λόγος, ipse est Dei filius Seruator noster: testimonium uerò, ipsum saluũ tare est Euangelium,ipsaq; prædicatio & confessio eiusdem: sicuti antea ex collatione Scripturarum demonstrauimus.Commemorantur item inter sanctos, qui nõ adorarunt bestiã,&c. Tales aũt sunt martyres decollati uel cæsi,quòd Deũ adorarũt,bestiã & imaginẽ eius adorare noluerunt.Cæterùm nõ omnes trucidantur, qui Antichristũ respuũt,ideoq; singulariter ueluti mẽbrũ peculiare hos quoq; cõmemorauit.Quid aũt sit adorare bestiã & imaginẽ eius, & accipere characterẽ, &c.exposui copiose superius in cap.13. Videamus porrò,quæ sit eorum sors,qui sanguinẽ fundũt pro Christo, & Antichristũ cum omnib.suis præstigijs execrãtur:Vixerũt,inquit, nimirũ fide in præsenti seculo.Sicuti & Paulus dixit:Viuo iam nõ ego,sed uiuit in me Christus.Sequitur uerò ex illa uita,uita sempiterna,in alio seculo. Vnde adiunxit Ioannes,Et regnauerũt cũ Christo mille annis: nimirũ toto illo temporis decursu. Non quòd postea nõ regnarint & uixerint cum Christo,sed quòd animę ipsorũ hactenus,siue ad iudicium usque, non dormiuerint,sed uixerint potius in cœlis uita beata.Id protinus ab initio etiam alia illustrat notatione,Videt enim sedes (θρόνους) positas, ac in ipsis considere animas. Tropica autem loquutione significat,certas sedes & loca honorifica parata esse in cœlis beatis animabus,sicuti & ipse Dominus in Euangelio ait:In domo patris mei mansiones multæ sunt,& nunc abeo paraturus uobis locum.Thronos autem appellat,allusione ad thronos regales.At de cœlestib.maiora, diuina & spiritualia intelligere oportet.In his sedent,nõ quòd nihil aliud quàm puluinari insideãt: sed regnãt, triumphãt, requiescũt,uiuũt & fruũtur solatio, & gaudio, & gloria sempiterna. Hoc inquã est se-

De statu animarũ postmortem ante iudicium.

dere animarum uel ſpirituum. Præterea addit, animabus illis datum eſſe iudicium, nimirum quòd iudicio ſint exempti, & in iudicium non ueniant (ſicut & Saluator dicit) ſed de morte tranſierint in uitam. Alibi quoque dictum eſt, quo ſenſu dicantur ſancti ſedere ſuper thronos, & iudicare orbem: cum reuera conſtet, omne iudicium Dei filio eſſe datum. Conſtat ergo ex hoc irrefragabili ſcripturæ loco, animas ſanctorum non dormire à morte corporea, uſque ad iudicium extremum, ſed uiuere in cœlis cum Chriſto. Sub iudicium autem redibunt ad corpora reſuſcitata, & unà cum corporibus recipientur in ſedes beatas. Et hæc eſt ſors fidelium. Ab hac ſpe nunquam patiamur nos abſtrahi. In Decalibus noſtris, pluribus diſſerui de animabus ſeparatis à corporibus, ac oſtendi animas non dormire.

Error fœdus Ioannis 22. papæ.

Non poſſum hic mihi temperare, quin aſcribam & recitem quæ D. Ioan. Funccius, uir doctus, diligens, & multæ lectionis, in Chronologiæ ſuæ lib. 10 ſub anno Domini 1332, in hæc uerba narrat: Per hæc tempora ſanctiſsimus papa Ioannes (eius nominis 22) in hanc hæreſim incidit, quam & publicè eſt profeſſus, quòd doceret, animas non uidere Deum ante nouiſsimam diem. Sic enim pater eius docuerat, deceptus Tantali uiſionibus, quæ uulgo circunferebantur ſcriptis editę. miſitque Ioannes duos cõcionatores, unum Prædicatorum, alterum Minorum ordinis, Parhiſios, qui errorem eius ibi profiterẽtur. Sed Pontifici reſtitit quidam Thomas prædicator Anglus, quem Papa in carcerem miſit. Rex uerò Gallorum conuocauit Synodum in Palatio ſuo, in Vitinia na ſylua, ubi omnes congregati contra Pontificem ſubſcripſerunt. Hinc Rex Legatos ad Papam miſit, adhortans ad reuocandum errorem ſuum, ac ut Thomam captum liberaret. Qui uinctum abſoluit: ſe quoq; (ut fertur) admonitionibus acquieſcens amicorum, in mortis articulo emendauit. Tantum Funccius. Pudeat ergo quoſdam, qui hodie in tanta Euangelij luce audent ineptiſsimum errorem reparare, aſſerendo animas ſeparatas à corporibus, neſcio in quo dormitorio ſtertere, neq; aliquid ſentire, uſque dum in die iudicij rurſus coniungantur cum corporibus, & reſurgant.

Cæteri mortuorum non reuixerunt.

Addit Ioannes: Cęteri uerò mortuorum non reuixerunt, donec conſummẽtur mille anni. Non quòd poſtea reuixerint, ſed quòd nunquam omnino reuixerint. Sicuti alibi ſcriptura dicit, Michol Dauidis uxorem manſiſſe ſterilem, uſque ad diem mortis ſuæ: non quòd à morte pepererit. At quos nam intelligit per cęteros mortuorum? Omnes quidem homines, ex Adamo deſcendentes, ſumus mortui. Id quod Paulus ad Romanos 5 cap. pulcherrimè oſtendit. Sed audiuimus quoſdam per fidem recepiſſe Chriſtum, atque ita uiuificatos, ſanguinem fudiſſe pro Chriſto, & noluiſſe adorare beſtiam, neque imaginem eius. Iam ſubiungitur huic membro: Cęteri uerò mortuorum, qui uidelicet neque per fidem regeniti ſunt, neq; uitam pro Chriſto deponere uoluerunt, ſed maluerunt beſtiam & imaginem eius adorare, hi inquam propter incredulitatem non uixerunt. Nam extra fidem nulla eſt uera in hoc ſeculo uita. De naturali uel animali uita in præſenti nihil loquimur. Dicimus autem duplicem eſſe uitam, ſpiritualem uidelicet alteram, fidei utiq; uel ſpiritus diuini, adeoq; Chriſti, qui fide percipitur & uiuit in ſuorum cordibus, ipſiq; uiuũt in ipſo. Dominus enim ipſe dicit: Qui manducat me, uiuet & ipſe propter me. Altera uita ſempiterna eſt, alterius nimirũ ſeculi, in quo Deum ſicuti eſt uidebimus, erimusq; ſicut ipſe eſt, uiuentes in Deo, & cum Deo in ſecula ſeculorum. Ex aduerſo duplex eſt mors: Spiritualis, qua Chriſto carentes, & ſpiritu eius, uacuique fide, uiuimus in peccatis. De hac morte loquens apoſtolus dicit uiduam, in delicijs uiuentem, uiuam eſſe mortuam. Sed & Dominus ad diſcipulum ſuum, uolentem redire domum, & parentibus perſoluere iuſta, dicit: Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos. Eſt & mors æterna, id eſt ſempiterna infelicitas & miſeria, quæ ſpiritualem ſequitur. Cæterùm uide quid de duplici morte dixerimus cap. huius lib. 3. dum exponimus epiſtolam ad Sardenſes. Proinde ſignificat Ioannes, mille iſtis annis plurimos futuros, qui Euangelium uiua fide non recipiant, eaque de cauſa in morte maneant: ſicut & Dominus Ioan. 8. dixit. Errant itaque turpiter, qui exiſtimant, ſub unitatem fidei, & ad pacem altiſsimam aliquando in hoc ſeculo peruenturas omnes in toto terrarum orbe gentes.

Vita duplex, & mors duplex.

1. Ioan. 3.

Quid

Quid quòd ipſe Ioannes iterum ſeſe explicans dicit, Hæc illa reſurrectio prima. Quæ obſecro? Qua homines uera fide Chriſtum recipiunt, & à peccatis reſurgunt in nouitatem uitæ. De hac loquitur pluribus Apoſtolus ad Roman. cap. 6. Idem ad Epheſios ex Iſaia: Euigila, inquit, qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus. Proinde primæ reſurrectionis participes non ſunt, quotquot peccata nec agnoſcunt, nec regenerantur, neque per fidem in Chriſtum uiuificantur, neque cum Chriſto in nouitate uitæ reſurgunt. Secunda reſurrectio, eſt uniuerſalis illa uniuerſæ carnis: qua reſurgent quidem omnes, ſed ſorte inæquali. Nam fideles reſurgunt ad uitam æternam: increduli ad mortem ſempiternam. Id quod Dominus quoque ex Danielis 12 cap. repetijt apud Ioannem in cap. 5. *De prima reſurrectione & ſecunda.*

Oſtendit autem per occaſionem, & more apoſtolico, triplicem primæ reſurrectionis fructũ, uel effectum. Principiò, beatus (inquit) & ſanctus eſt, qui primæ reſurrectionis particeps eſt. Beatus inquam, felix & hæres eſt uitæ cœleſtis & perpetuæ. Sanctus: id eſt purgatus, ſanctificatus & iuſtificatus. Sanctificat enim fides in Chriſtũ, ac beat. Deinde in huiuſmodi ſanctificatis mors ſecunda locum uel poteſtatem non habet. Eſt autem mors prima, mors peccati: ergo ſecunda mors, eſt damnatio æterna. Vide quæ de hac dixerimus iam antea, & in epiſtola ad Smirneñ. cap. huius libri 2. Poſtremò efficiuntur fideles ſacerdotes Dei & Chriſti, electi inquam ſegregati, inſignes, præcellentes, Deoq; & Chriſto chariſsimi, qui in æterna uita æternas laudes Deo offerant. Repetitur iterum, Et regnabunt cum illo mille annis. ac ſignificatur, omnes ſanctos cũ Chriſto æternũ quidem uicturos, ſed animas in primis, etiam ante iudicium. *Primæ reſurrectionis effectus.*

Primaſius Vticenſis epiſcopus hunc explicans locum: Non utiq; de ſolis epiſcopis, inquit, & presbyteris dictum eſt: ſed ſicut omnes Chriſtos dicimus, propter myſticum chriſma: ſic omnes ſacerdotes, quoniam membra ſunt unius ſacerdotis. De quib. apoſtolus Petrus: Gens, inquit, ſancta, regale ſacerdotiũ. Hæc ille. Porrò locum hunc integrum de alligato diabolo & ſoluto, & mille annis, & prima reſurrectione & morte ſecunda, multis & diligenter quidẽ pro ſuo tempore, & quantũ ipſe uidere potuit, differuit beatus Auguſtinus lib. de Ciuit. Dei 20. Ego hæc mea fidelibus diligenter dijudicanda propono. Teneat quiſque, quod putauerit ueritati maximè conſentaneum eſſe. Domino Deo noſtro ſit laus & gloria, nunc & in ſecula ſeculorum, Amen. *Non ſoli epiſcopi ſacerdotes.*

Quid futurum ſit conſummatis mille annis. De ſeducto orbe terrarum, & bello perſequutioneq; piorum graui, & pœna impiorum ſempiterna.

CONCIO LXXXVIII.

ET cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſathanas de carcere ſuo, & exibit ut ſeducat gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog, ut congreget eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectã. Et deſcendit ignis à Deo, è cœlo, & deuorauit eos. Et diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi beſtiæ & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.

Exponit his, quid poſt mille annos ſit futurum. Duo autem potiſsimũ dicit, ſoluendum ſathanam de carcere ſuo, ut gentes rurſus ſeducat in orbe, & ut congreget Gog & Magog in prelium. Quib. rurſus alia duo adiungit, atrociſsimam perſequutionẽ eccleſiæ, & pœnam impiorum, ſempiternamq; diaboli & membrorũ eius condemnationẽ. *Quid poſt mille annos futurum.*

Seductio aũt orbis terrarum rurſus explicanda erit per ſynecdocham. Neque enim dogmata Scripturæ permittunt intelligere, nullos illo tempore pios amplius futuros. *Quomodo iterum ſeductus ſit orbis.*

Nam credimus omnes esse ecclesiam, & quidem sanctam, & semper in mundo ad iudicium usque futuram. Audiuimus præterea in hoc libro, multa millia signari ne pereant. Sed & draconem modico soluendum tempore. Quemadmodum ergo in Euangelio legimus, eijci sathanam, & abrogari ipsi regnum: cum interim Petrus moneat & dicat, circuire diabolum leonis instar, & quærere quem deuoret: nimirum quòd sathanæ uirtus maxima sui parte per Christum, fortem illum heroem atque uictorem nobilem infracta sit fidelibus, dæmone nihilominus satagente & aspirante rursus ad imperium, suique restitutionem in integrum: Ita in præsentiarum intelligimus, sathanam solutum à mille annis, liberius nunc quidem uagari, maiorem exercere potestatem, & plures per uniuersum orbem seducere, latiusque imperitare, quàm regnauerit hactenus mille annis: ita tamen, ut nihilominus sit in orbe sanctorum cœtus uariè dispersus, & miserè affectus. Nam mox ipse Ioannes commemorat, dilectam Deo ciuitatem circundatam esse ab hostibus. Erit itaq; in medio hostium ecclesia. Vnde totus ille locus exponendus est non de ueritate & religione in uniuersum extincta, sed de liberiore & ampliore potestate & seductione sathanæ serpentis antiqui.

Egreditur ex carcere diabolus.

Proinde dicit, consummatis mille annis, soluendum diabolum è carcere illo suo, in quem Christi uirtute & opera, uel prædicatione apostolorum fuerat conclusus. Nam rupta catena, sincera uidelicet Euangelij doctrina & prædicatione corrupta & adulterata, exiuit: & in hunc finem exiuit, ut seducat gentes: id est, omnes populos & nationes, ad quatuor cardines uel plagas cœli, per uniuersum inquam orbem constitutas: ipsumque adeò Gog & Magog, nimirum homines feros, barbaros, mundanos, ueram religionem ridentes atque contemnentes, rapinis intentos, & rebus prauis deditos, ac corruptionem prauitatemque duntaxat spectantes, rapiat ad iniustitiam, detineatque in erroribus. Tales enim esse significat Ezechiel Gog & Magog. Cæterùm qui per diuinam gratiam tales non fuerint, non seducentur à sathana: sed in Christum fundati, perseuerabunt in doctrina prophetarum & apostolorum, ac ritè colent Christum, horrebunt Antichristum, & omnem in mundo corruptelam.

Qualis in orbe post mille annos seductio.

Porrò seductionem planè sathanicam latius & liberius totum orbem peruagatam esse ab annis illis mille absolutis, testatur experientia, testantur temporum testes historiæ. Constat enim, in oriente illis mille annis celebres Christi ecclesias fuisse, quas tamen excisas esse his quingentis annis dolemus. Mahumetismus ergo extrema abominatio à 600 à Christo nato annis cœpit, & deinceps per Saracenos est propagatus, uerùm inualuit demum à mille annis illis fatalibus. Nam quanta nunc sit Turcarum potentia in Aphrica, Asia & Europa, nemo est qui ignoret. Papismus uerò nimis maturè sua habuit initia & profectum: cæterùm à mille illis annis inualuit prorsus. Nam pontifices Romani, per abusum Excommunicationis, potentissimos etiam imperatores & reges oppresserunt. Quis enim ignorat, quàm impudenti audacia opposuerint se Põtifices regib. & imperatorib. Heinrychis, Friderychis, Ludouicis, & multis alijs principibus, quos istorum improbitas afflixit, fregit & superauit? Rapuerunt sibi Pontifices post multam & molestissimam contentionem, episcopatuum inuestituram. Rapuerunt sibi præterea & bona ecclesiastica, per quæ in mundo, quæ uoluerunt, (qualis est reginæ pecuniæ uis) efficere potuerunt. Etenim eo modo Papismus neruos accepit ualidissimos. Excitatus & confirmatus est insuper post mille illos annos deus ille Mayzim, cuius & Daniel meminit, qui & ipse Papismo robur ingens contulit. Trãssubstantiationẽ intelligo, & horribilẽ prophanationẽ diuinæ cœnæ, abusumq; sacrorũ multifarium. Creuit deniq; ex illo robore in immensum numerus sacrificum & monachorum. Nam post mille demum illos annos emersit secta uel ordo Præmonstratensium, Cistercienſium, Prædicatorũ, Franciscanorũ, Carmelitanorum, aliorumque plurimorum, qui insinuarunt se in omnium principum amicitiam, & arcana expiscari potuerunt omnia per confessionem auricularem. Impudentius prostare in ecclesia, diuendique cœperunt omnia, quàm antea unquam. Inundauerunt superstitiones & cæremoniæ inutiles & noxiæ. Nam uidimus nos ante annos 30, quàm in diem excreuerint idola & idololatria, cultus creaturarum, abusus innumeri circa istum, peregrinationes ad ido-

ad idola,& huius generis innumera,*Dass es ye länger ye böſ er worden*, &c. Non commemoro, nunc uiluiſſe ſanctum coniugium poſt mille illos annos, imò prohibitum eſſe eccleſiarum miniſtris.Exundaſſe fornicationes,ſtupra,adulteria,& his fœdiora,&c.Plurima hic tranſeo:illud tantum commemoro , ſi conferas ritus & cæremonias & ſuperſtitiones Papiſmi cum ethniciſmo, (id quod & per tranſennam alicubi in libris noſtris oſtendimus) dices, ethniciſmum Papiſmo ſuperari. Si enim falſa opinione & perſuaſione ſublata, expẽderis qualis ſit in ſe Papiſmus: fateberis, nunquam in orbe talem fuiſſe corruptelã. Rectè itaq; dicit Ioánes,ſathanã ſolutũ è carcere erupiſſe.Vnde & Germani duxiſſe uidemur prouerbiũ,*der Tüffel iſt ab der kettinen kummen*.Quo ,puerbio utimur in reb. extremè corruptis, ſignificãtes nihil ſuo loco,ordine ac decẽter fieri,ſed omnia eſſe corrupta,omnia ſurſum & deorſum uolui,mali ſpiritus arbitrio & libidine.

Gog & Magog congregantur in prælium.

Accedit his iam alterum,quod conſummatis mille annis ſathã Gog & Magog congregat in prælium.Quibus uerbis alluſit Ioannes haud dubiè ad uaticiniũ Ezechielis, quod legimus cap.38 & 39.Vaticinatus uidetur Ezechiel de bellis Macedonicis & Antiochicis,phraſi ꝓphetica per amplificationẽ & hyperochã de his loquutus.Dicit propheta,Gog eſſe terrã Magog.Cõſtat autẽ,Magog Iaphetis fuiſſe filiũ,qui habitauit ad Caucaſum,& imperiũ extendit uſq; in Aethiopiam & Aegyptũ.Et ex Aſia poſtea Antiochus Epiphanes,& quidem ex partibus orientalib. bellũ intulit populo Dei. Idem Antichriſti typus fuit: id quod omnes fatẽtur interpretes.Proinde apparet,Ioãnẽ per collationẽ hæc ſua proferre.Quaſi dixerit:Sicuti olim populus Gog & Magog infeſtauit,& miſerè afflixit Dei populũ:ita Antichriſti tẽporib. grauiſsima exorientur bella, quib.Dei eccleſia cõcutietur & deuaſtabitur.Et quidẽ dicit, exercitum iſtorũ uaſtatorum futurũ innumerabilẽ.Addit ex more Scripturæ parabolã propter euidentiã:Sicut arena maris.Sed & alio loquutionis genere adumbrat, quòd hoſtes populi Dei audaces futuri ſint,& expediti per totũ orbẽ circũcurſitaturi, & bellis omnia infeſtaturi. Nam dicit:Et aſcenderunt ſuper latitudinẽ terrę.Quaſi dixerit:Celeres & audaces totum percurrent terrarum orbem.Vbique & per latam undiq; terram bella ſęuient.

Circumierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam.

Significantiſsimè enim ſubiungit: Et circumierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam.ac intelligit,premendam grauiſsimè Dei eccleſiam bellis illis Gogicis,barbaricisque. Olim enim Hieruſalem appellabatur ciuitas electa & dilecta: ubi uerò reiecisſet uerbum Domini,amplius dilecta Deo non erat,ſed reiecta potius & odioſa.Proinde de eccleſia loquitur catholica Ioannes, quam alibi quoque ex Iſaia apoſtolus Paulus nominat,Quæ ſurſum eſt Hieruſalem.Eadem appellatur & Caſtra ſanctorum. Fideles enim,in eccleſia, ut caſtris uerſantur, pugnantes contra ſathanam,mundum, peccatũ & carnẽ.Dum autem dicit,Circũierunt caſtra ſanctorum : amplius quidpiam dicit,quàm ſi ſcripſiſſet, Impetierunt,uel obſederunt,aut impugnarunt caſtra ſanctorum.Circumeunt enim,qui undiquaque imminent,& grauiſsimè ceu iam captam urgent, ut nulli ulla ſpes appareat,nullum refugium pateat.

Sacro bello grauiſsimè afflicta eccleſia.

Certè ſi hæc contulerimus cum hiſtorijs,inueniemus eccleſiam ſæpe quidem atrocibus bellis eſſe petitam: ſed nunquam tamen atrociori , quàm poſt mille illos annos fatales.Sacrum,ut uocant,bellum intelligo.Id fuſe deſcripſerunt Guilhelmus Tyrius archiepiſcopus,Vrſpurgenſis abbas in Chronicis,Benedictus item à Coltis,& Paulus Aemylius de rebus geſtis Francorum libro quarto,denique Volaterranus per cõpendium lib.Geograph.11.in Cœleſyria & Palæſtina.Referũt multa hiſtorici de bello Troiano.Alij maiora putant fuiſſe Aſsyriaca & Babylonica. Celebrãt multi Perſica & Macedonica,ſicuti reuera horribilia fuerunt.Habent & Romani ſua illa bella Punica, Mithridatica,Ciuilia,Cymbrica & Germanica: ſed ego arbitror,bellum,quod uocant Sacrum,omnibus iſtis fuiſſe atrocius, cruentum ac diuturnum magis, & grauius. Concurrerunt in hoc maximis copijs,adeoque innumera turba,totius propè habitati orbis gentes & populi. Editæ ſunt ſtrages prodigioſæ. Ceciderunt plura hominum centena millia,quàm credi poſsit.Geſtum eſt præterea annis multis , imò pluribus quàm ſuperiora,aut ulla deniq; unquã in orbe bella. Geſtũ eſt inſuper animis infenſiſsimis. Et quod huc in primis facit, exaſperati ſunt hoc bello orientales Sarraceni, Turcæ,

Aegyptij,

Aegyptij,Babylonijque, & reliquæ gentes barbaræ ut implacabili odio arserint in religionem Christianam, & hanc radicitùs euellere conati sint, ac bona sui parte euulserint,neque hodie adhuc euellere desinant. Causa ergo fuit illud bellum, persequutionis fidelium in oriente & occidente omnium grauissimum. Ac ut nonnihil huius annotem,cõmemoremq;, uel propter imperitos historiarum, constat quidem sub uerè perditionis filio Gregorio 7,plurimas & celeberrimas in oriente fuisse ecclesias, & quidem patriarchales,adhuc saluas:dum autem hic Pontifex præ cęteris impiè ageret contra Christum Dei filium, & sanctam eius ecclesiam, quemadmodum & Solomonis tempore post eius defectionem legimus,hostes illi exortos esse acerrimos:ita Gregorij 7 pontificatu tyrãnico & impio, occupauit Antiochiam Solymanus Turca, quo tempore Imperatores Græci dicuntur exuti esse oriente. Egressi autem feruntur Turcæ primùm Caspias portas,& Armeniam inuasisse, uexasseque circa annum Domini 764.De qua re nunc non est dicendi locus.Succedit Solymanno Belchiarok princeps Turcicus,quem alij Belzetum nuncupant, qui etiam ipsam inuasit Græciam, Constantinop.imperatoribus spretis.Alexius,qui tum rerum protiebatur,auxilia ab occidentalibus contra Turcas petijsse dicitur.Sed & Petrus quidam hæremita (quem grauissimè historici quidam uituperant,nec absre) ex oriente rediens,& per occidentem discurrens,ad arma cõclamat. Conuocat in Gallia Vrbanus 2, quem nonnulli Turbanum uocant,ac Gregorij 7 discipulum nũcupãt,ad Claromõtẽ, nõ infrequentem synodum,in qua proponit quæstionem de recuperanda terra sancta, & sepulchro Domini eripiendo ex infidelium manibus.Admonet me illa synodus, eius quæ describitur in lib.Regum,celebrata sub Achab & Iosaphat,de recuperanda Ramoth Galaad ex manibus Syrorum. Fuit enim & in hac spiritus seductor,fuerunt Achabi,fuerunt & Iosaphat,fuerunt similia plurima. Ac ne multis agam, declaratur expeditio in orientales barbaros infideles.Factum id est anno Domini 1095. Interea festinat hæremita Petrus,& contrahit aliquot millia, quæ & per Pannonias in Asiam ducit. Sequũtur mox infausti duces Folckmarus & Gottschalkus sacerdõtes, qui in itinere omnia igne & ferro uastãtes trucidãtur. Tandẽ Gottfridus & Balduinus principes clariss. unà cum eximijs aliquot ducibus,nobilibus bellatoribus,ac innumera hominũ turba in Asiam traijciunt: quod factum aiunt anno Domini 1096. Cæterùm intra quadriennium aut triennium ui cæperunt,ac deditione acceperunt Nicæam,Heracliam,Tarsum, Antiochiam & Hierosolymam.Refert Vrspurgen.tantum effusum cruoris in urbe Hierosolymorũ,ut in templo ipso Hierosolymitano equi ad genua usq; steterint in cæsorum sanguine.Idem memorat,ad Ascalonem memorabilem commissam fuisse pugnam, in qua Christianorum circiter 15000 peditum,& 5000 equitum fuderint,& profligarint Solymannum Babyloniũ, instructũ equitib.centũ milib.& peditibus 400000, ac perijsse in ea pugna plus quàm centena millia hominum.Fuit autem Gottfridi expeditio prima inter memorabiles Syriacas aut Asiaticas.

Tempore Gregorij 7.mala inundare cœperunt.

Concilium Claromontanum.

3.Regum 22.

Expeditio Syriaca uel Asiatica prima.

Memorabilis pugna.

2 Sequutę sunt illam expeditionem plures aliæ,& instructissimæ quidem illæ.Dum enim per occidentem uictoria & felicitas celebraretur eximiè, eorum qui primùm in orientem mouerant,ampla spe excitatus Guilelmus Pictauien.princeps & dux, circiter centena millia expeditorum ducit & ipse in orientem. Numerabatur annus Domini 1101.Sed ex tanto numero uix mille scribuntur redijsse incolumes.

3 Postea dum numeraretur annus Domini 1147,hortante Bernardo Clareuallen.expeditionem in Orientem susceperc Ludouicus Francorum, & Conradus Germanorum reges,ac Friderychus princeps Sueuiæ,qui innumerabilem propè exercitũ duxere:sed interijt propemodum uniuersus,uix superstitibus principibus.

4 Anno aũt Domini 1189 capta à Soldano Persarũ principe urbe Hierosolymorũ,cũ eam obtinuissent Christiani annis duntaxat 89 aut circiter,ingentem exercitum conscripsere Imp.Friderychus Barbarossa cognominatus,Philippus rex Francorum, Rychardus rex Anglorum,& principes alij populi Christiani potentissimi,ad recuperandam urbem & terram sanctam:ac feliciter quidem exercitum in Asiam trãsportarunt, sed infelicissimè rem gesserunt.Etenim Imperator Friderychus aquis præfocatus perijt,

tijt: totus uerò exercitus, quod teſtatur Vrſpurgen. lue eſt extinctus.

Quintam, & memorabilem quidem, in Syriam expeditionem fecerunt reges poten 5
tiſsimi, Philippus Francorum, & Richardus Angliç. Factũ id aiũt anno Domini 1191.
Sed nullo cum fructu redierunt, deſideratis non paucis.

Ac Palmerius chronographus: Heinrychus, inquit, Barbaroſſæ filius, exercitũ in Sy 6
riã mittit, qui ꝓximo deinde anno reuertitur. Deſtituti ergo Chriſtiani in Syria, quod
reliquũ dominij poſſederant, penitus amiſere. Conſignat hæc ſub annũ Domini 1198.

Porrò anno Domini 1213, Innocentius eius nominis 3. conſcribit publicas ad om- 7
nes Chriſti fideles literas, quib. hortatur ad arma capeſcenda cõtra infideles, terrã ſan-
ctam occupantes. Literas, ſi cui uacat & libet legere, licet inuenire in Vrſpurgen. Chro
nicis. Mox ſub annum Domini 1215, generale celebrat in Lateꝛano conciliũ, quo bel- *Innocentius 3.*
lum in orientales decernitur. Sed & Honorius 3. circa annũ Domini 1217, eãdẽ rẽ tra- *iterum, ſicuti ſu*
ctat atq; cõfirmat. Vnde pleriq; principes Chriſtiani ad Acconẽ, quæ aliquãdo Ptole- *perius Vrba-*
mais erat, conuenere, bellumq; graue Orientalibus intulere, quo & Damiatam urbem *nus 2, ad arma*
nobilem cæpere. Interim nec finis nec fructus tantis reſpondit conatibus atque ſum- *conclamat.*
ptibus, periculisque ac detrimentis.

Ergo Friderychus 2, Imperator præſtãtiſsimus, ſperãs ſe aliquid effecturum, mouet 8
& ipſe copioſo & inſtructiſsimo exercitu in orientem: id quod factũ aiunt anno Domi
ni 1234. Interim dũ ille in oriente ſtrenuam nauat operam, pontifex Romanus Grego *Papa imperato*
rius eius nominis 9, captata occaſione (uerbis utor Vrpurgen.) de abſentia Imperato- *rem bella gerẽ*
ris, copioſum exercitum deſtinauit in Apuliam, & terras Imperatoris in ſeruitio Chri *tem in oriente,*
ſti demorantis abſtulit (quod nefandiſsimum eſt dicere) & ſibi ſubegit, & cruce ſi- *aggreditur in*
gnatos (id eſt in militiã orientalẽ profecturos) ne trãsfretarẽt, omni ſtudio prohibuit *occidente.*
tam in Apulia quàm Lombardia. Et reliqua, quæ tu lege, ſi uacat, apud eundẽ. Proindẽ
Imperator coactus, re propemodum infecta, paciſci cum hoſte, redijt, ut ablata ſibi à
Pontifice recuperaret.

Non ita longo pòſt tẽpore, nimirũ anno Domini 1248, Ludouicus Francorũ rex 9
cũ fratrib. ſuis Roberto & Carolo, exercituq; numeroſiſsimo, nauigat in Syriã: ubi &
Robertus cadit, & Carolus à Soltano capitur, uix demũ liberatur, & cũ paucis euadit.

Idem Ludouicus Francorum rex, anno Domini 1270, cum trib. filijs ſoluit Maſsi- 10
lia, in Aphricam traiecturus. Lues inuadit exercitum ipſius in terra hoſtili, qua & patet
& filius interiere, uniuerſo præterea exercitui magna calamitate illata.

Rurſus uerò, licet aduerſo Marte pugnaretur cõtra barbaros, tractatũ fuit nihilomi-
nus in cõcilio Lugdunenſi ſub Gregorio 10, ſub annũ Domini 1273, de recuperanda
terra Sancta. Verùm Palmerius in cõſignatione anni 1291. Plurib. Chriſtianorũ, inquit,
millibus interfectis in Syria à Saracenis, reliqui omnes præ timore è prouincia migra-
runt. Et Chronicũ de regib. Frãcorũ: Aemilius, inquit, hic (nimirũ in annum Domini
1291) ſtatuit finem belli Sacri, in oriente Ptolemaide à Ṣoldano deleta. Conſtat itaq;
bellum hoc barbaricũ & Gogicum durauiſſe annis plus minus 195. Quãto quidẽ tem
pore ignoro ullũ in orbe bellũ tanta animorũ obſtinatione, tantis copijs, & tãta ui cru
oris humani effuſi nũquã fuiſſe geſtũ. Cernimus interim caſtra ſanctorũ, & ciuitatem
Deo dilectã, fidelem utiq; per mundũ, in oriẽte potiſsimũ, deinde & in occidente eccle
ſiam, grauiſsimè eſſe afflictã, & tantũ nõ oppreſſam & exciſam, reliquijs ſuperantibus
duntaxat modicis: ut non abs re intelligamus dixiſſe Dominum in Euãgelio: Verun-
tamen filius hominis cum uenerit, num inueniet fidem in terra?

Præuidiſſe ac præcinuiſſe illa quidẽ omnia, ſicuti & alia Antichriſti, uidetur ſapien- *Tractatur obi*
tiſs. Dei propheta Daniel, qui poſteaquã copioſe dixiſſet de potentia Antichriſti, & de *ter locus Da-*
cultu Dei Mayzim ctõra inſtitutum Apoſtolicum inſtituto, ſubiungit, in cap. 11. Et in *nielis 11.*
tempore finis, appropinquante nimirum fine ſeculi & iudicio extremo, inuehetur in
eum, utiq; in Antichriſtum, rex Auſtri, ac inſtar turbinis irruet in illũ rex Aquilonis,
cum curribus & equitibus, atque cum claſſe inſtructa & copioſa, ingredieturq; regio-
nes, inũdabit copijs, certè innumerabilibus, & trãſibit, perrũpet uidelicet uictor, reb. ex
ſentẽtia geſtis. Etenim intelleximus, Turcas, ſed & Babylonicũ & Aegyptiũ Soldanũ

graui

graui bello fatigaſſe terra mariq́ue, exercitus per concilia & ex inſtinctu pont. Romani in orientem miſſos. Quid Daniel, ueluti digito Sacrum, quod uocant, bellum indicans, ſubdit? Veniet quoque in terram electam, uel inuadet terram deſiderij: Iudæam nimirum, quæ aliquando electa, amœna & deſiderij terra uocabatur. & multi corruent, in bello ſcilicet, quod geretur pro terra ſancta recuperanda. Sequitur in Daniele: Iſtæ liberabuntur de manu eius, Aedom & Moab, & principium filiorum Ammon. Etenim gentes illæ non ita ut reliquæ leguntur uaſtatæ à Saracenis, & poſtea à Turcis, quòd in tempore illis ſeſe attemperauerint commodè. Subiungit Daniel: Et mittet, ſiue injiciet manus ſuas in terras, nec euadet Aegypti terra. Nã conſtat, ipſam quoque à principibus Babyloniorum Soldanis, & imperatoribus Turcarum occupatam eſſe. Sequitur: Et dominabitur theſauris auri & argenti, & omnibus rebus precioſis Aegyptiorum. Quibus propheta diuitias & facultates inæſtimabiles, maieſtatemq́ue præcellentẽ Soldanorum & Turcicorum imperatorum notauit. Quæ omnia, ita ut prædixit uates, experientia conuincit eſſe adimpleta, & impleri adhuc. Addit propheta: Libyes denique & Aethiopes erunt in eius profectionibus. Id quod uetus ille interpres uertit, Per Libyam quoque & Aethiopiam tranſibit. uel ut alij uerterũt: Erunt in eius greſsibus. Significat autẽ, patêre Barbaris iſtis, Soldanis & Imperatoribus Turcicis, iſtas regiones, per fœdera uicinitatem & amicitiam. S. Hieronymus hunc locum exponens: Capta, inquit, Aegypto, etiam illæ prouinciæ conturbatæ ſunt. Vnde non dicit, quòd cæperit eas: ſed per Libyas Aethiopiasq́ue tranſierit. Vtrum ex his ſenſum delegeris, nihil aberraueris, opinor, à uero. Addit Daniel: Turbabit autem eum fama ab Ortu & Septentrione, ita ut egrediatur magno furore ad uaſtandum & occidẽdum plurimos. Id quod de Antichriſto exponendum eſſe, oſtendit Hieronymus. Clamitat Pont. Romanus, ſibi ſubiectas eſſe ſedes patriarchales, Hieroſolymam, Antiochiam, Alexandriam, ſibi inquam deberi terram ſanctam. Audit autem, ex oriente & ſeptentrione illas partes omnes occupari à Soldanis, ab Imperatoribus Turcicis: conuocat ergo ſynodos maximas, & decernit contra illos bellum. Audit præterea captam eſſe Conſtantinopolim, captam Rhodum, captam Dalmatiam, Bulgariam, Hungariã, &c. rurſus ergo ſynodos conſcribit, reges armat, milites educit, bella gerit, & gerenda eſſe decernit, pro recuperanda terra ſancta, & Turcis eradicandis. Ita uerò bellũ Gogicum ne hodie quidem eſt ſopitum, aut pacatum. Quare fit, ut utrinque cadat infinita hominum turba. Porrò ad finem huius uaticinij oſtendit propheta, & ceu digito quidem oſtendit, palatium uel ſedem Antichriſti, per Antiochum præfigurari: ne quis ignoraret, ubi Antichriſtus inueniretur. Et plantabit uel figet, inquit, tabernaculum ſui palatij inter duo maria: Hadriaticum utique & Tyrrhenum. in monte deſiderij ſanctitatis: id eſt, in monte inclyto & ſancto. Audiuimus certè, limina beati Petri præferri & monti Zion, & monti Sinai. Ibi ſedet ſanctiſsimus, in ſede ſanctitatis. Ibi eſt pleniſsima omnium peccatorũ remiſsio. Ibi eſt mater & ſuprema, & caput omniũ eccleſiarũ. Ibi eſt ſupremum iudicium, unde nemini appellare licet. Ibi ſedet rex regum, & Pontifex ſummus, qui tantum ſplendore & maieſtate antecellit Imperatorem & reges cæteros, quantum ſol lunam & ſtellas. Ibi creditur eſſe abſoluta ſanctitas, & omnes Chriſti & ſanctorum eius theſauri. Rectè ergo dixit Daniel, Antichriſtum habitaturum in mõte inclyto & ſancto, nimirũ in ſepticolli Roma: ſicuti & 17. cap. audiuimus. Poſtremò etiam de fine huius potentiſs. principis Antichriſti prophetat, & ait: Cumq́; attigerit finem ſuum, nemo illi auxiliabitur. Nam Chriſtus ueniens in iudicium, deturbabit illum ex ſede ſua. Et Daniel conſequenti cap. 12. iudicium deſcribit. Chriſto ſoli gloria.

Sedes & palatium Antichriſti.

Et deſcendit ignis de cœlo, &c.

Pergemus conſequenter & de pœna impiorum, ſempiternaq́; diaboli & membrorum eius condemnatione, paucula adijcere. Ioannes: Et deſcendit ignis à Deo, de cœlo, & deuorauit eos. Vindictam autem diuinam appellauit Amos in primo cap. ſicuti & reliqui prophetæ ignem. Proinde ſignificat Ioannes, diuinam uindictam in omnes eccleſiæ hoſtes animaduerſuram. Quondam etiam ignis cœlitùs deſcendens, Sodomam & Gomorram exuſsit: ſed & hoſtes Heliæ abſumpſit. licet autem corporaliter ignis cœlitùs non ſemper delabatur, nunquam tamen impunè ferunt eccleſiæ perſequu-

quutores,quòd ſanctos Chriſti diuexarunt.Certè ſi inſpiciamus & expendamus,quid factum ſit in bello illo ſacro,& quid quotidie eueniat,dicemus ultionem Dei & contra Turcas & contra Papiſtas eſſe præſentiſsimam.Si quis uerò intelligat,ſub finem ſeculi ignem ſæuiturum & deuoraturũ impios,ſicuti & Petrus ex prophetis ignis incendijque meminit,2. Pet.3. non refragabor.

Poſtremò omnium attingit & ſempiternam ſatanæ & omnium membrorum eius condemnationem.Cum enim Dominus in Euangelio dixerit,Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadunt in foueam:conſequens eſt,& ſeductorem ſatanam,& ſeductas ab eo gentes,pariter rapi ad inferos:ubi Ioannes collocat iam,& quaſi coniungit diabolum, Gog & Magog,Sarracenos,Turcas,breuiter omnes ſeductas gentes,beſtiam & pſeudoprophetam,& pariter Antichriſtianos omnes.Cernimus ergo,iudicium Dei eſſe iuſtum,ad quod deſcribendum iam iterum redit. Superius autem monuimus, hac loquutione,Cruciabuntur die & nocte,&c.perpetuitatem ſignificari condemnationis. A' qua liberet nos Dominus Deus noſter: cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Deſcribitur iudex,& iudicium extremum,cum reſurrectione mortuorum.

CONCIO LXXXIX.

ET uidi thronum candidum magnum: & ſedentem ſuper eum,à cuius cõſpectu fugit terra & cœlum, & locus non eſt inuentus eis.Et uidi mortuos magnos & puſillos, ſtãtes in cõſpectu Dei.Et libri aperti ſunt:& alius liber apertus eſt,qui eſt uitæ:& iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris,ſecundum opera eorum. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt eos qui in eo erant mortuos, & iudicatum eſt de illis ſecundum opera ipſorum.Et infernus & mors coniecti ſunt in ſtagnum ignis.Hęc eſt mors ſecunda. Et qui non inuentus eſt in libro uitæ ſcriptus,coniectus eſt in ſtagnum ignis.

Diſpoſitio huius loci.

Incœperat Ioannes dicere de iudicio uniuerſali & extremo,ſub finem cap. 11. eadem reſumpſit abſoluenda in cap.19.ubi audiuimus,Antichriſtum deijciendum ex ſede & gloria ſua in inferos.Ibi incidit quæſtio de ijs qui cum Antichriſto nõ adhęreant,Chriſto interim etiam non ſunt coniuncti,quid de ipſis in iudicio ſit futurum?Id ubi abſoluit,& æquitatem iudiciorum Dei oſtendit, epanodo redit ad deſcriptionem iudicij uniuerſalis & extremi,& per compendium deſcribit hoc: & quidem generalius nunc, quàm antea in cap.19.ubi uidetur interitum Antichriſti potiſsimùm tractauiſſe: ut tamen etiam utcunq; oſtenderit, quid alijs euenturum ſit impijs. nunc generalius hoc ipſum tractat iudicium,oſtendens omnes in hoc iudicandos eſſe,ac ipſum totum inſpiciendum oculis noſtris ueluti depictum proponit. Etenim more ſuo totum hoc negotium uiſione cœleſti exponit,ne duntaxat rem auribus narrare, ſed oculis quoq; inſpiciendã obijcere uideatur, quo animis noſtris infigatur altius. Sunt autem hæc omnia certa & compertiſsima (quod & ſuperius monui) ab ipſo Chriſto iudice reuelata.Neque uerò ignorare huius negotij quicquam poteſt ipſe iudex & Dominus. Neque in ulla re,quam hactenus ,ppoſuit nobis Ioannes, falſum aut deceptũ,quinimò omnia & ſingula acu attigiſſe,uidimus,qui completa uaticinia eius teſtari poſſumus:cur itaque de his quæ de iudicio dicuntur,uel tantillum dubitaremus?Proinde credamus his,neque ſimus inter illuſores,quos prædixit Petrus apoſtolus,uẽturos & dicturos: Vbi eſt pollicitatio aduentus eius? Certè eſt hoc negocium maximi momenti,fundamentum & radix fidei noſtræ.Explicantur hic nobis non pauci articuli fidei noſtrę ſinceræ &

Cõſideratio iudicij extremi eſt maximi momenti.

A catho-

catholicæ,illi in primis, Credo Chriſtum uenturum iudicare uiuos & mortuos: Credo communionem ſanctorum, carnis reſurrectionem,& uitam æternam. Simus itaq; diligentes in his audiendis & conſeruandis,ne inter illos numeremur,qui abſque fructu audiunt myſteria regni Dei: ſed paremus nos potius in occurſum iudicis, ut cum prudentibus uirginibus,cum ſponſo, ad nuptias & gaudia ſempiterna ingrediamur.

Capita huius loci potiſsima.

Habet autem uiſionis deſcriptio uel demonſtratio hæc potiſsimum, qualis futurus ſit iudex: qui nam ſint iudicandi: quomodo item ſint iudicandi: quòd & qualis futura ſit reſurrectio mortuorum:& de damnatione æterna: qui denique propriè ſint damnandi.Quæ ſuo ordine,pro gratia à Domino accepta, explicabimus quàm poſſumus perſpicuè.

Qualis iudex in extremo iudicio.

Qualis futurus ſit iudex, ſuperius intelleximus: in præſenti notis quibuſdam adumbratur. Congruunt hæc cum ea uiſione, quæ deſcribitur à Daniele cap. ſeptimo. Vbi obiter & denuò uidemus hunc librum ſua habere teſtimonia à prophetis,à quibus nobis commendatur, ſicuti & Ioannes prophetas nobis illuſtrat. Videt Ioannes thronum, & quidem candidum & magnum. Dixit enim ipſe iudex, ſe in gloria & maieſtate, multa nimirum cum luce, uenturum. Sed & nos credimus, æqua, iuſta & candida eſſe eius iudicia. Aretas uerò interpres:Magnus, inquit, eſt thronus, quia ille in throno ſedet,de quo propheta dixit: Magnus eſt Dominus noſter, & magna uirtus eius, &c.Ac in throno quidem tanquam iudex uniuerſorum, & æquiſsimus,ſedet, omni inſtructus poteſtate & uirtute. Nam uniuerſum hoc ſignificat uerbum ſedendi. Iudicandi uerò ſtant,ipſe ſedet. Ergo ſedentem appellat, quaſi tu dicas iudicem. Nomen enim illi nullum alioqui tribuit. At nos credimus,omne iudicium datum eſſe filio, & ipſum eſſe conſtitutum iudicem uniuerſorum. Videt ergo Ioannes, ſed & nobis contemplandum exhibet Ieſum Chriſtum Dominum,in nubibus cœli uenientem, iudicem iuſtum & potentem. Paulus quoque ad Titum 2 uocat ipſum Deum magnum: non quòd alius quidem ſit Deus magnus, alius paruus: ſed quòd maieſtas Domini Ieſu Chriſti in illo die omnium ſpectatiſsimè uiſenda,ac ipſe Dominus maiori cum gloria & potentia orbi ſe exhibiturus ſit,quàm antea unquam.

A' cuius conſpectu fugit cœlum.

Idem etiam ſeueriſsimus iuſtiſsimusque apparebit. Vnde per proſopopœiam dicit Ioannes, A' cuius conſpectu fugit cœlum & terra. Etenim ſi illa quæ non peccauerunt,in conſpectũ iudicis uenire non audent, ſed fuga ſibi quaſi conſulunt:ubi oro apparebit impius & peccator? Certè Malachias quoque:Quis, inquit,diem aduentus eius ſuſtinuerit?aut quis ſtare poterit,cum ille apparuerit? Ita in cap. ſexto audiuimus cœlum recedere,& inſtar uoluminis inuolui,montes item & inſulas migrare,ac reges principesque & cæteros homines ſe abdere in ſpeluncas:montibusque & petris dicere, Cadite ſuper nos,& abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, &c. Quibus uerbis etſi deſcribatur effectus conſcientiæ deſperatæ ex corrupta doctrina: is tamen in hoc iudicio potiſsimum ſe exeret, cum ſeuerus & iuſtiſsimus iudex apparebit.Non diſsimilis proſopopœia legitur & Pſal.18. Quòd additur, Et locus eius non eſt inuentus:amplificationis gratia adijcitur,non quòd nullibi futura ſint cœlum & terra,ſed quòd non audeant (quod per tropum dicitur) comparere in iudicio Dei. Germanicè dicimus, Er *dorfft ſich nienen laſſen finden*, Er *dorfft nienen blyben*. Significatur ergo his omnibus,impios omni deſtitutos conſilio,neſcire in illa die quò ſe uertant,aut quid faciant:ſed trementes & deſperantes tormentis infandis torqueri ante thronum. Videri poterat interim & hoc per Ioannem ſignificari, cœlum & terram ſub aduentum iudicis eſſe innouãda. Id quod Petrus apoſtolus ſignificantius exprimit in ſecunda epiſt.cap.3.qui tamẽ ad illum quoq; omnia illa ſua ſenſum applicat,quem ſuperius attigimus.Nam dicit:Cũ igitur hæc omnia ſoluãtur, quales eſſe oportet uos in ſanctis cõuerſationib.expectãtes & accelerãtes aduentũ diei Dei?Aretas Cæſarieñ.Cœli & terræ fuga,inquit,nullã ſignificat loci mutationẽ (quò enim cederẽt?) ſed fugam migrationẽq; à corruptione ad incorruptibilitatẽ,& poſtremũ Domini aduentum, ſub quo mortale hoc corpus noſtrũ induet immortalitatẽ,& renouabitur facies terræ.Hæc ille. Similis loquutio habetur Apoc.12,de angelis cœlo deiectis: Neq; locus inuẽtus eſt eorum amplius in cœlo,&c.

Attin-

Attingit iam, etiã qui ſint iudicandi, nimirũ mortui. Dicit enim: Et uidi mortuos. Mox autem audiemus, mortuos fore excitandos. Iudicabũtur ergo reſurgẽtes ex mortuis. Interim uiuentes non excluduntur, quos Apoſtolus manifeſtiſsimè iudicãdos dicit, 1. Theſſ. 4. Hos autem in præſenti non nominat, mortuos nominat: quòd mortuorum reſurrectio credatur difficilius: facilius autem credatur, reſiduos in carne ad diem illam iudicandos fore. Et quidem animæ nunquam intermoriuntur, corpora moriuntur. Proinde cum dicitur hic, mortuos iudicandos, intelligimus eos omnes, qui mortui ſunt in illa die uenturos in proprijs corporibus ad iudicium Chriſti. Omnes autem homines iudicari oportet. Vnde Ioannes uidet magnos & puſillos: id eſt omnis generis, ordinis, ſexus, ætatis homines. Non excipiuntur reges & principes, non ſubterfugient uulgares homines, non pueri, non ſenes, non uiri, non fœminæ. Omnes uidit ille ſtantes ante conſpectum, uel ante tribunal Dei. Statuuntur autem rei aut accuſati, uel accuſandi, ante Dei tribunal. Sed & Paulus de hac re diſertè teſtificans: Omnes nos, inquit, manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum, 2. Cor. 5. Diuerſa uerò ratione apparent boni & mali. Nam hi tanquam rei ſtatuuntur iudicandi & punien di, & ut reatus ipſorum omni creaturæ patefiat. Illi uerò, quia iuſtificati & abſoluti ſunt, nullumque iam amplius propter ſatisfactionem Chriſti, reatum aut culpam habent, apparent in iudicio cum gloria, iudicaturi impios, ſuo modo & ſua ratione, non autem à quoquã iudicandi. Singulare autem eſt quod dicit, nos in conſpectu Dei iudicandos. Quis enim appareat in conſpectu Dei tremendi, & ignis omnia conſumentis, niſi qui Chriſti fuerit ſanguine purgatus? Quid uerò putabimus latêre aut ſubterfugere poſſe conſpectum Dei, omnia cernẽtis?

Qui ſint iudicandi.

Omnes homines iudicantur.

Impij iudicantur, pij non itẽ.

Exponit præterea Ioannes, quomodo ſint iudicandi mortui: Libri, inquit, aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, &c. Proinde ex libris, deinde ex libro uitæ: hoc eſt, ex ijs quæ ſcripta ſunt in illis libris, iudicati ſunt mortui. Affingit autẽ Scriptura Deo morem humanum, quo ſibi homines conſcribunt memorialia, ne rerum obliuiſcantur: apud Deum uerò omnia ſunt ſemel & ſemper præſentia, non obliuiſcitur neque recordatur: interim utrumque ei tribuit Scriptura. Cæterùm obliuiſci dicitur Deus, cum non iuuat, uel non punit: rurſus recordari dicitur, cum iuuat uel punit. Apud Malachiam impij dicunt, Deum non curare res mortalium, neque benefacere pijs, neque punire impios. Sed reſpondetur protinus: Tum qui timent Dominum, quiſque ad proximum ſuum loquuti ſunt: Attendit & audiuit Dominus, & ſcriptus eſt commentarius uel liber memorialis coram eo. & quæ ſequuntur. Libris ergo ſuis apertis, id eſt, prolatis omnium hominum ſecretis, uel manifeſtatis quæcunque cogitata, dicta, facta & omiſſa ſunt, iudicabit Dominus. Sed & libri conſcientiarum (eſt autem conſcientia mille teſtium loco) aperientur in iudicio, Deo reuelante omnia, & iudicante. Paulus enim, loquens de gentibus: Illæ, inquit, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul atteſtante illorum conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus, in eo die quo iudicabit Dominus occulta hominum, iuxta Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum. Atque hi reuera ſunt libri, qui referabũtur in iudicio. Vnde claret, expeditiſsimum fore iudicium, neq; cũ quolibet ex libris manuſcriptis ad faſtidium uſque agendum, ut rudiores ex his imaginari poterant.

Quomodo iudicandi homines in ultimo iudicio.

Obliuio & recordatio Dei.

Sed quis eſt ſingularis ille liber uitæ, qui etiam aperietur in iudicio? De libro uitæ dictum eſt capite 3. inde requiras licet. In ſumma, Liber uitæ unicum caput habet: Qui credit in filium Dei, habet uitam æternam. Ideoque iudicantur homines ex hoc quod ſcribitur in libro uitæ. Nam qui credunt, ſaluantur: qui non credunt, iam iudicati ſunt, id eſt certiſsimè damnãtur.

Liber uitæ.

Quoniam uerò fides ſe exerit per opera, incredulitas itẽ in animo latitãs, prodit ſe operibus: ideo Ioannes addit protinus, Secũdum opera ipſorum. Homo enim in Scripturis aſsimilatur arbori. Arbor uerò iudicatur ex fructib. bonáne an mala ſit. Habet arbor animã uegetatiuã, & ingeniũ, pro ſua ſpecie & natura fructũ pferẽs. anima uerò uegetatiua & ingeniũ illud bonum, in nobis procreans bonũ fructum, id eſt opera bona,

Iudicatur quiſque ex operibus.

eſt fides uiua in Chriſtũ. Vbi hæc eſt, ibi regenitus eſt homo, & ingeniũ habet bonũ: nõ ergo nõ poteſt pro ingenio bono, bonos proferre fructus. Secundũ ergo opera iudicabimur omnes. Manifeſtũ enim oportet eſſe iudiciũ: at fides manifeſta nõ eſt, niſi in operibus. Nã donũ Dei eſt, & inuiſibilis eſt in ſe, utiq; fiducia certa in Dei promiſſa. Cerniter autem in operib. Inde uerò nõ ſequitur, operib. etiã, nõ fide ſola iuſtificari: ſed operibus fidẽ declarari, quæ mũdat & iuſtificat, ut deinceps opera iuſtitiæ proferre ualeamus. Sequitur, in iudicio nullũ prætextũ, nullã hypocriſim ualiturã. Nam multi dicunt ſe credere, qui nullis operibus bonis fidem ſuam declarant. Diſcimus ex his, nullum librum ualiturum in iudicio extremo, quàm Dei libros, uel cõſcientiarum libros, in quos digito ſuo ſcribit Deus: librum denique uitæ à Deo ſcriptum ante ſecula condita, per diuinam prædeſtinationem, qua prædeſtinauit nos, ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum. Et reliqua, quæ commemorat Paulus Epheſ. 1. cap. Proinde pereant Iudæorum, Chriſtianorum titulotenus, & Turcarum libri noxij, Thalmud, Decretales & Alchoranus. Nihil hi prorſus ualebunt in iudicio.

De reſurrectione mortuorũ.

Porrò redit ad mortuos, quorum ſuperius fecerat mẽtionẽ: & ne quis diceret, Quo modo iudicabuntur mortui, qui perierũt in mari, qui deuorati ſunt à piſcibus & feris, qui abſumpti ſunt ignib. aut in terra, redacti ſunt in puluerẽ? ꝓoccupat, & declarat corpora mortuorũ reſurgere, & ita reſtituta ſubire iudiciũ, & ait: Et dedit mare mortuos, qui in eo erãt: id eſt, qui perierãt in mari. Hiſce quoq; uerbis modũ & rationẽ reſurrectionis mortuorũ attigit, ſimul & ad primũ cap. Geneſeos relegauit. Modus reſurrectionis, eſt diuina omnipotentia, ſicuti & Paulus teſtatur Philip. 3. Nã omnipotẽtia ſua excitat Deus, & uocat ea quæ nõ ſunt, ut ſint. Si id tibi nouũ aut impoſsibile uidetur, cõtẽplare primordia rerũ, & inde æſtima finalẽ reſtitutionẽ. An nõ ab initio mare uel aqua fuit? An uerò ullos ab initio piſces habuiſſe ſcribitur? Nullos. At qui mãdauit Deus, ut aqua ſcateret piſcibus. An nõ ad imperiũ Dei omnis generis piſces protinus apparuerunt, ubi prius ne unus quidem fuerat? Quid ergo mirum, ſi in fine rerũ Deus mari, ſimul etiã omnibus elemẽtis mãdet, ut mortuos ſuos reddant, & hæc creatori obediant? Certè Dominus in Euãgelio dicit, & eos qui in monumẽtis ſunt, audituros uocem uel mandatũ filij Dei, & reſuſcitãdos. Sed & corpora morientiũ reſoluũtur ferè in ea elemẽta, unde ſumpta ſunt. Eſt qui in terra cõputreſcat, & in terrã conuertatur. Eſt qui abſumitur ignib. eſt qui interit in aquis, eſt qui in aere ſuſpenſus, ibi conſumitur. Verùm iubente Domino, quocũq; genere mortis homines perierint, reſurgẽt ad iudicium integri. Vidit hũc ſenſum Aretas quoq; Cęſarien. ac dixit: Recenſet hæc, ut qualis finalis uniuerſalisq; futura reſurrectio ſit, enodet. Cũ enim nõnulli eam futurã minimè credentes, dicãt, fieri nullo modo eam poſſe, in ijs corporibus quæ à ſeculo corrupta fuerint, & eò deducta, ut omnino non ſint: hoc nũc corrigens hic ſermo, ait: Quem admodum corpora in principio, cũ nõ eſſent, eſſe cœperũt, nõ caſu quodam aut ex ſeſe, ſed ex quatuor elementis, aqua uidelicet, igne, aere ac terra: ita etiam rationabiliter in hęc eadem rurſum reuoluta, ex ijſdem iterum compingentur. Et reliqua.

Ioan. 5.

Mors & infernus dederunt eos, &c.

Rurſus uerò explicandi gratia adiungit: Et mors & infernus dederunt eos, qui in ipſis erant, mortuos. Intelligit enim per mortẽ, quamlibet mortis ſpeciẽ. quaſi dixerit: Mors ipſa reddit iudici & iudicio, quoſcunq; quocũque modo ſuſtulit. Fingitur ergo mors ueluti perſona eſſe, quæ in ſe uel in carcere mortuos teneat. Infernus aũt paucula (legimus enim quoſdam uiuos deſcendiſſe ad inferos) tenet corpora adhuc, ſed animas impiorum. Redeunt hæ ad corpora, ut iudicetur totus homo corpore & anima. Alij per infernum, ſchemate Hebraico, intelligunt ſepulchrum uel foueam. Repetitur iterum, hominem totũ ſecundũ animã & corpus iudicãdũ eſſe, ſecũdũ opera cuiuſq;.

De damnatione æterna.

Hæc hactenus de reſurrectione mortuorũ, de qua in libris noſtris alibi copioſius diſputauimus. Sequitur ultimo loco de dãnatione æterna, & qui propriè cõdẽnẽtur: Et infernus, inquit, & mors cõiecti ſunt in ſtagnum ignis. De quo ſuperius dictum eſt. Significat autẽ infernus nõ locũ ſupplicij, ſed eos qui indigent ſunt, aut fuerãt, inferorũ, quorũ uidelicet animę hactenus detẽtę ſunt apud inferos, aũt qui deſtinati ſunt tartaro. Mors quoq; ſignificat mortuos in peccatis, & eos q ex morte ſpirituali & tẽporaria

rectà transeunt in mortem æternam. Vnde mox subiungitur: Hæc est mors secũda, quæ scilicet æternis ignibus mancipantur mortui Christo, uiuentes autem Antichristo & mundo. Alij exponunt hęc de eo, quòd à iudicio sancti nec sepeliendi sint amplius, neque morituri. Quod & Paulus asseruit ex Osea in 1. ad Corinth. cap. 15. Aretas & Primasius nobiscum faciunt. Nam ille: Mortem, inquit, uocat, & infernũ, eos qui digna supplicio perpetrarunt, ceu secundæ mortis turbam explentes. Hic uerò: His nominibus, inquit, significat diabolum (quoniam mortis est autor, infernarumque pœnarum) uniuersorumque simul dæmonum societatẽ. Hoc est enim quod suprà euidentius præoccupando iam dixerat: Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris. Quod uerò ibi obscurius adiunxerat, dicens, quod & bestia & pseudopropheta, hic apertius. Tantum Primasius. Quis autem ignoret, membra consequi caput, impios omnes impietatis caput diabolum?

Significantissimè uerò exprimit, qui propriè in iudicio mancipentur ignibus sempiternis: qui nec scripti nec inuenti sunt in libro uitæ. Soli ergo fideles in Christo, in quo prædestinati sunt in uitam æternam, saluabuntur. Reliqui omnes, cuiuscunque religionis fuerint, aut quocunq; tandem uiuendi genere etiam strictissimo uixerint, peribunt. Alij hæc uerba referunt ad uiuos, uel residuos in die illa. Credimus enim iudicaturum Dei filium uiuos & mortuos. Certè siue uiuentes siue mortui sint, certum est, neminem in alia quàm Iesu Christi fide saluandum, reliquos omnes fore damnandos. Atq; hic est tandem finis bonorum & malorum. Christo Iesu, iudici uniuersorum, & redemptori fidelium, sit laus & gloria in secula seculorum, Amen.

Qui non sunt scripti in libro uitæ.

Innouandum fore mundum, glorificandos sanctos, beatificandosq; & qualis futura beatitudo, & quàm certa.

CONCIO XC.

ET uidi cœlum nouum & terram nouã. Primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare non est amplius. Et ego Ioannes uidi sanctam ciuitem Hierusalem nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocem magnam de throno, dicẽtem: Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus: & habitabit cum eis, & ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorũ Deus. Et absterſurus est Deus omnem lachrymã ab oculis eorũ. Et mors ultra nõ erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra. Quia prima abierũt. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi, Scribe: quia hæc uerba uera sunt, & fidelia. Et dixit mihi, Factum est. CAP. XXI.

Monui circa initium capitis 15 huius libri, quintam huius operis partem incipere à 15 cap. & tractare de iudicijs Dei iustis & æquis. Quoniam uerò duplicia sunt iudicia Dei, iuxta quod malis pro malicia sua rependit, bonos autem præmijs donat: dixi hũc locum duab. constare partibus. Principiò enim Ioannem copiosissimè disserere de supplicijs irrogandis Antichristo & omnib. impijs: deinde de præmijs, in fine potissimum seculi conferendis omnib. sanctis. Sæpe enim audiuimus in hoc libro, animas alioqui à corpore separatas, mox à morte corporea rapi in uitam æternam: cęterùm felicitatem omniũ plenissimè in fine seculi obtingere fidelibus, cum uidelicet iam & resuscitatis corporib. præmia conferuntur gloriæ sempiternæ. Tractatur autem hic locus per integrũ cap. 21. ac per initium capitis 22. Vt autem in priori parte inferos quasi reserauit, & tormenta sempiterna ueluti conspicienda coràm ostendit: ita in posteriore hac parte cœlum ipsum ueluti recludit aut aperit, ut fidei oculis uideamus quæ spes & gloria sanctos maneat. Simul uerò clarissimè exponitur fidei nostræ articulus, Credo uitam æter-

Dispositio.

Credo uitam æternam.

æternam. Rursus autem hæc propter euidentiam exponit uisione, quam alij septimam & ultimam numerant. Proinde figurata sunt omnia, spiritualiter, non carnaliter intelligenda. Et quidem amplissima sunt uel iuxta literam intellecta: cæterùm spiritualia cogitanda sunt, maioraque perpetuò & ampliora, quàm humanus sermo assequitur. Nouimus enim, edocti prophetarum & apostolorum doctrina, perpetuò uerum esse quod dicitur: Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, ea præparauit Deus diligentibus se. 1. Cor. 2.

Capita præcipua huius loci, de gloria beatorum.

Sunt autem ista huius loci capita præcipua. Principiò ostendit, mundum fore innouandum. Deinde significat, glorificandos & beatificandos sanctos. ac in genere, qualis illa fœlicitas futura sit, exponit. Ista uerò mox confirmat multipliciter. Sed & locum, regiamque & palatium beatorum, simulque & sanctorum gloriam & beatitudinem describit. Id quod pulcherrimè sub typo fluminis & ligni uitæ in principio cap. 22. absoluit. Quemadmodum uerò sua pleraque omnia mutuò accepit ex prophetarum libris, quos & sua reuelatione illustrat Ioannes: ita & præsentia mutuauit ex Isaiæ cap. 65 & 66, ex Ezechielis cap. 37. & postremis eiusdem capitibus.

De innouatione mundi.

De innouatione mundi simpliciter loquitur, sicuti & apostolus Petrus in posteriore sua epist. cap. 3. omnia scilicet igni purganda, non in uniuersum abolenda & annihilanda, & quidem ab omni corruptione fore repurganda. Aretas enim: Non extinctionem, inquit, significat creaturæ, sed in melius renouationem. Significanter ergo dicit, nouum cœlum & nouam terram se uidisse, Ioannes. quibus per expositionem addit: Primum enim cœlum & prima terra abijt. nimirum mutata sunt qualitatibus suis: ut abierint iam corruptibilia, in corruptibiles usus creata. Sic enim & mare amplius non est, hauddubiè obnoxium corruptelæ, sed in melius mutatum. Sanctus Augustinus, & eius discipulus Primasius, existimant turbulentum mundi statum (per mare significatum in Scripturis non rarò) sub finem mundi cessaturum. Legatur 17 cap. 20. lib. de Ciuitate Dei, hunc locum enarrans. Idem pluribus differit de hac innouatione mundi, eodem lib. de Ciuit. Dei 20, cap. 18 & alijs. Ego in hac causa curiositatem remouendam esse iudico: & si quid absconditum in ea apparet, reseruandum esse in illam diem, in qua perspicuè ista omnia uidebimus. Arbitror autem hæc de innouatione cœli & terræ nõ ideo dici, quòd locus aliquis ita nobis paretur, quẽ inhabitemus iterum in inferioribus hisce locis sub cœlo (credimus enim nos euolaturos in cœlum, & obuiam uenturos Domino in nubibus, iuxta doctrinam Apostolicam 1. Thess. 4) sed quòd ita confirmantur animi nostri, certò innouandos & clarificandos fore fideles. Si enim renouantur & purgantur cœlum & terra, propter hominem condita: quis iam dubiter, homines ipsos quàm maximè fore clarificandos?

Sãcti sunt glorificandi.

Nunc enim consequentibus ostendit Ioannes, sanctos & innouandos esse, & glorificandos, reponendosq; in beatas sedes: ac in genere adhuc qualis futura sit sanctorũ gloria, significat. Postea & copiosius omnia, & sigillatim diligentissimeque illa explicabit. Nam audit angelum dicentem: Veni ostendam tibi sponsam uxorem agni, &c. Eandem in præsenti per tropum nuncupat ciuitatem, & quidem sanctam & nouam Hierusalem. Ciuitas autem tam locum & habitationem significat, quàm locum inhabitantes, ipsos, inquam ciues. Est itaque ciuitas hæc non tam locus beatorum, quàm ipsa sanctorum cõmunio, olim præfigurata in urbe Hierosolymorũ. A' uisibili autem & corporali Hierusalẽ hanc nostram multum discriminat. Nostrã enim appellat sanctam: prophana fuit corporalis illa Palestinæ, polluta sanguine Christi, prophetarũ & apostolorũ, atq; ea de causa excisa funditùs. Nostra itaq; noua quoq; appellatur. Nam cõmunio sanctorũ innouabitur in die illa. Ideoq; per interpretationẽ sequitur, Descendenté de cœlo: non quòd habitatio beatorũ post iudiciũ rursus futura sit in terris: sed quòd cœlitùs à diuina maiestate & potentia cõcedetur gloria & innouatio. Sicuti & Iacobus dixisse legitur, Omnis donatio bona, & omne donũ perfectũ è supernis est, descendens à patre luminũ. Sed & Paul. ad Gal. 4. ecclesiã liberã dixit cœlestẽ esse Hierosolymã. Idẽ in 1. ad Cor. 15. Primus homo, inquit, de terra terrenus, secundus homo ipse Dñs de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi q terreni: & qualis ille cœlestis, tales hi qui

Hierusalem.

& cœleſtes. Et ſicut geſtauimus imaginem terreni, ita geſtabimus & imaginẽ cœleſtis. Proinde rectiſsimè dixit Ioannes, eccleſiam ſanctorum deſcendere cœlo, cœlitùs utiq; accipere gloriam. Nam iterũ per ephexegeſim: A' Deo paratã, inquit, ſicut ſponſam ornatã uiro ſuo. Apoſtolus enim 2. Cor. 5. Scimus, inquit, q, ſi terrenũ noſtrum domiciliũ huius tabernaculi deſtructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domicilium non manufactum, æternum in cœlis. Et mox: Qui autem ad hoc ipſum nos parauit, Deus eſt. Remouet hic à ſanctis ſuis omnem corruptelam, donat uerò & inſtruit omnibus clarificati corporis dotibus, ut ita ornentur condignè, poſsintque habitare in æterno thalamo cum ſponſo ſuo Chriſto. Proinde ornatus hic conſiſtit in abolitione omnis corruptionis & mortalitatis, & in collatione incorruptionis, immortalitatisque & gloriæ. De purgatione & ornatu ſponſæ loquitur etiam apoſtolus Paulus in 5 cap. ad Epheſ. Incipit autem in hoc ſeculo purgatio & ornatus, ſub finem demum abſoluitur perfectiſsimè. Tum enim eccleſia nec maculam habebit, nec rugam, deterſa ui delicet omni corruptela, & accepta omni gloria. Diſce autẽ hic obiter, parari ſanctos à Deo: ergo ſalutem eſſe gratiæ meræ.

Qualis ſit futura æterna beatitudo.

Porrò clarius adhuc pergit declarare, qualis ſit futura gloria: de qua in hoc Opere per occaſionem cœperat dicere nõ ſemel. Conſiſtit beatitudo in duobus potiſsimum. Deus enim ſanctis ſuis præſtabit omne bonum, & remouebit ab eis omne malum: ita uerò iſti in æternum ſummo bono & felicitate perfruentur abſolutiſsima, carebuntque omni moleſtia & miſeria. S. Auguſtinus ſub finem lib. de Ciuitate Dei: Quanta, inquit, erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum? Habet autem iſta æternæ felicitatis declaratio ſua capita, quibus illuſtratur. Principiò enim uox à throno, & quidem ingens, clamat: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Coniunctio Dei cum hominibus ſanctis, quondam præfigurata fuit per tabernaculũ teſtimonij, quo teſtificabatur ſe Deus in medio populi ſui futurum. Id autem ſub finem à iudicio præſtabit abundantiſsimè. Ideoque ſubiungit uox illa: Et habitabit cum eis, & ipſi populi eius erunt, & ipſe Deus cum eis, erit eorum Deus. Id quod uidetur Paulus ſuccinctius uel preſsius enunciaſſe, Et erit Deus omnia in omnibus. Etenim quicquid bonum, quicquid pulchrum, quicquid ſuaue & iucundum, quicquid animus humanus cogitare poterit optabile, breuiter quicquid pertinuerit ad ueram & abſolutam felicitatem, uitãq; beatam, id erit totum & exhibebit in ſemetipſo plenè Deus ille optimus maximus. Sicut autem uſq; ad iucundam ſatietatem omnes & ſinguli homines amabili ſplendore & calore ſalutifero ſolis fruuntur, ut nihilominus ſoli nihil decedat: & licet in communè utantur ſole omnes, nihilominus ſinguli ueluti proprio & peculiari fruantur: ita in alio ſeculo lumine illo utemur æterno, & gaudio quidem æterno & ineffabili. De quo ſequentur mox copioſiora.

In præſentia & perfruitione Dei erit omne bonum & deſiderabile.

Liberabit Deus Sanctos omni moleſtia.

Deinde uerò, ſicuti in ſemetipſo Deus confert glorificatis omne bonum, ita remouebit ab eiſdem omne malum: ſic ut non tantum liberentur à calamitatibus, ſed illæ nunquam rediturę aut metuendæ ſint. Id autem copioſiſsimè exponit, uerbis ex prophetarum oraculis mutuò acceptis. Abſterſurus eſt Deus, inquit, lachrymam ab oculis eorum. Quo loquutionis genere uſus eſt & cap. 7. nimirũ ex Iſaiæ cap. 25 & 65 petito. Sed & Dauid Pſal. 126: Qui ſeminãt in lachrymis, inquit, in exultatione metẽt. Allusum uidetur ad matres, quæ eiulãtibus & charis liberis lachrymas abſtergũt, cõſolãtur triſtes, & fractos refocillãt. Si quid ergo moleſtiarũ dolorũq; pertulerunt in hoc ſeculo ſancti, ubi uẽtũ fuerit in aliud ſeculũ, repẽdetur illis, curabiturq; ne qd aduerſi amplius ſentiãt. Germanicè dicimus, Er *wirdt ſy des leyds wol wider ergetzen.* In Euãgelio quoq; dixit Dominus: Amẽ amẽ dico uobis, plorabitis & lamẽtabimini uos, mũdus aũt gaudebit: uos aũt mœrore afficiemini, ſed mœror ueſter uertetur in gaudiũ. & reliqua, Ioã. 16.

Conſequenter adhuc plenius per enumerationẽ calamitatũ declarat, ſanctos in alia uita ſemel liberandos fore omni malo: Et mors ultrà non erit. Vita enim ſempiterna donabuntur. Ergo nec metus aliquis mortis erit, qui ipſa morte propemodum acerbior eſt. Idẽ affirmat Apoſtolus 1. Cor. 15. citãs teſtimoniũ Oſeę pphetæ. Nullus erit luctus aut mœror, qui oſſa, ſucculentiſsima licet, exiccat. Nam perpetuum erit ſanctis

gaudium. Nullus erit clamor, nulla querela, nulla exprobratio aut expostulatio. Quia nulla prorsus erit iniuria, nulla inuidia. Mundus hic clamorib. miserorum nunc intonat & reboat. At nulla erit in beatis sedib. miseria. Nullus erit dolor (*nóvos*) labor, morbus, lassitudo. *můy noch arbeit, angst noch nodt.* Ratio horum: Quia prima abierunt. Est iam diuersa uita, uel diuersissima uitæ ratio, ab ea qua nunc uiuitur. Vnde quæcunque à peccato sunt, & corruptioni obnoxia sunt, ibi tollentur. Sicuti & Dominus in Euan-
Ioan. 5. gelio dixit: Filij huius seculi matrimonia contrahunt, & nuptum dantur: qui uerò digni fuerint habiti ut seculum illud assequantur, & resurrectionem ex mortuis, neque matrimonia contrahunt, neque nuptum dantur. neque enim mori ultrà possunt: æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cum filij sint resurrectionis. Lucæ 20. cap. Sed de uita æterna diximus plura 12. Commentariorum nostrorum in Matth. Sed & summam omnium contexit ipse apud Ioannem Dominus, ac dicit se noua facere omnia. Nihil ergo in seculo uēturo cogitabimus carnale & corruptū, sed cœlestia omnia.

Confirmatio uel asseueratio grauis, quòd in dubitata sint quæ proposita sunt de uita beata.

Grauiter autem tentantur animi fidelium in hac causa, diabolo suggerente, uanam esse spem fidelium: adeoque stultissimum esse, præsentia bona certa, propter gloriam incertam aspernari. Infinita alia sunt huius generis, quæ humanæ menti occurrunt, & fidem uitæ æternæ obturbant atque labefactant. Dominus ergo fidelis suorum medicus, ne quid hac in parte sentiant detrimenti, grauiter & multipliciter confirmat hæc: demonstrans, certissimam esse fidelium spem, & indubitata esse omnia quæ tradita sunt, & porrò tradētur de uita æterna, de beatitudine & gloria sanctorum. Et hanc asseuerationem hic ceu in acie collocat, postquam uidelicet summam contexuit felicitatis, quibus pleniora mox per uisionem exhibitam subijciet.

Sciendum est autem, omnium significantissimè quidem demōstrari certitudinem beatæ uitæ his uerbis: Et dixit mihi, Scribe, &c. sed nihilominus per præcedentia quo
1 que uerba, non aspernāda spargi ueritatis argumenta. Ac principiò quidem dixit: Ego Ioannes uidi. Scimus autem, Ioannem esse apostolum & testem ueritatis, de cuius testimonio dubitare sit nefas. Cum ergo hic uir diuinus, hæc quę commemorat, ipse uiderit, dubitare de ijs fuerit nefandum.

2 Deinde audit uocem, & quidem grandem, præterea à throno delatam, nimirum 24 seniorum & angelicorum spirituū, totiusque cœlestis exercitus. Quis uerò ambigat de eorum testimonio, qui iam sunt in æterna felicitate? Sciunt & experiuntur qualis sit felicitas, comperta ergo loquuntur & testantur.

Præterea ille ipse qui sedet in throno, loquitur & testatur, dicens: Ecce noua fa-
3 cio omnia. Deus uerax est, & mendacium in ipso est nullum. Cum autem tam disertè testetur, fore uitam æternam: & ipsum explicare etiam uideamus, qualis futura sit: nullus posthac dubitationi locus relinquitur.

4 Quid quod hæc quæ ostendit & exposuit de uita beata, mox præcipit scribere? Scribuntur ad perpetuam rei memoriam, quæ uera & solida esse uolumus. Nam tabulæ uel literæ quæ scribuntur aut conficiuntur & obsignantur, ex iure gentium & communi hominum consuetudine uim obtinent testimonij irrefragabilis. At tales sic iubente & obsignante Deo conficiuntur tabulæ. Iubet enim Deus Ioannem illa scribere, quę sunt tradita de uita beata: ideoque uera sunt & indubitata, irrefragabiliaque. Sicuti ipse mox subiungit & ait: Quia hæc uerba ūera sunt & fidelia, stabilia inquam, & immutabilia. Quid his dici poterat euidentius? Solidatur hic quoque sacræ Scripturæ authoritas. Verùm subiungit aliud propè uehementius: Et dixit mihi, Factum est.
5 Quo genere loquutionis significatur, uel finem adesse, & completa esse omnia, sicuti usurpatur cap. 16. uel certè id quod dictum est, & futurū creditur, tam esse certum, ac si iam factum esset. Germani quoties significare uolumus, rem quam proposuimus aut promisimus, diximusque, firmam fore, dicere solemus, *Es ist gemacht.* Credamus ergo firmiter his & omnibus Dei uerbis. Agamus itē Domino Deo nostro gratias exquisitissimas, qui tanta fide & diligentia spem nostram suffulcit & confirmat: ac hæc salutis nostræ mysteria in literas referre, & toti mundo omnibus ætatibus annunciare iussit. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

Demon-

Demonstratur amplius, certam & indubitatam esse spem æternæ beatæque fœlicitatis ac gloriæ.

CONCIO XCI.

EGo sum A & Ω, initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuę gratis. Qui uicerit, possidebit omnia. Et ero illi Deus, & ipse erit mihi filius. Timidis aũt & incredulis, & execratis, & homicidis, & scortatoribus, & ueneficis, & idololatris, & omnib. mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igni & sulphure: quod est mors secunda.

Deus initium est, & finis.

Superioribus omnibus accedit iam sextum testimonium certitudinis ueræ beatitudinis fidelium, petitum ab ipsa natura Dei. Ipse enim de se pronunciat & ait, Ego sum A & Ω: & mox per expositionem, initium & finis. Sumpsit hæc ex Isaia, apud quem nõ semel dicit Dominus, Ego sum primus & nouissimus. Nemo autẽ imaginetur Deum esse primum ordine, relato principio ad consequentia, quasi initium habeat: aut ipsum ita appellari postremum aut finem, quasi aliquando desinat: quin cõtrarium potius in hac forma loquendi intelligendum est, nempe Deum nullum habere principium, nullum finem, sed esse æternum, ex quo omnia sint, & ad cuius decretum terminantur omnia: cum idem ipse semper maneat, & anni eius non deficiant: sicuti alibi & propheta dicit & Apostolus. Quoniam uerò æternus est, sine principio & fine, qui semper uiuit, & omnia quæ uiuunt ipse uiuificet, & in uita conseruet: quomodo obsecro hic non uiuificaret fideles? Tam ergo certa est uita fidelium, salus & beatitudo, quàm certum est Deum esse uitam, & quidem uitam sempiternam. Quia est ęternus & uita fidelium. De loquutione, Ego sum A & Ω, dixi in cap. 1. Concione 3.

Deus promisit uitam beatam.

Septimum testimonium salutis nostræ indubitatè ducitur à ueritate Dei, eiusque promissis, & cum superiore cognationem habet. Quod enim promisit Deus, id etiam potest præstare nullo labore. Promisit uitam beatam, certissimè itaque præstabit illam fidelibus. Et promissionem quidem Dei in præsenti adducit, & Ioanni, atque adeò & nobis Deum loquentem inducit, in hæc uerba: Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ. id est: Ego, qui uita & æternus, adeoque uita æterna sum, fidelem aqua uitæ potabo, id est uiuificabo, in uita conseruabo, à morte & malis omnibus liberabo, bonisque cœlestibus omnibus donabo. Quis hic dubitet de ueritate promittentis, maximè cum hic locus uel hæc promissio non uno loco legatur? Dauid Psal. 36. disertè canit: Domine in cœlo misericordia tua, & ueritas tua usq; ad nubes: Iusticia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa. Hominẽ & iumenta seruas Domine. Quã præclara est bonitas tua ô Deus? Filij hominum in umbra alarũ tuarum sperant. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrẽte deliciarũ tuarũ potabis eos. Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. In prophetis huius generis plurima legũtur, & explicantur ab ipso Saluatore nostro apud Ioan. in cap. 4, 6 & 7. ubi ostẽdit, se aquã fidelibus, potumq; salubrẽ conferre, quæ tandẽ scaturiat in uitã æternam. Certissimũ est itaq;, fideles uiuificari per Christũ: est ergo, eritq; uita beata fideliũ longè certissima, utpote tot disertis Dei promissionib. pollicita. De aqua hac uitæ habuimus quædam in huius libri cap. 7. sub finem, & habebimus perspicua quædam in principio cap. 22.

Quomodo uita æterna nobis communicetur.

Interim uerò, & obiter quidem, demonstrat aut explicat nobis, pro more apostolico, qui libenter & sæpe modum salutis nostræ exponunt, quomodo uita æterna cõmunicetur nobis, nimirũ Gratis (δωρεὰν) *vmb sunst vnd vergåbens.* quo tamẽ propter ambiguũ sermonẽ, uel uerborũ intellectũ, nõ exprimimus propriè uim Gręcanicę uocis δωρεὰν, quã circũloqui possumus, & dicere *fry geschånckt auß gnaden vnd vnüerdient.* Iustificãtur, inquit Apostolus ad Rom. 3. δωρεὰν gratis, per illius gratiã: id est, mera Dei misericordia, nullo humano merito. Idẽ enim Apostolus in eadẽ epist. ad Rom. cap. 6. Stipendium,

dium, inquit, peccati mors: & cum dicere, & ex oppoſito adiungere debuiſſet, Meritum autem iuſticiæ uita æterna, pro hoc membro reponit potius, Donum autem Dei uita æterna. & addit mox, Per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. Proinde Ioannes rectè dicit, uitam æternam fidelibus obuenire gratis: id eſt, uera Dei gratia, per meritũ Chriſti, nullo autem merito humano. Si enim noſtris operibus & iuſticijs meremur uitam æternã, Chriſtus ſanè gratis, fruſtra (δωρεὰν) mortuus eſt. Nulla erat cauſa cur moreretur, cum nos per noſmetipſos ſeruari poteramus. Nullus eſt effectus, nullum meritum paſsionis Chriſti, talis utique effectus qualis reuera eſt, quòd ſolius Chriſti ſanguine mundamur. Si enim alia eſſet aut fuiſſet ſalutis ratio, nihil neceſſe fuerat incarnari & pati Chriſtum. Atque hoc modo & hac ratione δωρεὰν uocabulum exponi oportere, multi alij Scripturæ loci euincunt. Matth. 10. dicit Dominus: Gratis (δωρεὰν) accepiſtis, gratis date. Non uult Dominus apoſtolos ullam recompenſationem accipere pro dono ſanitatis. De miniſterio autem loquens, dicit: Dignus eſt operarius mercede ſua. Ioan. 15. ait Dominus, Odio habuerunt me gratis, δωρεὰν: haud dubiè, præter meum meritum, *vnbeſchuldet vnd vnuerdienet*. 2. Corint. 11. ait Apoſtolus, gratis (δωρεὰν) Corinthijs ſe Euangelium prædicaſſe. nam nullum precium aut ſtipendium, nullam recompenſationem accepit. Et in 2. ad Theſſ. 3. cap. Neque gratis (δωρεὰν) ait, accepi panem à quoquam. *Ich habs verdient mitt miner hand, vnd ſuren arbeit*. In ſumma, cum Ioannes dicit, conferri fidelibus uitam gratis (δωρεὰν) gratiæ Dei, & merito paſsionis Chriſti uendicat ſalutis noſtræ omnia, adimit autem meritis humanis. Atque hoc ipſum aſſerit & Iſaias in cap. 55. increpans ſtolidos homines, pecunias ſuas expendentes pro rebus planè nihili. Ceſſet ergo nundinatio indulgentiarum & rerum in eccleſia ſacrarum. Sileat Pelagianiſmus.

Gratis obuenit nobis ſalus. Et de uocabulo δωρεὰν gratis.

Quid requiratur ab illis qui gratis iuſtificati ſunt.

Porrò ne quis ex gratuita prædicatione gratiæ & meriti Chriſti, contra meritum humanum, colligeret, ociantibus & ſtertentibus, atque adeò & ab omni opere bono ceſſantibus, obuenire uitam beatam: Deumque ſolum operari, nos non operari quicquam: ſed duntaxat Dei operationem in nobis pati, atque ea de cauſa non requiri à nobis quicquam: præoccupat, & principiò quidem dicit Dominus, daturum ſe ſitientib. potum aquæ uitæ. Requiritur ergo à nobis fides, & ardens rerum diuinarum deſiderium: non quòd fides noſtra ſit, ſed diuinitùs cõferatur. Siti enim fidele pij hominis deſiderium denotare, author eſt ipſe Dominus apud Matth. in cap. 5. beatos pronunciãs eos, qui eſuriũt & ſitiunt iuſticiam. Sed & apud Ioannem in cap. 6. per bibere intelligit ipſe Dominus credere. Requiritur ergo à nobis fides, hoc eſt, ut ſitiamus aquam uitæ. Id quod & ipſum largitur Dominus per ſpiritum & uerbum, ſicuti alibi oſtendimus. Deinde pugnandum quoque dicit gratis ſanctificato: nec pugnandum modò, ſed etiam uincendum. Requiruntur ergo officia pietatis, de quibus dictum eſt capite huius libri 2 & 3. in quibus frequentiſsima facta eſt mentio huius pugnæ & uictoriæ. Iam uerò Deus ad hunc modum ſtrenuè laborantes agnoſcit pro filijs, his ſe patrem exhibet, hos agnoſcit hæredes omnium bonorum paternorum. Degeneres filij ſunt, qui ocioſi fidem iactant, ore & uerbis Deum prædicant, factis uerò negant. Videtis ergo in eccleſia utrunque eſſe prædicandum: iuſtificari & beari nos gratis: & ita iuſtificatos operari bona opera, quibus tamen ut meritis ſuis ſalutem non adſcribunt, ſed meræ Dei per Chriſtum gratiæ.

Vnde conſequenter & ex oppoſito recitat, qui nam excludantur à conſortio uitæ beatæ & beatorum, texendo catalogum ſcelerum & ſceleratorum hominum, qualem & ſub finem 9 & 21 ac 22 cap. contexuit, qualẽ & Apoſtolus ferè recitauit ad Corinth.

Qui excludantur uera fœlicitate.

Arbitramur autem Ioannis ſeculo hæc ſcelera maximè fuiſſe uulgaria, neque ſatis agnita, prout decebat. Leuius hodie quoq; de his iudicant multi, quàm uera admittat pietas. Nihil dubitamus autem in hoc catalogo, qui octo ſpeciebus aut membris abſoluitur, contineri aut comprehendi ſimilia uitia, ſceleraque omnia. At intelligimus illis deberi certò ignem infernalem propter patrata hæc ſcelera, quibus nulla eſt fides, quibus denique nulla poteſt perſuaderi conuerſio ad Deum, uel pœnitentia. Nam in 1. ad Corint. 6. cap. Eratis, inquit, tales, ſed purgati eſtis ſanguine Chriſti, & ſpiritu Dei noſtri.

noſtri. Ergo ſi tales aliquãdo fuimus, agamus pœnitentiam: aut ſi in peccata iſta relapſi ſumus, reſurgamus, & conuertamur ad Dominum, qui uocat ad ſe peccatores, ac ueniam pollicetur & gratiam. Væ autem incurabilibus, ambulantibus perpetuò & abſque pœnitentia in uia iniquitatis.

Perſtringenus autem ſigillatim octo huius catologi capita. Principiò collocantur timidi. At timuit ipſe Dominus, adeoque trepidauit metu mortis: trepidarunt etiam ſancti Dei, & fugerunt non rarò: nec tamen hoc nomine damnantur in ſcripturis. Alius ergo timor intelligitur, nimirum ille immoderatus, per quem adacti, hominum metu facimus quod prohibuit Deus: ac nos ipſi in conſcientijs noſtris conuicti, intelligimus nos hoc facto peccare: aut cum per timorem planè carnalem omittimus, quod præcepit nobis Dominus: breuiter, cum homines, ueluti principes aut ſocios fœderatosque, uel hoſtes, aut qualeſcunque homines plus metuimus quàm ipſum Dominum Deum noſtrum. Ideoque ipſe Dominus in Euangelio dixit: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam uerò occidere non poſſunt, &c. Matth. 10. Alibi idem ait: Qui negauerit me coram generatione illa adultera, negabo ipſum etiam coram patre meo in cœlis. Turpe ſanè eſt, plus hominem metuere ſceleratiſsimũ, quàm ſanctiſſimum Deum. At peccatur hac parte noſtro ſeculo grauiſsimè. Nã quidam perſequutoribus impijs & truculentis tantum deferunt, ut propter ipſos uel iubeant adulterare Euangelij prædicationem, uel ſilere prorſus. Eſt qui regem, principem, comitẽ, nobilem, ciuem aut ruſticum, epiſcopum aut abbatem, aut alioqui monachum uel miſsificem ſordidum pluris faciat, & in gratiam huius multa ſimulet & diſsimulet, quàm liberè uerum fateatur, & Deum unicè metuendum timeat, & glorificet. His dicit Iſaias: Ne dicatis coniuratio, & ne formidetis à terrore hoſtium, neque frangamini. Quin potius Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe ſit timor ueſter: is ſit pauor ueſter. Is erit ſanctuarium & lapis offendiculi. & reliqua Iſaiæ 8. cap. Niſi uerò metum hunc inanem & impium depoſuerimus, & fortes, conſtantes & intrepidi opus Domini perfecerimus, deturbabimur certò ad inferos. Cogitent hæc meticuloſi homines, inuocent Dominum, & ſumant ſibi ſpiritum fortitudinis, & prudentis piæque audaciæ: faciantque opus Domini non negligenter, ſed diligenter, ſtrenuè & conſtanter. Maior eſt in nobis, inquit in Canonica ſua Ioannes, quàm qui eſt in mundo. *Timidi.*

Increduli non ſunt infirmi in fide, & modeſti, timentesque Deum: ſed qui uerbo Dei promittenti, iubenti & minanti non credunt, neque Deo innituntur, neque Chriſto eius: ſed alienos potius deos ſectantur, fabulis credere malunt, & corda ſua Deo ſubtraxerunt. Magna uerò horum hodie turba eſt, quibus tamen omnibus in ore eſt, ſe credere Deo & uerbo eius, non credere autem concionatoribus: arbitrantes omnino incredulitatem ſuam ſic ſatis excuſatam eſſe. Sed cum concionatores nihil aliud annuncient quàm uerbum Dei, non poſſunt non aſpernari uerbum Dei, dum aſpernantur ſermones concionatorum. *Increduli.*

Sequitur tertio loco, tormenta inferorum deberi ἐβδελυγμένοις, abominandis, & execratis. βδέλυγμα enim ſignificat abominationem & fœtorem, *wüſt, vnflat vnd greüwel*. Notat ergo homines abominabiles & execrãdos, quibus luſus eſt tota religio, qui Deum irrident, & uerbum eius, blaſphemantes omnia ſacra, filij Belial & incurabiles, ac recalcitrantes. Hi tametſi ueritatem agnoſcant, ad iudicium tamen ipſorum agnoſcunt, cum agnita contemnant, & cum canibus & porcis redeant ad uomitum & uolutabrum cœni. Quos & apoſtoli notarunt, Petrus 2. Pet. 2. 3. Paulus ad Titum 3. & Hebræos 12. ac Iudas Thaddæus per præcipuam epiſtolæ ſuæ partem: ipſe Ioannes in fine propemodum cap. 22, eundem ferè catalogum recitans, nominat canes. Atque utinam deſtitueremur hodie exemplis abominabilium hominum, aut huiuſmodi canum. Verùm non eſt quod miremur hoc, cum uerſemur in omnium corruptiſsimo ſeculo Noe & Loth: Matth. 24. *Abominandi.*

Homicidarum ſunt ſpecies uariæ. Occidimus enim corde, ore & opere. De qua re uidere licet interpretes Decalogi ſacroſancti, D. Muſculum in primis. Nõ puto autem orbem unquam habuiſſe famoſiorem, truculentiorem & impudentiorẽ homicidam, imò *Homicidæ.*

imò & parricidam ueriſsimum, iuxta uerbum Chriſti Ioan. 8, diaboli primogenitum filium, quàm Pont. Romanum. Hic enim omnibus propè ſeculis, à quingẽtis iam annis & amplius, claſsicum ad omnia ferè bella grauia Europæ cecinit: deinde & homicidis, potiſsimùm uerò pro ſede Romana militantibus, & indulgentias dedit largiſsimas, & cœlum promiſit in militia occũbentibus: quos omnes, uiros alioquin egregios plurimos, niſi prohibuiſſet Dei miſericordia, perdidiſſet.

Scortatores. Deinde recenſet Ioan. ſcortatores. Nominat autem infimam ſpeciem, ut ſuperiores turpioresque, ſtupra, adulteria, inceſtus, ſodomiam, & ſimilia intelligamus: neque uerò & gulam, ebrietatem, & omnis generis luxum, fomentum libidinis, excludamus. Videmus certè Paulum ſcortationis uocabulo complecti omnem libidinem & luxuriam. Cæterùm noſtro ſeculo adeò uulgaris facta eſt fornicatio, ut ad altare admittatur turpiſsimus aliquis ſcortator: repellatur ab ipſo maritus, caſtè colens ſanctum coniugium. Quod & ipſum debemus Syricio, & reliquis Pontificibus: quos Apoſtolus grauiter notauit, 1. Timoth. 4.

Veneficí. De ueneficis dictum eſt & 9. huius libri cap. φαρμακεῦσι habet Ioannes, ac intelligit magos, incantatores, ſagas, ac artibus diabolicis amores conciliantes. Latini eos quoque intelligunt, qui uenena propinant.

Idololatræ. Idololatræ, ſunt cultores idolorum. Ac mirum eſt, hodie Papiſtas negare, ſe idololatras eſſe. Quid enim idolum aliud eſt, quàm ſpecies ex materia uiſibili aliqua compoſita, inducta ei forma Dei uel diui, ſed abſque ſpiritu? Idolum eſt ergo truncus, referens ſpeciem Dei patris, uel filij Dei, uel S. Petri, &c. Dauid deſcribit idolũ, & dicit: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habẽt, & non loquuntur, & reliqua, Pſal. 113. Cupio autem audire, quid ſimulachra Papiſtarum differant ab his. Quod cultum attinet, negare non poſſunt, ſe idola illa lignea & lutea colere. Nam communicant eis nomina ſacroſancta, adeoque incommunicabile nomen Dei, dicentes: Hic eſt (ſaxum uel lignum, hoc eſt idolum ligneum, demonſtrantes) Deus pater, hic eſt filius Dei, hic eſt S. Petrus. Horret animus, dum hæc refero: præſertim cum ipſe Dominus dixerit, Cui me aſsimilabitis? Iſaiæ 40. & Paulus diſertè aſsimilationem hanc, ſtultitiam nuncupet: ac diſertè neget, lapidi arte ſculpto numen eſſe ſimile: Rom. 1. & Act. 17. Deinde imagines, quas appellant Deos & ſanctos ſuos, manu hominum paratos, in templum, locum utique cultus, deportant, & aris imponunt: ad has peregrinationes inſtituunt, ante eas procumbunt & adorant, incenſa & oblationes eis offerunt, & anathemata ſuſpendunt. Quid quod his etiam partes doctrinæ & cœleſtis inſtitutionis tribuunt, dicentes, his doceri admonerique ſimpliciores. Quid autem colere eſt, ſi hoc non eſt? Videant ergo, an ſe hic coram Deo & hominibus excuſare poſsint: & conſulant potius ſaluti animæ ſuæ. Verùm hæc omnia uno quaſi uerbo eludunt, & aiunt: Non ſigna colimus, ſed res ſignatas. Ergo ſi tollantur ſigna, an redibitis ad idola peregrinationis ergò? An' non quaſi ipſi Deo irrogatum ſentitis, quod inferri cernitis idolis? An' non punitis iconoclaſtem, ueluti reum læſæ maieſtatis diuinæ? Non enim uidebitur diſſecuiſſe lignum, ſed ipſum Deum contumelia affeciſſe. Amplius ergo quiddam in hoc ligno agnoſcitis, quàm lignum. Nam diuinum aliquid ibi latitare arbitramini: eaque de cauſa lignum hoc uobis non habetur pro uulgari ligno. Quod & alijs indicijs uariè declaratis. Præterea gentes eodem ſe modo purgabant, dicentes, ſe res colere, non ſigna. Verùm non uidebatur pijs idonea eſſe excuſatio: id quod legere eſt apud Lactantium & Athanaſium in lib. contra Gentes. Quid quod Deus uno uerbo uos refutauit & dixit, Quis requiſiuit iſtà de manibus ueſtris? Si quis mihi uult exhibere cultum, colat iuxta præſcriptum ſacerrimæ legis meæ. Fruſtra me colunt, docentes doctrinas hominum. Hæc paulo copioſius expoſui, ut ab ijs, apud quos adhuc aliqua ualet ratio, & locum adhuc aliquem habet uerbũ & lex Dei, craſſum & lethiferum idololatriæ flagitium agnoſcatur & uitetur.

Mendaces. Mendaces uerò comprehendunt homines leuis linguæ, calumniatores, delatores, ſuſurrones, impoſtores, auaros, fures, raptores, uſurarios, & omnis generis hypocritas & lubricos homines. Nam ut Deus ueritas eſt, ita amat ueritatem, ſimplicitatem,

tem,constantiam,integritatem.Longè & latè hoc uitium mendacij hodie imperitat. Minima enim,aut nulla propemodum est fides in terris.Dominus misereatur nostri.

De palude uerò uel stagno,ardente igni & sulphure,& de morte secunda,dixi superius in cap. 19 & 20,& aliàs. Significat autem istos omnes & pares unà deturbandos à Domino in ignem inferorum æternum.Nam partem in præsenti (sicuti & Psalm.11. Pluet super impios ignem & sulphur,& hæc est pars calicis eorum: & Matth. 24. Et partem eius ponet cũ hypocritis) ponit pro hæreditate. Sed & nos dicimus, *Das wirdt din teyl sin. Vnd sin teyl ist imm worden:* id est, hæreditatem suam assequutus est: uel pro merito mulctatus est. Sicut ergo sancti regnum cœlorum hæreditate consequuntur:ita ęterna tormenta hæreditatis loco diuiduntur prophanis. Domino iusto iudici sit laus & gloria.

Proponitur luculenta pictura,descriptio uel typus sedis beatæ, & uitæ gloriæq; cœlestis sempiternæ.

CONCIO XCII.

ET uenit unus ad me de septem angelis, habentib. septem phialas plenas septem plagis nouissimis: & loquutus est mecum,dicens: Veni,& ostendam tibi sponsam,uxorem agni.Et sustulit me spiritu in mõtem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem magnam, sanctam Hierusalem, descendentem de cœlo, à Deo. Et lumen eius simile lapidi preciosissimo, tanquam lapidi iaspidi crystallizanti. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Izrael. Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, ab occasu portæ tres. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim:& in ipsis duodecim, nomina duodecim apostolorum agni.

Descriptio urbis cœlestis.

Redit Ioannes ad descriptionem urbis cœlestis,quam in principio capitis fuerat aggressus.Inseruit quædam in loco,& necessariò,de certa spe fidelium: quod ubi absoluit,porrò ueluti recludere uidetur cœlum ac aperire,ut pijs,fidei oculis, in hoc aspicere liceat,ac uidere liquidò quæ sit spes & futura sanctorum gloria.Et enim sub typo urbis splendidissimæ,subiungit picturam uel descriptionem luculentissimam sedis beatę,uel palatij ciuitatisq; Dei,aut æternæ patriæ & triũphantis ecclesiæ. Nõ fingemus hic nobis terrena & corporalia, sed cœlestia & spiritualia. Vult enim Dei spiritus nos occasione temporalium,mentib.transcendere ad æterna,& temporalib.excellentiora. Proinde figurata sunt omnia amplificationibus, hyperbolisq; & reliquis tropis referta.Cogitabimus ergo in his longè maiora:sicuti facere solemus,dum legimus aut audimus quæ nos docuit Dominus noster sub parabolis nuptiarum & conuiuiorum.

Index cœlestis uisionis.

Principiò autem exponitur nobis, quis sit index diuinæ & mirificæ uisionis: hoc est,quis sit mystagogus,angelus uidelicet Dei,& idẽ ille qui superius cap. 17. ad eundem Ioan.dixit, Veni,ostendam tibi damnationem meretricis magnæ,&c. Quia idem Deus est,qui punit impios,& p̃mia donat pijs,iudiciaq; illa sua iusta hominib.per ministros suos denunciat.Quinimò cum certissima esse uideamus, & partim etiam adimpleta,quæ prius indicauit de iudicio Romæ:quis non colligat,certissima futura illa quoque,quæ idem nunc exponit & monstrat de gloria fidelium æterna? Summam autem eorum quæ illi ostensurus est,contexens præmittit,& hortatur,se sequatur,dicens:Veni,ostendam tibi sponsam uxorem agni.De hac sæpe dictum est superius. Ec-

 clesiam

cleſiam ſignificat ſanctorum,ſide copulatam Chriſto ſeruatori. Ac non tantum commonſtrat Ioanni (& in hoc ipſo nobis|omnibus) ſponſam:ſed gloriam quoq;eius ipſi conceſſam à Deo.Senſus eſt itaq;: Veni,commõſtrabo tibi,qualis in futura uita ſit gloria eccleſiæ Chriſti,qualis ſit futura uenturæ uitæ conditio. Certè de eccleſia quoque permulta loquitur,ſed potiſsimum de gloria eius in futuro ſeculo.

Modus reuelationis. Deinde modum reuelationis etiam attingit paucis. Addit enim,Suſtulit me ſpiritu in montem magnum & altum. Sicut itaque in uiſionibus ſuperioribus ſpiritu raptus fuit,corpore manente in Pathmo: ſicuti & huiuſmodi uiſiones & raptus Ezechieli eueniſſe legimus,& monuimus ſuprà:ita nunc quoq; ſpiritu ſe raptum dicit,& mente uidiſſe quæ commoſtrauit angelus.Proinde ſi uoluerimus & nos iſta legere & audire cum fructu aliquo,oportet nos eleuare mentes,& rapi ſpiritu noſtro,cogitareque,iſta omnia ſpiritualiter eſſe intelligenda.Aretas:Meritò in monte,inquit,cœleſtis ſanctorum uita & conuerſatio commõſtrabatur. Nihil enim apud eos terrenum, humile uel abiectum:ſed omnia ſublimia ſunt,& excelſa.Hæc ille.Certè cum in Euangelio guſtum aliquem prælibandum diſcipulis ſuis futuræ gloriæ exhibere uellet Chriſtus Dominus,ſubduxit ipſos in montem,& transfiguratus eſt coram eis: quod Matthæus Petro,Iacobo & Ioanni obueniſſe aſſerit,cap.17.

Porrò uiſionem ipſam modò ſubiungit,& in genere & ſuccinctè quidẽ ſedem beatam,gloriamque futuræ uitæ deſcribit uel adumbrat: deinde copioſius & ſpeciatim, *Ciuitas Dei, ciuitas magna.* uelutique per partes eandem exornat, exornatamq; ueluti uiſendam obijcit pijs. Ac patriam cœleſtem,habitationemque beatorum appellat ciuitatem magnam.Eſt enim ciuitas magni regis, & habitabit in illa beatorum innumerabilis numerus, angelorumque infinita millia,magnaque gloria perfruentur:neque periculum erit,ne tantæ hominum & ſpirituum copiæ locus non ſufficiat,aut nimis anguſtus ſit futurus.magna eſt ciuitas Dei,quæ uidelicet capiendis bonis ſufficiat omnibus abundè.In Euangelio Ioannis ait Dominus:In domo patris mei manſiones multæ ſunt, & reliqua cap.14. Idem ille locus appellatur Hieruſalem ſancta. Nam ut nihil ſordium ibi conſpicietur,ita nullus ibi apparebit immundus. De cœleſti Hieruſalem dictum eſt ſuperius. Thomas Aquinas: Dicitur deſcendiſſe,inquit,de cœlo,quòd quicquid habet boni ſancta eccleſia,cognoſcit ſe accepiſſe à diuina gratia.Sed ea de re dixi proxima Con*Habentem gloriam Dei.* cione. Habet autẽ ciuitas Dei,cœlum inquam,Dei & beatorum ſedes, gloriam Dei, id eſt claritatem maieſtatemque diuinam,& quicquid rerum maximarum animus hominis cogitare poteſt,adeoque in omnibus ineffabilem Dei præſtantiam, qualem nec oculus uidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit, 1. Cor.2. Hæc ſummatim & in genere attigit hactenus.

Ciuitas Dei amplißima. Conſequẽter uerò ſpeciatim & copioſe gloriam illam cœleſtem,& ſedes beatas exornans illuſtrat.Etenim quęcunq; ſunt ampla,quæcũq; admirãda in urbibus,ea excellentiſsima prorſus in hac noſtra inueniuntur,ut amplitudo, firmitas,maieſtas,ſecuritas,præſtantia,ornatus,amœnitas & copia rerum.Hæc inquam & ſimilia omnia in ciuitate Dei noſtri,& in domo patris noſtri, excellunt mirificè: & cum iſta ad hunc modum amplificentur liberaliſsimè,nihildum tamen dictum uidetur,ſi quis cœleſtis glo*In quem finem iſta dicantur.* riæ ineffabilem maieſtatem expendat. Adferuntur autem iſta omnia in hunc finem à Domino per Ioannem,ut rapiamur deſiderio uitæ tantæ,cogitemusque in tribulationibus,afflictiones præſentis ſeculi nihil eſſe, collatas cũ tam præcellẽte & eximia gloria:denique inſanire omnes,quicunque addubitare incipiunt de æterna ſpe fidelium. Leguntur huius generis plurima apud Ezechielem quoq; in cap.40.& conſequentibus. Nos ſingulas attingemus partes huius tractationis,nihilominus breuitate ſuccincta utentes,ne cui ingeramus faſtidium.Et quidem præcipua & laudatiſsima urbium attingit,& in his ciuitatem Dei excellere oſtendit.

Lux huius ciuitatis. In ciuitatibus & ædibus prima laus eſt, ſi omnia ſint lucida & perſpicua. Obſcuritas enim tetra eſt,& ingratiſsima. Ergo lumen prædicatur in ciuitate uel domo Domini eximium. Additur parabola,qua oſtẽdatur luminis huius præſtantia. Simile eſt lapidi precioſiſsimo,puta carbũculo,ut uulgò appellatur,uel chryſolitho, aut pari

lucidiſ-

lucidiſsimo lapidi. Quid quod ipſe Ioan. ſubdit? Tanquam lapidi iaſpidi cryſtallizãti, *alls einem iaſpis, der klar vnd ſchön wyß oder heyter was.* Nouum hoc uidetur genus dicendi, ſed miram habet gratiam, ſi rectè intelligamus. Etenim iaſpis uiret, cryſtallus claret. Dicere ergo uidetur, claritatem illam cœleſtem uirere perpetuò, non marceſcere unquam: id eſt, lumen cœleſte eſſe ſempiternum, & in ſeipſo quodammodo reuireſcens, & reuirendo clareſcens, omnesque exhilarans cœlites. Sequitur autem in ſequentibus: Gloria Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus. Hanc claritatem & lumen hoc iucundiſsimum, non uno loco pollicetur in Euangelio ſecundum Ioãnem Dominus: totaque uita beata, ab hac parte non minima, appellatur ferè lux beata, & lux æterna. Præfigurata uidetur fuiſſe in candelabro tabernaculi aureo, &c. Quod ſi Domino Deo noſtro difficile non fuit, colores & fulgorem gemmis addere admirandos: ſi luminaribus pulcherrimis ſole, luna & ſtellis illuminat hunc orbem peſsimis refertum hominibus: qualem oro in cœlis putamus lucem futuram, in quibus nemo niſi optimus, & Deo chariſsimus habitabit? De luce hac plurima eſt apud Iſaiam & Pſalmiſtam mentio.

Muri in ciuitatibus maximè ſunt ſpectabiles & præcellentes, ſi alti ſint, craſsi & firmi, omnem hoſtium uim ſuſtinere ualentes, & ciues ab omni iniuria defendentes, ac in pace ſecuritateque conſeruantes. Cœleſtes ergo muri, & magni ſeu firmi ſunt, & alti uel inſuperabiles. Significatur his, ſanctorum in cœlis protectionem à Deo firmiſsimam tutiſsimamque futuram, ita ut ſancti ſint futuri prorſus ſecuri, omnibusque exempti trepidationibus. Nemo turbabit aut tollet ipſorum gaudia: quod in Euangelio Ioannis 16. affirmauit Dominus. Nam perpetua erit ſecuritas, & lętitia in cœlis abſolutiſsima & ſempiterna. *Muri ciuitatis.*

Porrò in muris collocantur portæ, per quas ingrediantur in ciuitatem homines. In muro ergo cœleſtis patriæ duodecim erunt portæ. Id eſt, patebit in uitam æternam ingreſſus undiquaque ampliſsimus. Credimus autem, non aliam uiam in cœlos, non aliam portam uel ianuam, aut aliud reſtare oſtium, quàm unum ſolumque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: ſicuti ipſe nos docuit apud Ioannem in cap. 10 & 14. Quoniam uerò conſtituit angelos uel prophetas, deniq; & apoſtolos, ianitores cœli, quibus claues regni cœlorum credidit: atque hi electos adducunt & intromittunt in cœleſtem patriam, plures utique portæ fuiſſe & eſſe leguntur. Quinimò explicandi gratia ſubiungitur, in ſingulis portis ſingulos fuiſſe angelos, numero duodecim. Audiuimus autem ab initio libri huius, angelos, Dei eſſe miniſtros, ac eccleſiarum legatos, à Deo ad ſalutem hominum, ut inquam hos adducant uerbo ueritatis, miniſterioque ſacro, per fidem in uitam ſempiternam. Legimus præterea, Lazari mendici morientis animam per angelos delatam eſſe in ſinum Abrahæ. Quid igitur miramur, angelos inſiſtere portis? Per ueram enim & unicam portam Chriſtum, inducunt iſti fideles in patriam cœleſtem. *Portæ ciuitatis.* *Angeli in portis 12.*

Rurſus uerò explicandi gratia ſubiungitur, Et in portis erant nomina inſcripta, quę ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Izrael. Significare enim uoluit Dominus, ſe patriarcharum & prophetarum ex omnibus tribubus opera fuiſſe uſum, in referando cœlo hominibus: deinde uerò omnes ex omnibus tribubus electos pertinere ad conſortium felicitatis. Viſuri ergo ſumus in cœlis patriarchas & prophetas, omnesque ſanctos, qui ante Chriſti aduentum inſcripti ſunt albo cœlitum: ſicuti & Apoſtoli cernebant colloqui cum Chriſto in monte, Moſem & Heliam. Vnde non ſine magna cauſſa ſcripſit ad Hebræos Apoſtolus: Acceſsiſtis ad montem Zion, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Hieruſalem ſupercœleſtem, & ad innumerabilium angelorum cœtum, & ad eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis. Et reliqua cap. 12. *In portis inſcripta nomina filiorum Izrael.*

Sed & ſitum portarum attingit. Nam ternas dat ſingulis cœli plagis. Neque hoc abſque ratione. Nam ipſe Saluator dicit in Euangelio, uenturos ab ortu & occaſu, & accubituros cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum. Aretas myſterium hic quoque indagat diligentius, & exiſtimat neminem per portas iſtas ingreſſurum, niſi eum, qui & trinitatem Dei æternam agnoſcat, & myſterium crucis Chriſti intelligat. *Situs portarum.*

gat. Dicit enim, duodecim tribus per trinitatem diuisas esse quadripartitæ mundi figuræ, &c. Vnde & Aquinas: Quicunque saluantur, inquit, per sanctæ trinitatis fidem in quatuor mundi partibus Apostolica prædicatione diuulgatam, iustificantur, &c.

Fundamenta ciuitatis.

Iam etiam ostendit, fundamenta huius urbis esse immota & firmissima. nam murus ciuitatis, inquit, habet fundamẽta duodecim. De fundamento ecclesiæ & salutis nostræ disertè loquuti sunt Dauid in Psal. Isaias quoque cap. 28. Dominus & Saluator noster non uno loco in Euangelio: Petrus item in Actis, & in priore epistola: ita & apostolus Paulus, qui dixit, Fundamentum aliud poni non potest, quàm quod positũ est, quod est Christus Iesus, 1. Corinth. 3. Quomodo ergo hic ponuntur fundamenta duodecim? Certè unicum & firmum manet fundamentum Christus. Quoniam uerò in hoc collocando & reuelando, usus est Dominus opera duodecim Apostolorum, ea de causa ciuitas habere dicitur duodecim fundamẽta. Non quòd Apostoli reuera sint ecclesiæ & salutis nostræ fundamenta, sed quod ipsum uerum fundamentum Christus, per duodecim Apostolos, fidelibus innotuerit & subiectus sit, cui se imposuerunt fide apostolica credentes. Vnde significanter dicit: Et in ipsis duodecim, nomina duodecim apostolorum agni. Nam & Euangelium, quod alioqui & reuera & incommutabiliter solius est Iesu Christi, appellatur etiam Ioannis, Matthæi, Marci, Lucæ, Petri, Pauli, quod ipsum per hos sit anunnciatum. Intelligimus autem hinc non modò ecclesiam, quæ ante aduentum Christi erat patriarcharum & prophetarum, receptam in cœlos exultare in Deo: sed & apostolicam ecclesiam, omnes inquam ex toto orbe homines, qui apostolicæ crediderunt doctrinæ, uicturos cum omnibus sanctis in æterna illa patria: quos & uidebimus omnes, & cum ipsis glorificabimus Deum in secula seculorum.

An Apostoli ecclesiæ fundamenta.

Non multum ab hac nostra expositione dissentit Primasius Vticensis episcopus, explicans quomodo Apostoli appellentur fundamentum. Sic enim scriptum reliquit: Cum norimus, ecclesiam unum tantum fundamentum habere, id est Christum, moueri non debemus, quòd hic eam duodecim habere ait. In Christo enim Apostoli meruerunt esse fundamẽta ecclesiæ: de quo Apostolus, Fundamentũ, inquit, aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus. In ipso etiam lux apostoli esse dicũtur, cũ eis dicit, Vos estis lux mundi: cũ solus Christus sit lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Christus itaque lumen illuminans, illi autem lumen illuminatum. Et post aliquot uerba idem author: Hic duodecim apostolos, inquit, fundamenta, in uno tamen fundamento Iesu Christi uocatos, decet agnoscere. Ad hoc pertinet, quòd etiam nomen agni non siluit, dicens: Et super ea duodecim nomina apostolorum & agni. Fundamenta itaq; apostoli, sed in uno fundamento Iesu. Et solus Christus sine apostolis iure dicitur fundamentum: apostoli autem sine Christo, fundamenta ecclesiæ nullatenus dicerentur. Hęc Primasius. quæ succinctius & planius enarrat Aretas Cęsarienſis episcopus, & dicit: Fundamenta quidem appellantur, quod fidei Christianæ fundamẽta iactarint: portę uerò, quòd per eos, hoc est, per eorum prædicationem, inueniatur iam quod ad fidem Christianam adducat. Hæc ille. Certè apostolus Paulus ad Ephes. 2. uocat Christum fundamentum apostolorum & prophetarum, quòd uidelicet prædicantes posuerunt, & cui sunt innixi, per quod & seruati. Ipsi gloria.

Etiam num describitur sedes æternæ in cœlis patriæ.

CONCIO XCIII.

ET qui loquebatur mecum, habebat mensurã arundinem aureã, ut metiretur ciuitatẽ, & portas eius, & murũ eius. Et ciuitas in quadro posita est. Et lõgitudo eius tãta est, quãta & latitudo. Et mẽsus est ciuitatẽ de arũdine aurea per stadia 12 milia: & lõgitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt.

sunt. Et mensus est murum eius centum quadragintaquatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli. Et erat structura muri eius ex iaspide: ipsa uerò ciuitas aurum mundum, simili uitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioso ornata. Fundamentum primũ iaspis, secundum sapphyrus, tertium calchedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus, octauum beryllus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ singulis margaritis. Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam uitrum pellucidum.

Pergit describere beatas sedes, & uitam illam uenturi seculi, sub imagine elegantissimę & præstantissimæ urbis. Nos omnia nõ secundũ literam intelligemus, sed iuxta spiritum. Dicuntur omnia consolationis ergò, & ut fortiter hunc mundum, uoluptates eius, & persequutorum furores contemnamus: semper autem desideremus tanta, & sempiterna quidem illa, nobis promissa bona. Audiuimus in descriptione, imò uidimus quatuor huius ceu uiuę picturæ urbis cœlestis singularia, quale ei sit lumen, quales muri, portæ item, & fundamenta. Sequitur iam quinto loco, qualis sit huius urbis amplitudo, capacitas uel magnitudo. nam ex hac cõmendantur urbes. Ac necessariũ est, ut amplissimus ciuium numerus capacissimam uel maximam habeat urbem.

Proinde prodit urbis huius mensor, cœlitùs missus Ioanni angelus, tenens in manibus arundinem, hoc est calamum, perticam uel uirgam mensoriam, non ligneã uel plumbeam, sed auream. At ex mensura magnitudinem sedis beatæ uult nos æstimare. In mensore ergo & calamo nõ est quòd magna quæramus mysteria. Nam æterna Dei sapientia & prouidentia parauit sedes suis electis: & quidem dispositione planè aurea, id est purgatissima, quæ per auream arundinem uel mensuram est significata. Nam apud Matthæum inuitat iudex ouiculas ad capescendam hæreditatem, paratam ab origine mundi. Nouit is quoque solus qui sint sui. *Metitur arundine aurea ciuitatem.*

Situs urbis ostenditur, positus in quadratura. Quo significata est beatorum in cœlis firmitas, stabilitasque. Non enim pila, globus, aut uolubilis & uersatilis est locus. Neque est quòd de eius dubitemus certitudine. Spes enim non pudefacit: & qui credit in Christum, nunquam confundetur. *Quadratura.*

Porrò longitudo, latitudo & altitudo urbis huius sunt æquales. Habent singula latera, per quadraturam, stadia duodena milia, quæ in summa conficiunt quadraginta octo milia in circuitu. De stadio, quid & quantum cũtineat, uideo uariari apud doctos. Plinius libro secundo, cap. 23. tribuit stadio centum uigintiquinque passus, hoc est, pedes sexcentos uigintiquinque. Germanicè uocatur stadium, aliàs *eins mans louff*, aliàs *eins roß louff*. Si iam hæc supputes & diuidas in miliaria, deprehendes urbem esse amplissimam. Sunt qui supputent miliaria 150. Eare significatum puto, abundè loci & spacij fore, utcunque innumeræ turbæ angelorum, spirituum & hominum beatorum migrent in sedes beatas, ac ibi habitent. Sicuti & Dominus dixit in Euangelio: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Isaiæ 30 in fine ostenditur, satis loci & in tartaro futurum etiam impijs. Aequalitas uerò ab omnibus partibus demonstrat, homines ex nationibus aut gentibus nullam habere prærogatiuam. nam siue sis ex oriente, siue ex occidente, siue Græcus sis, siue barbarus, modò fidelis sis, recipieris à Domino. Sed & in Euagelio affertur etiam æqualitas, dum denarius soluitur non tantum laboranti in uinea per diem integram, uel dimidiatam, sed ei quoque qui uenit sub uesperam in uineam. *Longitudo & latitudo.* *Stadium.* *Aequalitas.*

Altitudo muri est immensa certè. unde colligimus, beatitudinem esse tutissimam: *Altitudo.*

neque peruenìri in ipſam, niſi per portas. Nemo enim ſuperare poterit tantam altitudinem, ſiue hoſtis ſit, qui turbare uelit: ſiue hypocrita, qui cœlum ceu furto ſibi parare conetur.

Craſsitudo. Quod inſeritur, Et menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, planè non congruit cum ſtadijs: proinde neceſſe eſt ea interpretari de muri craſsicie. Qua re iterum adumbratur firmitas beatitudinis, & ſecuritas. Adijcitur, menſum eſſe angelum menſura hominis, quæ ſit angeli: id eſt, angelum menſuraſſe conſuetos cubitos, & hominibus uſurpata ſtadia. eandem ergo angelo huic menſuram fuiſſe in hac menſuratione, quæ hominibus eſt uulgaris aut uſitata. *Es ſye einerley mäß, das die menſchen gebruchend, vnd damitt hie der Engel gemäſſen habe.* Ita enim ſubindicare uult, certum fore & finitum locum æternæ beatitudinis. Quia futura erunt à reſurrectione corpora uera & finita. Si quid aliud ſubeſt myſterij, fortaſsis hoc eſt, quod apud Lucam dixit Dominus, loquens de fidelium felicitate in alio ſeculo: Aequales angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cum ſint filij reſurrectionis. Si quis hos numeros ſupputauerit exactius, & ſublimiora oſtẽderit myſteria, libenter ceſſero. Arbitror hic cœleſtia magis adumbrari, quàm arithmetica & geometrica tradi. Quanquam libenter fatear, eas artes facere ad ſcripturarum interpretationem.

Menſura hominis, quæ eſt angeli.

Lucæ 20.

Materia huius urbis. Sexto loco differit & de materia urbis cœleſtis. Nam ex materia commendantur urbes. Notum eſt illud Auguſti Cęſaris, qui de Roma dixiſſe fertur: Inueni latericiam, relinquo marmoream. Ac præferuntur meritò ligneis urbibus lapideæ, & quæ quadro lapide conſtructæ ſunt, ijs quæ ædificatæ ſunt lapide impolito. Qualis uerò eſt ſtructura & materia ciuitatis æthereæ? Id explicat per partes & per membra quinque.

Muri. Principiò muri ſunt ex iaſpide. Nemo fingat ſibi hic carnalia. Viret iaſpis. Semper floret ciuitas cœleſtis, nunquam deſinit diuina protectio.

2 *Habitationes.* Ipſa ciuitas, id eſt ædificia in ciuitate, ædes & palatia, eſt aurum mundum. Omnia enim purgata ſunt in æterna patria. Nulla eſt immunditia, nulli affectus praui, nulla ibi erit moleſtia. Quod & Dominus dixit apud Matth. in 19. cap. diſputans contra Saducæos. Ergo ſicut aurum purgatiſsimum eſt, ita habitatio cœleſtis mundiſsima erit, itaque & corpora in cœlis habitatura clarificari aut glorificari oportebit. Addit, aurum quidem hoc puriſsimum non eſſe uitrum, ſed perſpicuitate uitrum mundiſsimum referre. Omnia enim clara ſunt in cœlis. Ibi contemplabimur de facie ad faciem. Ibi cognoſcemus pleniſsimè omnia.

3 *Fundamenta.* Fundamenta autem urbis principiò dicit in genere, ornata eſſe omni lapide precioſo: deinde ſpeciatim recitat gemmas præſtantiſsimas. Chriſto certè fundamento ſalutis noſtrę, & Apoſtolica doctrina, qua inducti ſumus in cognitionem Chriſti & ſalutis noſtræ, nihil eſt precioſius, nihil præſtantius. Ponit autem ordine lapides duodecim, ita ut intelligamus, non unam tantum gemmam collocatam eſſe in fundamẽtum, ſed ſeriem ex una ſpecie tanta longitudine, quanta fuit in latere quadraturæ, & per conſequens deinde ſimiliter per omnes quadraturę partes. Primus proinde ordo poſitus eſt lapis iaſpis, id eſt in primo fundamenti loco iaſpides poſiti ſunt ſuo ordine: deinde in ſecunda ſerie Iaſpidibus impoſiti ſunt Sapphiri, per uniuerſum ſpacium, tanta longitudine, quanta fundamentũ fuit, ita conſequentet reliquæ ſunt gemmæ impoſitæ & ordinatę. *Die habend gåben zwölff låger oder rygen, das die mur vom fundament erhöcht vmb 12 ſtein: da ein ietliche rygen einerley ſtein was, die ſind ouch das fundament geſin.* Significatur, & præſtantiſsimum & firmiſsimum eſſe ſalutis fundamentum. Quod meritò pluris faciamus, quàm omnium gemmarum in terris precium. Et inueniuntur uiri pij & benefici, qui diſtractis terreſtrib. gemmis, aut diuenditis, ſecundum doctrinã apoſtolicam 1. ad Timotheum 6, bonum ſibi parant fundamentum in alio ſeculo. Inueniuntur ſtulti, qui nimium mirantur gemmas, & pro gemmis non rarò magno precio politum emunt uitrum. Digni ſanè, quibus imponatur. Habent ſanè gemmæ ſuum uſum & ſuas uirtutes: neque fruſtra conditæ ſunt à Deo. Sed meminerimus ſemper illius Sapientis ſententiæ: Non omnia omnibus conueniunt.

Gemmæ. Catalogo autem gẽmarum uidetur eſſe alluſum ad gẽmas, poſitas in rationali ſummi

mi Pontificis, Exodi 28. Neque dubito, hæc Ioannem petiſſe partim ex Iſaiæ 54. quem locum enarrans ſanctus Hieronymus, relegat copioſiora de gemmis legere deſiderantes ad Epiphanium, & ad 37 lib. Natur. hiſtoriæ Plinij. Aretas in ſuis Comment. applicat 12 gemmas, 12 Chriſti apoſtolis. Extant præterea Bedæ ſcripta in hunc locum: unde decerpſit quæ Thomas Aquinas habet in ſuis Comment. ad Apocalypſim. Ego nō uideo, multo me poſſe cum fructu diutius inhærere huic tractationi. Ergo lectorem curioſum ad authores iſtos remitto: mihi ſatis eſt indicaſſe, precio gemmarum indicatam eſſe præſtantiam fundamenti ſalutis noſtræ.

Porrò quarto loco indicatur materia portarum. Fuerunt ex ſolidis, & ſingulis quidem margaritis, quarum ingens eſt precium. Porta cœli Chriſtus eſt, & ianitores cœli apoſtoli. Id quod ſuprà eſt oſtenſum. Precioſiſsimæ ergo ſunt portæ, & firmiſsimæ. In Euangelio apud Matth. in cap. 13. Chriſtus ipſe, & ſalus quæ ex ipſo eſt, comparantur margaritæ, quam mercator diuenditis omnibus ſibi comparat, ſatis diuitem ſe exiſtimans, ſi habeat hanc margaritam. Quinto loco deſcribitur & platea, qualis fuerit. In ciuitatibus aliquando lutoſæ ſunt plateæ, utcunq; aliàs celebres ſint urbes, ac nobiles. Cum ſpectabiles uidentur, ſtratæ ſunt uel ſilicibus uel lateribus: at urbis noſtræ platea inſtrata eſt auro & mundo & pellucido. Nihil enim inuenitur in cœlis moleſtiæ, nihil obſcuritatis. Hæc quidem omnia dicuntur ſplendidiſsimè, uerùm intelligenda & imaginanda ſunt longè ampliora: conandumque nobis uiribus omnibus, ut quod lingua humana non poteſt eloqui, neque mens noſtra hic præ magnitudine & præſtantia capere, id quidem aliquando in cœlis intueamur coràm, & experiamur in noſtris illis clarificatis corporibus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Portæ.

Platea.

Amplius adhuc deſcribitur æterna in cœlis patria.

CONCIO XCIIII.

ET templum non uidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & agnus. Et ciuitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea. Nam gloria Domini illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus. Et ambulabunt gentes, quæ ſeruantur, in lumine eius: & reges terræ afferent gloriam & honorem ſuum in illam. Et portæ eius non claudentur per diem. Nox enim non erit illic. Et adferent gloriam & honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquid, quod inquinat aut abominationem facit, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro uitæ agni.

Procedit Apoſtolus in deſcriptione urbis diuinę uel cœleſtis, ad conſolandum ſanctos, & conſeruandum in quibuſuis afflictionib. tentationibusq;. Proinde ſeptimo loco de tẽplo differit. Nã in celebrib. urbib. nō eſt minima cõſideratio & laus tẽplorum. Claret hoc in hiſtoricis & geographis aut chorographis. Quale ergo in cœlo templum? Nullũ penitus. Nam Ioãnes: Et templũ, inquit, nō uidi in ciuitate Dei. Nō pugnat hic locus cũ ijs quæ extant cap. 11 & 15. de tẽplo in cœlo. Nã ſuffiguratũ, & in uiſione templum ibi eſt exhibitũ, nō quod reuera ſit in cœlo templũ: ſed ut ita ſignificaretur diuina iuſticia & ſalus certa in Scripturis promiſſa, ſicuti illis locis expoſuimus.

Templum.

Quid autem cauſſæ eſt, quòd in cœlo nullum apparet templũ? Reſpondet diuina reuelatio: Quia Dominus Deus omnipotẽs & agnus eſt templũ in patria illa noſtra cœleſti. Vſus tẽplorum hic eſt. Voluit Dominus inſtituto tabernaculo, deinde tẽplo, atteſtari ſe fore in medio populi ſui preſentẽ, patrẽ, Dominũ & defenſorẽ. Ideoq; in Scripturis accedere ad Dominũ dicuntur, qui uel ad tabernaculũ uel ad templum Domini accedebant. Templũ præterea extructũ erat propter doctrinã & preces, & propter cultũ Dei externum,

Nullum in cœlo templum.

ternum,propter ſacramenta percipienda,uel exercenda ſacrificia. Cæterùm his omnibus nihil opus eſt ſanctis in patria,ergo neque indigent templo,ideo nullum in cœlis conſpicitur templum. Nam Dominus Deus iam ſeſe ipſis exhibet fruendum, ſunt apud ipſum modò ſancti, unde nullo præſentiæ eius ſigno opus habent. Doctrina erudimur,quis Deus ſit,& quæ eius uoluntas,& quòd per agnum ſeruamur:iã uerò cum ipſum Deum de facie ad faciem uidemus, & ſalus per agnum Dei obtigerit, quid oro opus eſſet templo in cœlis?Oratione poſtulamus uitam & æterna bona:nunc cum obtigerunt hæc electis, quid opus eſſet ulla domo orationis? Offerunt iam ſancti abſq; templo æternas Deo laudes. Cumque ſacrificia & ſacramenta porrò non habeant in æterna patria locum,non uideo cur eſſe debeat in cœlo templum. Quieſcimus,& ſabbatum in cœlis agimus ſempiternum.Euincit præterea hic locus,Chriſtum uerum eſſe Deum,patri coæqualem,utpote cui coniungitur inſeparabiliter in omni gloria. Neque ſeparatur à patre & filio ſpiritusſanctus,qui alibi dicitur habitare in nobis:quo nomine nos & Dei & ſpiritusſancti templa appellamur ab Apoſtolo,1. Corinth.3. & 2. Corinth.6.

Lumen ciuitatis Deus.

Octauus locus huius deſcriptionis repetitur de lumine cœleſti,& quidem non ſine cauſſa maxima:quinimò eadem lux & in cap. 22.iterum prædicatur. Nam lumine in ædificijs nihil eſt præſtantius.Omnia alioqui ſine lumine cæca ſunt.Porrò nõ dicit,ſolem & lunam amplius non fore:ſed ciuitatem Dei illis luminarib.nihil indigere. Cauſam adiungit: Nam gloria Dei illuminauit eam. Gloria autem Dei, diuinus cœleſtis & ineffabilis eſt ſplendor lucis eius inacceſſæ, quam ipſe inhabitat: electis autem pro bona ſua uoluntate communicat. Chriſtus Dominus (qui hic appellatur agnus,propter redemptionis myſterium) illuminat beatos.Per ipſum enim clarificamur, & lumine fruimur æterno & pulcherrimo,cœleſti. Mutuauit hunc locum beatus Ioannes ex Iſaiæ 60.cap. ubi legimus: Sol non erit ibi in lucem diurnam,& ſplendor lunę non lucebit ibi: ſed Dominus erit tibi lux perpetua,& Deus tuus claritas tua.Quid,quòd beatorum ſedes creduntur fixæ ſupra ſphęram ſolis & lunæ,ſed & ſplendorem ſanctorum multis modis ſuperare fulgorem ſolis & ſtellarũ? Aſſeruit hoc ipſum & Iſaias in cap. 24. & 30. Deo omnipotenti & lumini ęterno ſit laus & gratiarum actio, qui nobis res tãtas parauit, & dona ineffabilia illa nobis donat.

Qui'nam ſint huius ciuitatis ciues.

Nono loco oſtendit,qui illa luce participent,uel qui ciues ſint huius cœleſtis ciuitatis,& qualis ſit ſors ciuium.Omnes gentes & populi ſeruati, ſunt ciues æternæ patriæ.Duo hic obſeruanda ſunt.Principiò,gentes conſtitui hæredes gloriæ, & quidem citra delectum.Non enim præcellit hic Iudæus,non Græcus,non Romanus,non Barbarus. Deinde non indiſcriminatim tamen & promiſcuè lucem æternam cõſequuntur omnes,ſed ſeruati duntaxat:id eſt,quos ſeruauit & redemit Chriſtus à peccato,diabolo,Antichriſto,& maledictione ac mundo.Seruat autem Chriſtus electos & fideles. Hi ergo reuera participabunt lumine:hi ſunt ciues æternæ patriæ.Sed quę eſt horum ſors & hæreditas?Ambulabunt in lumine Dei patris & agni:id eſt,fruentur lumine & ipſo Deo ad iucundam ſuauitatem & ſaturitatem.Nam tropus eſt,Ambulare in lumine,pro eo quod eſt,frui lumine, *Imm liecht wandlen,darinn ſin,vnd es nieſſen.* In Pſalmo certè 88 non diſsimili figura dicitur:Domine in lumine uultus tui ambulabunt.Et iterum: Notam mihi facies ſemitam uitæ,ſatietas gaudiorum in conſpectu tuo eſt,& iucunditas in dextera tua in perpetuum.

Reges ſunt in regia cœli.

Porrò ſingulariter cedit locus in cœlis, & palatio illo diuino, regibus. Reges ſunt moderatores & duces populi,quales ſunt qui uocantur reges & principes, gubernatores,magiſtratus,præſides tum politicæ tum eccleſiaſticæ hierarchiæ,doctores,magiſtri aut didaſcali,opifices que & parentes. Horum enim eſt, ſubditos diſcipulos aut liberos ſanctè gubernare,in diſciplina retinere,caſtigare,ad officia uitæ & omnis pietatis dirigere.Hoc ſi faciant, habebunt locum in cœlis paratum inſignem. Nam & Daniel dicit in cap.12. Porrò doctores ſplendebunt ut ſplendor firmamenti: & qui multos ad iuſtitiam adducunt, ut ſtellæ ſempiternis temporibus.O ergo & ô felices uos, ſi plurimos adduxeritis ad officia iuſticiæ exequenda.Væ uobis principibus & doctoribus

ribus & magistris & parentibus, si hic fueritis negligentes. Paratus est uobis apud inferos locus maximè infamis & infelix, sicuti & Ezechiel testatus est. Si uerò Reges suũ in cœlis, & honorificũ quidem illum, habent locum, cur docent, imò mentiuntur Anabaptistæ, Christianum nõ posse fungi magistratus munere? Etenim reges hic in cœlis esse commemorantur, non tantum ut homines, sed quatenus fuerunt reges, id est, quatenus boni fuerunt reges, ac debitum præstiterunt officium, non autem statione sua relicta se ad priuatum uiuendi genus contulerunt. Sequitur enim, Afferẽt gloriam & honorem suum in illam. Quæ uerò gloria illa, quis honor? Sequitur iterum: Et adferent gloriam & honorem gentium in illam: id est, ipsas gentes, populos aut subditos suos, ducent secum in cœlum, quos iuuerunt in pietate & salute uera, docendo, corripiendo, defendendo, attrahendo, &c. Atq; hi sunt gloria & honor ipsorum. Etenim Paulus 2. Cor. 1. ait, Quoniam gloria uestra sumus, quemadmodũ & uos nostra in die Domini Iesu. Et iterum in 1. ad Thess. 2. cap. dicit idem Apostolus: Nam quæ nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriationis? an non & uos, in conspectu Domini nostri Iesu Christi, in eius aduentu? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium. Pulchrè itaque Aquinas: Ad similitudinem, inquit, uictorum, qui spolia sua in urbes reportant, loquitur Ioannes. Fingit ergo principes, doctores & parentes secum in cœlos adducere eos, quos lucrati sunt, qui sint honori ipsis futuri, ac gloriæ. Hæc inquam cogitemus semper, & faciamus officium nobis à Deo iniunctum, quod intelligimus in æterna patria tantam habere retributionem. Glorioſissimum enim fuerit, astare cum tot assertis in conspectu Dei æterni agni, & omnium sanctorum. Ignominiosum contrà, stare cum tanta hominũ, scilicet perditorũ copia, & nostra quidem culpa & negligentia perditorum. Lege quæ scripta sunt Sapientiæ cap. 1, &c. Sequitur loco 10. portarum cœlestium custodia. Certè in magnis urbibus magna & diligẽs habetur ratio portarum, ut maturè occludantur uel aperiãtur. In cœlis autem nihil ea opus fuerit solicitudine. Ratio, per diem non solent claudi portæ, sed noctu. Nulla est autem nox in æterna patria, ergo nunquam clauduntur portæ. Nulla sanè nox ibi, sed dies perpetua: nulle ibi insidiæ, nulli insidiatores, nulla pericula: omnia in uniuersum tuta sunt, pacata, quieta & secura. Eadem leguntur & apud Isaiam, quamuis paulo diuersiore sensu. Aretas: Duplex est intellectus, inquit. Aut enim significare uult, quòd pax futura sit, & securitas, eaque tanta, ut opus non sit custodire ciuitatem occlusione portarum. Aut quod ibi quoque diuinæ portæ doctrinæ Apostolicæ omnibus pateant, ad eorũ disciplinam quæ plus habent perfectionis, &c. Certè nullis erit opus doctoribus & ductoribus, ijs qui coràm iam omnia mysteria contemplantur, & in ipsum cœlũ sunt inducti.

Portæ nõ claudũtur.

Singulariter uerò commendatur in ciuitatibus mundicies, si nihil occurrat aut appareat aspectu, auditu & odoratu ingratum, quod fastidium moueat, & abominãdum sit. Ac in priuatis ædibus prima laus est, si omnia niteant, & ordine cõstent quæq; suo, nõ dispersa sint & fœteant. Iam ergo undecimo loco demõstrat, in cœlis nihil futurũ, quod moueat nauseam, hoc est, quod non sit iucũdum ac desiderabile, modisque omnibus extersum, elegans, & modis omnibus absolutum. Idem locus & ad personas referri debet. Sequitur enim: Nisi qui scripti sunt in libro uitæ agni. Intelligimus ergo, in regnum cœlorũ non ingressuros fornicarios, idololatras, mendaces & impostores, & quicquid est impurum, & sanguine filij Dei per fidem non expurgatum. Hoc ipsum asseruit & apostolus Paulus in 1. ad Corinth. 5. & 6. cap. & ad Ephes. 5. cap. Quærit etiam Dauid: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Et respondet protinus: Qui ambulat sine macula, & operatur iusticiam, & reliqua Psal. 15. Implebuntur hic demum ea quæ scribuntur Deut. 23. cap. de ijs quibus prohibetur ingressus in ecclesiam. Habet ergo hic locus occultam doctrinam & admonitionem, erudiens nos, ut si uelimus & cupiamus esse hæredes æternę patrię, studeamus omnes dum in hisce terris uiuimus, iusticię & innocẽtiæ. Sequetur enim in cap. 22. Foris autem canes & uenefici & scortatores: & reliqua. Dominus deducat nos per uiam iusticię in uitam æternam, &c.

Mundicies urbis cœlestis.

Per

Pergit adhuc deſcribere ſedes beatas.

CONCIO XCV.

Cap. XXII. ET oſtendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de throno Dei & agni. In medio plateæ eius, & ex utraque parte fluminis lignum uitæ adferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius: ſed thronus Dei & agni in illa erit, & ſerui eius ſeruient illi. Et uidebunt faciem eius, & nomen eius in frontibus ſuis. Et nox ultra non erit: & non egent lumine lucernæ, neq; lumine ſolis. Quoniam Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in ſecula ſeculorum.

Amœnitas urbis Dei.

Duodecimo loco deſcribitur à Ioanne ciuitatis Dei amœnitas, elegantia, deniq; ubertas, uictusque abundantia. Flumina amœnas iucundasque reddunt urbes. Sine fontibus, riuis atque aquis ſalutaribus, ciuitates marceſcunt, & ciuitatum nomine uix digne ſunt. Quod ſi deſit uictus, perierunt totæ. Hæc ergo ciuitas noſtra cœleſtis excellit & nobiliſsima eſt in hiſce omnibus: neque uictum modò habet, ſed illum nobis exhibet ſumma cum uoluptate, & cum elegantia iucundiſsima. Etenim arbores non modò in hac urbe ſunt frugiferæ, ſed & amœnitatem præſtant inedicibilem. Flumen inſuper per medias fluit plateas: utrinque ex ripis ſpectantur arbores pulcherrimæ, fructus uitæ ſuppeditantes. Quod autem ſæpe in hac deſcriptione inculcaui, id repeto in præſentiarum, illa non ad literam intelligenda eſſe Chiliaſticè. Dominus enim nobiſcum loquitur, adeoque balbutit, uti nos pro imbecillitate ingenij noſtri hæc capere poſſumus. Si quis terrena optare deberet, non poſſet, opinor, maiora appetere, quàm hic deſcribuntur. Cogitabimus ergo, ſi hæc terrena præſtare poſſet Dominus, ſi uellet, cur non maiora animabus piorum & corporibus clarificatis dare poſsit? Quinimò uult Dominus, ut à contemplatione terrenarum ſubuecti, cœleſtia & diuina omnino expectemus, digna animabus beatis, & corporibus clarificatis. Quæ quidem, quanta & qualia ſint futura, nulla explicauerit nobis lingua hominis, quantumuis diſerta. Nam maiora parauit Dominus cultoribus ſuis, quàm hic poſsimus comprehendere. Ergo ampliſsima hic profert, ut aliquo modo concipiamus cœleſtia longè illis præſtantiora. Proinde ſenſus omnium eorum quæ hic dicuntur de flumine uitæ, & ligno uitæ, per amplificationem quandam eximiam, nullus eſt alius, quàm beatos in patria uiuificandos per Deum, ac in uita beata conſeruandos ſumma cum iucunditate in ſecula ſeculorum. Nihil autem dubium eſt, Ioannem iſta, ut & reliqua ſua, ex Scripturis (cum prophetarum interpres ſit) mutuò accepiſſe. Ideoque ad paradiſum alluſit, cuius deſcriptio poſita Gen. 2. cum hac cœli deſcriptione congruit pulcherrimè. Exoritur enim & in paradiſo flumen: quod mox in quatuor finditur capita, & hortum uoluptatis irrigat iucundiſsimè. Cernitur in eadem paradiſo lignum, id eſt arbor uitæ, uiuificos proferens ueſcentibus fructus: ſicuti ab Auguſt. exponitur lib. de Ciuit. Dei 13. cap. 20. At ex ea paradiſo propter peccatum in primo noſtro parente, eiecti fuimus: uenit autē Chriſtus, ut in paradiſum, id eſt, in ſummam fœlicitatem iterū nos introduceret. Iam ergo paradiſus illa uera, à Chriſto nobis parata, demonſtratur in cœlis, & hic deſcribitur. In hanc paradiſum ingreſſus eſt à morte Dominus, & in eandem ſecum duxit & fidelem latronem, cui dixit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Proinde nō eſt quod fingamus nobis hortos Alcinoi in terris, aut in aere ſupra globum Lunæ, diſputemusq; de paradiſo terreſtri. Cœleſtis eſt noſtra paradiſus, quæ nobis parata eſt in cœlis: ſicuti

Vera paradiſus fidelium, iſum eſt cœlū.

&

& Paulus dixit ad Philipp. 3. Paradiſus autem appellatur hortus uoluptatis, ſicuti in præſentiarum nuncupatur ciuitas aurea uel gemmea, utique per tropum utrobique. Huc pertinet etiam locus Zachariæ 14. cap. Eſt & alius Scripturæ locus apud Ezechielem in cap. 47, qui ad uerbum ſic habet, & uerbotim ferè in hunc locum à beato Ioanne translatus uel tranſcriptus eſt: Iuxta flumen, inquit, in utraque ipſius ripa ſuccreſcent omnis generis arbores frugiferæ, quarum folia non decident, neque fructus deficiet, ſed in ſingulos menſes primitiuos fructus proferent. Nam earum aquæ manant è ſanctuario, eritque fructus earum pro cibo, & folium earum pro medicina. Videt autem ſub typo Ezechiel eandem uitam beatam & ſedes fœlices, quas in præſenti uidet, monſtrante angelo, beatus Ioannes. Et uterq; quidem uidet fœlices ſedes eodem modo, & ſub eadem figura. Vna eſt enim duntaxat beatitudo, communis omnibus totius mundi fidelibus. Eandem conſequuntur fœlicitatem patriarchæ, prophetæ, apoſtoli & martyres. Vtrobique uident flumen, & hoc quidem emanare è ſanctuario uel throno Dei. Vtrobique uiſuntur ad flumen conſitæ arbores frugiferæ fructibus uitæ. Vtrobique fructus ſingulis menſibus recentes proferunt: ſed & folia medentur utrobique. Arbitror ex ſacris mutuò accepiſſe ueteres uates, quę de ambroſia & nectare, deorum cibo potuque mandarunt carminibus. Notus eſt ille Martialis uerſiculus: *Ambroſia & nectar.*

Iuppiter ambroſia ſatur eſt, & nectare uiuit.

Et grammatici uocabula illa ab immortalitate deducunt. Noſter ille longè elegantius & melius de his rebus diſſerens, ait, ſibi ab angelo oſtenſum eſſe fluuium, quem nobis commendat ab his à quibus commendari ſolet aqua: à puritate, ſplendoreque, uel claritate, Er was reyn, luter, heyter oder klar. Addit parabolam, quæ illuſtret quod dixit, & ait, Veluti cryſtallus. Deinde adiungit, fluuium hunc aquæ uiuæ fluuium eſſe, nimirum uiuificam aquam, quæ potantes conſeruet in uita. Poſtremò oſtendit etiam fluuij huius originem, deriuans ipſum ex throno Dei, de quo throno dictum eſt cap. 4 & 5 huius libri. Significatur autem his omnibus nihil aliud, quàm ex ſolo Deo proficiſci uitam, quam cultoribus ſuis in patria beata illa conferat puram, claram, illuſtrem, purgatiſsimam, abſolutiſsimamque & diuinam prorſus. De uiuis aquarum ſcatebris uel fontibus, attigimus aliquid & in fine cap. huius libri ſeptimi. Obſerua iterum, Deum & agnum ita coniungi rurſus, ut nemo niſi furioſus negauerit, filium patri eſſe conſubſtantialem.

Sequitur iam uictus huius urbis diuinæ. cibus in æterna patria, eſt lignum uitæ. Eſt autem Hebraiſmus Lignum uitæ, pro eo quod eſt, Arbor uitæ, aut cibus uiuificans. Additur enim, Adferens fructus. Siue uerò intelligas unam modò arborem uiſam eſſe ab Ioanne, ſicuti & in paradiſo unica arbor uitæ duntaxat fuit: ſiue plures, ut apud Ezechielem, ſic ut per genus etiam ſpecies intellexerit, perinde fuerit. Situm arboris diligenter indicat, collocatam eſſe in medio plateæ urbis, & ex utraque parte fluminis (unde certè colligitur plures eſſe arbores) nimirum in ripis, ut ſuccum uitalem hauriant ex flumine, quod oritur ex throno. Significari his arbitror, omnibus communem & expoſitum eſſe cibum, non recluſum aut paucis deſtinatum. Reperitur in media ciuitatis platea: patens ergo eſt, non abſconditus cibus. Viuificam uerò uim haurit ex flumine, quod oritur ex throno. Nam uita illa cœleſtis ex Deo eſt, defluitque in omnes eius electos. Præterea diligentiſsimè etiam oſtenditur, qualis ille fuerit fructus! Fructificat, inquit, ſeu fructum profert arbor uitæ annuatim duodecies, ut ſingulis menſibus ſuos proferat recentes fructus. Primitiæ hominibus ſunt in delicijs: & qui à uetuſtis fructibus ferè abhorrent, recentes malunt. Ergo in beata illa patria noſtra nihil erit moleſtum, ingratum, aut ulla parte reſpuendum, ſed omnia erunt ſuauiſsima, delicatiſsimaq; recentia, *friſch*, & deſiderabilia. *Victus huius urbis.* *Fructus.*

Iam etiam folia non negligit, uſumq; eorũ aliquem, ſicuti Ezechiel, oſtendit: Seruiunt, inquit, medicinæ ac ſanitati gentium. Non quòd morbi aut uulnera futura ſint in patria: ſed quòd ſanitate iugi perpetuaq; uſuri ſint beati. Hos nuncupauit gentes: non quòd impuræ adhuc ſint gentes, ſed quòd tales aliquando fuerint, modò autem purgatæ per Chriſtum, ſanæ & ualentes uiuant in ſecula ſeculorum. *Folia.*

Et

In quem finem hæc perſcripta ſint.

Et his quidem hactenus allegoricè per partes adumbrauit ſedes illas beatas, fidelibus in æterna illa patria paratas, ſub imagine urbis nobiliſsimæ: quam cum commonſtrauit nobis, ueluti cœlum ipſum patefeciſſe & æternam felicitatem oculis ferè mortalibus contemplandam obieciſſe, adeoq; digito indicauiſſe uidetur, non in aliũ finem niſi ut fortes & conſtantes ſimus in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti: ne ue unquam cogitemus, Quis uidit unquã ſedes illas beatas, ad quas uocamur abnegatione omnium uoluptatum? Quid ſi ſperneres præſentes uoluptates, & futuras non aſſequereris ullas? Impia eſt hæc cogitatio. Fides alia te docet. Quid uerò præterea, quæ tibi uidenda Deus exhibuit, inſpicere cupis? Abundè ſatis uel in preſentiarũ uidiſti: abundè ſatis uitæ & uoluptatis cœleſtis in præſentiarum demonſtrauit tibi Dominus. Enitere modò, ut diabolo, mundo & Antichriſto conculcato, emergas & inferaris in ſedes illas cœleſtes. Præterea caue ne curioſior ſis, quàm conueniat: atque plura uel exactiora ſcire uelis de arce cœleſti & perpetuis gaudijs, quàm ipſe tibi Dominus, qui hæc ſolus nouit, reuelauit. Sufficiat hæc nobis euidens uitæ æternæ demõſtratio. Nõ puto uſpiam melius uel rectius, elegantius & euidentius diſputatum eſſe de uita beata, quàm hic à beato Ioanne. Acquieſcamus ergo in Deo, credamus uerbis eius, ſufficiat nobis reuelatio eius, & deſideremus cõiungi cum ipſo in hac cœleſti regia, in omni felicitate & æterna uita abſolutiſsima.

Colligitur ſumma doctrinæ de uita beata.

Porrò præcipua huius cauſſæ Ioannes nũc recolligens, & locũ hunc de uita æterna concludens, felicitatem hanc ſempiternam ſeptem abſoluit membris: quæ ideo attingemus duntaxat, quòd de pleriſque hactenus ſatis copioſe diſputatum uideatur. Et principiò nulla erit maledictio, nullum anathema, nulla execratio, neque bellum neq; fames, neque morbi, neque quicquam tale, quod à beato Moſe inter maledictiones recenſetur Deut. 27 & 28. Non quòd omnes maledicti ſint, qui illis ſubiecti ſunt. Morbis enim & Iob & alij uiri boni confracti ſunt: ſed quòd ferè irrogentur maledictis, incredulis & impijs hominib. non ut in pietate exerceantur & proficiant, ſed ut affligantur hic, & ad maiora pedetentim tranſeant ſupplicia. Quid ergo?

Nulla erit maledictio.

Thronus Dei in urbe.

Sequitur membrum ſecundũ: Sed thronus Dei & agni erunt in illa ciuitate. nimirum regnum Dei erit ibi, regnabitq; Deus & omnis benedictio, nulla maledictio, in electis. Quæcunque ergo prophetæ, Chriſtus & apoſtoli dixerunt iucundi de regno Dei, in cœlis erit, & fruentur ijs beati. Rurſus autem coniunguntur inſeparabiliter pater & filius in eſſentiæ unitatem, qui tamẽ pulcherrimè interim perſonarum diſtantia non diuiduntur, ſed diſtinguuntur. Nota ſunt hæc adorandæ trinitatis myſteria fidelibus.

Serui eius ſeruient ei.

Sequitur tertium membrum. Miretur quis, quid beati in perpetua ſecula ſint facturi. Dicit ergo Ioannes, Et ſerui eius ipſi, Deo inquam & agno, λατρεύσουσιν, ſeruient, colent ipſum adorando & laudando, glorificandoq; in ſecula. Totos ergo ſeſe cultui dĩ uino mancipabunt. Quæ quidem res ipſi ſummæ erit uoluptati. Quod alibi quoque oſtendit & Auguſtinus.

Videbunt faciẽ Dei.

Quartò, Videbunt faciem diuinam. Multis agit S. Auguſtinus de uidendo Deo, ad Paulinam: monetq; piè, ne nobis imaginemur hic carnalia. Moſes Exodi 33. & Philippus apoſtolus Ioan. 14, pro ſummo bono reputarunt uidere Deum, ſicuti eſt, & ut dici ſolet, de facie ad faciem. Ac reuera eſt in hac uiſione & perfruitione ſummum bonum & gaudium ſempiternum & abſolutiſsimum: cæterùm in præſenti ſeculo, ſicuti & ad Moſem dicit Dominus, nemini obtingit. Viderunt ſanè beati patres Deum, ſed per ſpeciem, & quantum ſe illis reuelare & conſpiciendum præbere dignatus eſt. ſicuti & Tertullianus in libro contra Praxeam oſtendit: ſed pleno oculo, plenam Dei gloriam tum primum cernere ineffabili cum gaudio conceditur, quando liberati à miſeria, & à corruptione purgati, etiam corpore fuerimus clarificati: tum demum, ſicuti & Ioannes dixit 1. Ioan. 3. uidebimus eum ſicuti eſt. De hac uiſione Dei loquutus iuſtiſsimus Iob, dixit: Vbi circundederint (nimirum pater, filius & ſpirituſſanctus) hoc (certè corpus meum) mea cute, ſpectabo Deum è carne mea: quem ego mihi contemplabor, & oculi mei uidebunt, & non alius. Id quod unicum meũ eſt deſiderium. De

Iob 19.

hac

hac uisione loquutus est & Paulus, doctor gentium, ac dixit: Cernimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, &c. De hac uisione disputauit etiam Augustin. in lib. de Ciuitate Dei, circa finem. 1. Cor. 13.

Quintò, habebunt nomen Dei in frontibus suis: uel quia erunt filij Dei, sicuti audiuimus in epistola ad Philadelphienses, cap. huius libri 3. Et quidem in patria manifestè patebit omnibus, qui sint filij Dei: in hoc seculo ferè pro filijs diaboli habentur, qui sunt reuera filij Dei. Sed inclarescet hoc in alio seculo, magna cum electorum gloria. Et quidem claritas diuina radiabit ex electorum frontibus, uel uultibus: quemadmodum olim ex facie Mosis & Christi Domini fundebatur fulgor. Vel quia omnes sancti se mutuũ noscent, cum in uultu ipsorum resideat diuina uirtus: quem sensum uideo placuisse Primasio. Vel quia sacerdotes erunt coram Deo in perpetuum: id quod de electis prophetæ tradiderunt. Gessit autem olim in lamina aurea, capiti alligata per fasciam, ipsum Dei nomen in fronte Pontifex. Certè maxima erit in patria filiorum Dei gloria, eorum in primis qui confessi sunt nomen Christi in terris: hos enim glorificabit pater in cœlis. *Nomen Dei in frontibus scriptum.*

Sexto membro iterum repetitur, quod superius semel & iterum dictum est, electos in patria illuminari gloria diuina. De qua re dictum est antea satis. *Deus illuminat electos.*

Postremo & septimo membro omnia uitæ & beatitudinis ueluti complectens, & uno uerbo enuncians: Regnabunt, inquit, in secula seculorum. Dominus Iesus cõcedat nobis fidelibus suis, ut quæ nunc copiosè audiuimus ex ore eius: breui, in animab. & corporibus nostris experiamur, clamemusq; cum iubilo, Deo patri clementiss. & Iesu Christo liberatori potentiss. & benigniss. & spiritui sancto consolatori suauiss. sit laus & gloria in secula seculorum, Amen. *Regnabunt.*

Conclusio huius Operis, in quo asseritur authoritas eius, & colligitur summa paucis.

CONCIO XCVII.

ET dixit mihi: Hęc uerba fidelia sunt, & uera. Et Dominus Deus sanctorum prophetarum emandauit angelum suum, ostensurum seruis suis, quæ oportet fieri citò. Ecce uenio uelociter. Beatus qui custodit uerba prophetiæ libri huius. Et ego Ioannes uidens hæc, & audiens. Et postquam audissem & uidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat. Et dicit mihi: Vide ne feceris. Conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui seruant uerba libri huius. Deum adora.

Sexta & ultima huius Operis pars continet conclusionem, quæ asseuerat, ea quæ audiuimus, diuina esse, certa ac indubitata: colligit item præcipua, omnesq; cõmouet ad fidem, pietatisq; studium, ut in spe firma iudicem uniuersorum expectemus, uentũrum propediem, iudicaturumq; uiuos & mortuos. Pulcherrimè autem ultimus hic Canonicæ scripturæ liber, claudit iudicio & fine rerum omnium narrationem & doctrinam diuinam. Orditur enim Scriptura sacra ab exordio rerum omnium, & continuat narrationem usq; ad finem rerum omnium, continens in se uniuersitatẽ rerum, & omnia ea quæ de rebus necessarijs utilibusq; cognoscere conuenit. Ea uerò omnia tradidit nobis cognoscenda bonus Dominus in Scriptura sancta, id est in libris Canonicis. Impostores enim sunt, qui aiunt, nõ omnia quæ ad uerã plenamq; pietatẽ & salutem pertinẽt fideliũ, tradita esse diuinis literis, ideoq; traditionib. esse opus. Opus quidẽ illis est traditionibus, ijs qui uolunt promercales extrudere merces: nobis non item, qui merces illorum ne obulo quidem cuiquam emendas existimamus. Abundè enim dehortatus est nos Isaias ab illorũ impostoris, cap. 55. Absoluitur autem hæc cõclusio capitibus circiter 16. quæ ordine excutiemus. *Conclusio operis huius.* *Apocalypsis est ultimus liber inter Canonicos libros.*

Vera & indubitata esse hæc.

Ab initio protinus grauis ponitur asseueratio, uera, firma, certa & indubitata esse illa, quę dixit hactenus aut scripsit. οὗτοι οἱ λόγοι πιστοὶ καὶ ἀληθινοί, *Dise redē sind vest, gwiß, triw vnd warhafft.* Eandem propemodum sentētiam posuit & 19. huius lib. cap. ac fideles uocat sermones, qui sunt stabiles, rati, firmi, indubitati. Refertur uerò sententia ad ea quę dixit de beata uita in futuro seculo, ne quid dubitationi nostræ relinquatur. Deinde refertur ad totam narrationē huius libri. Videturq; hæc sententia clausula esse assertiua, & confirmās firmitatē rei propositę: sicut illa quoq; in prophetis, Quia Dominus locutus est: & illa, Sic dixit Dominus exercituū: & illa in Euangelio usitatissima, Amē amen dico uobis, &c. Sed & illa in epist. apostolicis: Testis est mihi Deus, quòd nō mētior. Succurrit autem diuina bonitas infirmitati nostræ, qua frequentissimè de ueritate uerborum Dei dubitantes fluctuamus, hisque ueluti ancoris spem nostram firmat. Vnde diligenter hæc inculcanda sunt & urgenda in doctrina ecclesiastica. Aretas hunc locum interpretans, Quod moris huic sancto Euangelistæ, ait, esse solet, hic quoq; est. Quemadmodum & in Euangelio suo, in signū legalitatis, ait, Et scimus quòd uerum est testimonium eius: sic etiam in hoc loco sigillum imponens, dicit, Verba fidelia & uera sunt. Hæc ille. Indignum ergo fuerit, de his quæ in hoc libro & in cæteris canonicæ scripturæ libris scripta sunt, uel modicè dubitare.

Author huius operis Deus sanctorū prophetarum.

Deinde repetit, quis sit huius operis author, & quomodo sibi sint reuelata ista omnia. Et author quidem alius nō est, quàm ipse Dominus Deus, & Deus quidē sanctorum prophetarum. Id quod miram habet emphasim. Nam ostendit, non tantum eundem esse Deum utriusq; testamenti, qui per spiritum suum inspirauerit prophetas & apostolos: sed occultè iubet nos ueritatem huius libri, certitudinemq; æstimare ex rebus propheticis. Si enim olim potuit futura populo suo p̄dicere, & per prophetas omnia annunciare, quid mirum est, si idipsum nunc quoque præstet per Ioannem? Si uerò ea euenerunt omnia quæ futura prædixerunt prophetæ, neq; uerbum, imò ne iota quidem decidit in terrā, quod non sit completū: de ueritate libri huius nemo etiam dubitabit, qui modò expenderit, eundem Deum qui prophetis olim adfuit, & nunc adesse beato Ioanni. Prædixerūt prophetæ, tradendā terrā Chanaā in possessionē filiorum Israel: tradita est. Prædixerunt illi ipsi, Israeliticum populū propter peccata rursus ex terra illa eijciendum in Babylonē: eiecti sunt. Prædixerūt inde iterum liberandos & reparaturos urbem, ad quam sit uenturus Christus, qui liberet genus mortalium, atque uocet in consortium uitæ beatitudinisq; omnes gentes: liberati sunt, repararunt urbem: uenit Christus, liberauit genus mortaliū, & prædicatum est Euangelium per totum orbem terrarum. Quid itaq; restat, nisi ut exerceatur ecclesia, ueniat Antichristus, regnet, committantur autem cum ipso ueri Christiani, ueniatq; iudex tandem in iudicium, & retribuat unicuiq; secūdum opera sua? Probat autem hic locus diuinitatem Christi irrefragabiliter. Quid enim apertius dici potest, quàm quod dictum est? Dominus Deus sanctorum prophetarum emandauit angelū suū. Ita in 1. cap. dictū est, Reuelatio Iesu Christi, quam dedit illi Deus. At paulo pòst dicet: Ego Iesus misi angelum meum, ut testificaretur uobis, &c. Vnitas ergo ostēditur in his substantiæ diuinæ, & personarū discrimen. Modus autem reuelationis ostēditur, aut repetitur & colligitur magis: Emandauit angelum suū. Per angelum ergo Christus omnia ostendit Ioanni. Deum enim nemo uidit unquā: neq; ante iudiciū descendet iterū è cœlo Dominus. Tota ergo hæc uisio exhibita & exposita est per angelū, qui erat Christi Domini legatus. Vnde omnia ꝓpriè ad Christū mittentē angelū referūtur. Quib. autē ostendit ac reuelauit hęc? Seruis suis. Nā cōtemptores Dei hęc omnia ridēt, & ꝓ fabulis habent. Cæterùm Deus amat cultores suos, & admonet eos de rebus omnibus maturè.

Christus uerus Deus.

Quomodo reuelatus hic liber.

Summa huius libri capita.

3 Summam iā colligit eorum quæ hactenus tractauit. Cōtinentur ea duob. maximè capitib. Principiò enim ostēdit hucusq; quę oportet fieri ἐν τάχει, *in breui, in kurtzem.* Cōtinet enim hic liber ecclesiæ fata à tēporib. apostolorū ad finē usq; seculi. Ergo nō in longinquum est uaticinatus, sed de ijs quę ipsa Ioannis ætate incœperunt. Si autem oportet fieri, quis resistet? Non quòd asseram Stoicam necessitatem, sed quòd potentem Dei operationem secundum prouidentiam iustitiamque eius agnoscam. Deinde sub-

ſubiungit alterum membrum: Ecce uenio ταχὺ, *ſchnell vnd behend*. Cõprehendit enim hic liber multis, quæ pertinent ad iudicium ipſum, & ad iudicium extremum, ad quod ita ueniet celeriter & inexpectatè, ut impij & leues homines nihil expectarint minus. In Euangelio enim dicit Dominus: Erit ſicut in diebus Noe & Loth. Et hora qua non putatis, uenturus eſt filius hominis. Item: Sicut fulgur exit ab oriente, & relucet in occidente, ita erit aduẽtus filij hominis. Ideoque nunc quoq; dicit in præſentiarum Dominus: Ecce uenio uelociter. Derepentè enim, dum aliud interim agere uidetur, ex inopinato inducit loquentem Dominum, & quidem rem admirandam. Quò pertinet particula Ecce. Nam & Paulus ſcripſit, Dum dixerint pax & ſecuritas, repentinus eis ſuperueniet interitus.

Vtilitas huius libri.

4 Quam uerò utilitatem expectabunt ſerui Dei ex hoc libro? Breui ſententia permultum complectitur, & dicit: Beatus qui cuſtodit uerba prophetiæ libri huius. Felicitas & beatitudo, fructus eſt qui ex hoc libro percipitur. In præſenti quidem ſeculo coniuncti Chriſto, in uia iuſticię ambulabimus, & impoſturas Antichriſti effugiemus: tormentaq; quæ in conſcientijs exoriuntur, ex corruptela religionis deprauatæ, non ſentiemus. ubi uerò hinc ſoluerimus, rectè petemus ſedes illas beatas. Summa eſt hæc beatitudo ac felicitas. Obſeruemus autem, quòd non ſatis eſt, librum hunc uel uidiſſe, uel audiuiſſe, uel legiſſe: cuſtodire neceſſe eſt. Cauendum eſt enim ne perfluamus, ne eorum quæ nobis dicta ſunt obliuiſcamur, quin potius ut totam uitam ad doctrinam libri huius componamus. Tribuit autem ei titulum prophetiæ. Prophetia quidem dicitur uniuerſa ſcriptura, quaſi tui dicas diuina: cæterùm cum hic liber maiore ſui parte futura annunciet eccleſiæ, rectè appellatur prophetia.

Scriptor huius libri Ioannes, qui nomen ſuũ inculcat.

5 Repetit iterum, & inculcat, & nomen ſuum, & ſe eſſe oculatum & auritum teſtem, cui tutò credatur. Sic autem uult libro huic parare authoritatem. Meritò enim magno in precio habetur, quod exceptum & ſcriptũ eſt ab apoſtolo Ioanne & Euãgeliſta. Nõnulli uitio uertunt Ioanni, quòd tam diligenter nomen ſuum inculcet. At mirum eſt, illos non obſeruare hoc ipſum & alibi, & ab alijs, non ſine laude factum eſſe. An non idem ille Ioannes, diſcipuli nomen repetiuit & inculcauit in hiſtoria? Quis hoc reprehenderet? Quid ergo hic peccarit, non uideo: imò cum ſpiritu præuiderit, huic libro plurimum fore detrahendum, non niſi maxima de cauſa, & cum fructu magno, & ſumma ex neceſsitate nomen ſuum urſit. Sed & Paulus apoſtolus ad Galatas: Ecce ego Paulus dico uobis, inquit, ſi circuncidamini, Chriſtus uobis nihil proderit. Idem nomen ſuum quoque, ut affectum moueat, ad Philemonem inculcat. Aretas ergo peroptimè hunc locum enarrans: Et hæc, inquit, proprietas quædam loquendi eſt huius apoſtolicæ animæ. Nam quod in Euangelio quoq; egit, ubi ait: Et qui uidit, teſtimonium perhibuit, & uerum eſt teſtimonium eius: idipſum & hoc loco facit, conteſtans, ſeſe & auditorem horũ & inſpectorem fuiſſe, quę prophetata ſunt. Per hoc enim ijs quæ uiſa fuerant, fidem facit. Tantum ille. Alijs non abs re uiſum eſt, Ioãnem ſuum in hoc libro frequentius nomen inculcare, quàm in hiſtoria, quod difficilius prophetiæ adhuc futuras res prædicenti, quàm hiſtoriæ, quæ res geſtas narrat, credatur.

Cur iterum adorare angelũ Ioan. uoluerit.

6 Loco adijcit, quid ipſi iterum euenerit cum angelo, reuelanti ipſi grandia hæc myſteria. Similem hiſtoriam per omnem modum habuimus in cap. 19. ubi & ipſam enarrauimus: unde qui uelit, requirat. Quæſitum eſt tamen ab interpretibus, quî fiat, quòd Ioannes iterum nunc faciat, quod fecit prius, & prohibitus fuit ab angelo? Thomas Aquinas exiſtimat, Ioannem uiſionum excellentia ſibi ipſi ereptum, quaſi attonitum hæc feciſſe. Gloſſa: Suprà prohibuit angelus, inquit, ne adoraret latria: hic prohibet, ne adoret dulia. Mihi uerò, ſaluo ſemper meliori aliorum iudicio, uidetur in Ioanne oſtendi omnibus pijs, quanta ſit ad lapſum hominis procliuitas, niſi forti manu Dei prohibeatur & retrahatur. Prius diſertè ſatis demonſtrauit Ioanni angelus, ne hoc faceret, quod faciebat tunc, & modò repetit. Eorum enim ueluti oblitus, propter angeli præſtantiam, aliquem certè ei cultum uoluit impendere. Ita enim nobis permittimus plus quàm deceat, maximè erga perſonas præſtantiores, quas ob eximia Dei dona dignas exiſtimamus, quas etiam citra offenſam Dei uenerari poſsimus. Ea opi-

nio seducit ferè nostro seculo maiorem partem eorum, qui diuos contra religionis fin ceræ decorum colunt atque uenerantur. Cæterùm angelus Domini nullam hic doctri nam nouam confingit & profert, sed ueterem illam in forma, quod dici solet. Vt intelli gamus, perpetuam semper esse Dei uoluntatem, quæ nolit coli excellentissimas crea turas, sed unum & solum adorari Deum. Easdem ergo repetit causas, quas & superius obiecit. Valent ergo hæ apud omnes omnino, & omnibus temporibus. Videtur inte rim, Ioannem uoluisse hoc modo nobis excellentiam commendare uisionis huius, uel reuelationis: angelum uerò constanter monuisse modestiæ, & ne quod Dei proprium est, transferamus in creaturas. Ac laudem meretur hic eximiam, quòd Ioannes hic ni hil dissimulat: sed lapsum suum disertis uerbis, & increpationem angeli significantis simè retulit in literas. Suo enim lapsu præcauere uoluit, ne pij in similibus casibus la berentur, sed omnem Deo gloriam tribuerent. Obseruandus hic quoque uidetur, mi rus in genere loquutionis affectus. Angelus enim iam ,pcubituro, imò prostrato iam, & adoraturo nunc, acclamat, ὅρα μή: Vide ne, scilicet feceris, quod facere scilicet medi taris. Exprimitur animi solicitudo & festinantia, qua conatum Ioannis præuenire co natur. Ita uerò seduli sunt sancti spiritus in cœlis, in prohibendis omnibus uel aliquo modo nos à Deo auertentibus ad creaturarũ cultum: tantum abest ut uelint se coli, & ea sibi tribui, quæ Papistæ hodie etiam armata manu eis tribuunt. Dominus clemens & misericors conuertat ipsos ad mentem sanã, ut Deo omnem gloriam tribuãt: Amen.

Præcipitur Ioanni, ne librum hunc obsignet, sed uulget, nullo hominum habito respectu.

CONCIO XCVII.

ET dicit mihi: Ne obsignaueris uerba prophetiæ libri huius. Tẽpus enim propè est. Qui iniuria afficit, iniuria affi ciat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui iu stus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.

Ne obsignaueris librum.

7 Locus qui in conclusione tractatur, prohibet Ioanni, ne librum scriptum obsi gnet. μὴ, inquit angelus, σφραγίσῃς: id est, Ne obsignaueris. Solent autem & literæ & li belli obsignari, uel fidei confirmationisq́; gratia, uel ne palàm legantur ab omnibus: sed ab illis duntaxat, quib. destinatæ sunt. Danieli in 12 cap. dicitur ab angelo: Tu qui dem Daniel claude uerba, & signa librum, usque ad tempus ultimum. Iubetur claude re librum suum, id est, finem ei imponere, neque amplius reuelationis quicquam ex pectare: denique iubetur claudere propter impios, quibus sanè liber hic ænigmaticus & clausus uidebitur. Sequitur enim: Oberrabũt multi, & scientia multiplex erit. Nam qui non reguntur certo & firmo Dei uerbo, nihil omnino certi & comperti habẽt, sed oberrant per multiplices seu uarias & incertas hominum sententias, opiniones & tra ditiones. Nam dicit Daniel, scientiam futuram multiplicem: id est, innumeras de religione & cultu Dei futuras opiniones & sectas: cum interim una duntaxat sit uera sen tentia, doctrina, fides uel religio, ea inquam quam Daniel libro suo tradidit, quem & obsignauit: id est, diuinis sigillis ceu obsirmauit, tanquam authenticum, & cui meri tò credatur. Atqui in præsenti non iubetur Ioannes eodem sensu ne obsignet librum, quem scimus omnino esse authenticum: sed huiusmodi quid sentit angelus. Ne cela ueris aut texeris, absconderisq́ue librum hunc: quem Deus ideo scribi uoluit, ut extaret publica doctrina in uniuerso mundo, qua erudiantur in his quæ reuelata sunt cœ litùs, omnes homines, ne per Antichristi artes & tyrannidem è regno Christi abstra hantur in regnum Antichristi. Vult enim Deus hæc omnia omnibus esse peruulgata & manifestissima. Atque hunc sensum aperuit & Aretas dicens: Ne obsignaueris, ait, id est, ne apud temetipsum obsignata reserues, sed patefacito uniuersis. Ratio subijci tur: Tempus enim propè est, quo scilicet ista quæ prædixi, euenient. Vnde opus est ad monitione,

Liber hic omnibus patêre debet.

monitione,confirmatione & conſolatione fidelibus. Proinde cum hic liber editus ſit, ut fideles admoneat, cõfirmet & conſoletur,non oportet ipſum clauſum, ſed maximè patentem eſſe.Nam ea eſt bona Domini uoluntas,ut uerbum hoc ſuum,in ſua eccleſia,ad utilitatem omnium fidelium prædicetur.Videant ergo quid agant,qui hunc librum non modò clauſum, ſed penitùs ſublatum uolunt: nec putant ipſum, ut ænigmaticũ & obſcurũ,poſſe intelligi.Deo autem ſit laus & gratiarũactio, qui nobis hoc libro perutili,& maximè neceſſario,fideliter & in tempore uoluit conſulere.

8 Locus huius concluſionis uidetur tractare occupationem quandam. Dicat enim hic aliquis:Tu quidem uis patêre librum hũc, & peruenire ad omnes omnium ordinum homines, ſexus & ætates:at nõ deerũt,qui prorſus cõtemnent eundem. Fruſtra ergo prædicabitur,fruſtra urgebimus hęc ſcripta,apud eos maximè,qui ipſa ridebunt, atq; aliter & aliter pro ſua libidine interpretabuntur. Id uerò præoccupare uidetur, ac dicere:Erunt ſanè iniuſti innumeri, qui effrenes pergent in ſuis iniquitatibus,ac ſemetipſos ſubinde magisque uincent:uerùm erunt & iuſti, qui & ipſi in omni iuſticia perſeuerantes,creſcent in ſanctis uirtutibus,ac in his quoque ſemetipſos ſuperabunt: proinde perge tu illis omnibus annunciare,quæ hoc libro tibi mandaui,nihil ſollicitus de ſucceſſu:hunc mihi permitte,tu munus prędicandi capeſſe.Ego efficiam,ne ſit prædicatio tua fidelis,fruſtranea.Ac ſine tu, ſi uideas aliquos omnino ſordeſcere uelle,in ſordibus perire, quando omnem tuam fidelem contemnunt operam. Nam tu perfeciſti munus tuum,& inſons es: iſti uerò ſua culpa pereunt. Proinde nolo uel te, uel quenquam alium, nimis eſſe anxium, cum cernitis plurimos, puritate uerbi Dei contempta, malle uerſari in ſordibus. Sed & alibi legimus, multis Euangelium annunciari in iudicium : & Euangelij odorem alijs ſuauem eſſe ad ſalutem,alijs fœtorem intolerabilem ad interitum. Similis propemodum locus extat apud Ezechielem in cap.2,ubi legimus dixiſſe Dominum ad prophetam: Fili hominis mitto te ad filios Izrael,ad gentes rebelles,quæ rebellarunt contra me,ipſi & patres eorum perfidè mecum egerunt in hunc uſque diem.Filij ſunt dura facie,& pertinaci corde. Ego te mitto ad illos, & dices eis:Sic dicit Dominus Deus, ſiue audiant ipſi, ſiue non audiant: quia domus rebellis ſunt, ut ſciant quòd propheta fuerit in medio illorum. Et tu fili hominis ne timeas eos, neque à uerbis eorum formides: quia contentioſi & ſpinoſi ſunt,& tu habitas cum ſcorpionibus.ſed ideo non metues ab eis: loquêris uerba mea ad eos,ſiue audiant,ſiue minus.

Inculcãda ſunt huius libri omnia & audientibus, & nõ audientibus.

Matth.24.

2.Cor.2

Porrò cauendum in præſentiarum, ne intelligamus mandare Deum, ut impij pergant porrò eſſe impij,cum dicit angelus:Qui iniuſtus eſt,iniuſtus ſit adhuc,&c.Videtur enim talis propemodum eſſe loquutio,qualis illa in Euangelio: Quod facis, facitius.Nam quod alioqui facturum nouit,facere iubet.Ad eundem modum hic,quod facturos nouit impios,dicit facturos:neq; uult ut factũ ipſorũ turbet Ioannẽ,& fidelem prædicatorẽ,cũ & multi ſint futuri boni,qui & ipſi iuſticiæ operã ſint daturi. Nos ſolemus eodem propemodum idiomate dicere:*wilt nitt anders,ſo far hin, vnd thũ dem vnradt eben gnůg.* Si aliter fieri non poteſt,agè pareas licet.Non quòd iubeamus illum qui perit, perire:ſed quòd ita inſaniã eius ei exprobremus,ſignificemusq; ipſum ſua perire culpa ppria,uolentẽ& ſcientẽ.Aretas:Non eſt adhortatio,inquit,ſed redargutio potius uniuſcuiuslibet,ad quod ſtudiũ applicuerit.Aquinas uerò:Senſus eſt,inquit, Qui nocet, noceat adhuc.id eſt,nocebit,malis alijs inferendo:ut intelligatur angelus hæc dixiſſe prophetando,nõ optãdo,&c.Atq; ita ſenſus eſſet:Impij ſpreta prophetia pergent eſſe impij,pij rurſus creſcent in ſtudio iuſticiæ ſancto. Qui ſanè ſenſus uidetur omniũ eſſe ſimpliciſsimus.Nec diſcrepãt ab his plurimũ, quæ in Danielis 12. cap. hiſce leguntur uerbis:Abi Daniel, inquit angelus,& ne curioſius inueſtiges articulũ temporis poſtremi:quia clauſi & obſignati ſunt ſermones,uſq; ad tẽpus ultimũ.Cõplures purgabuntur & dealbabũtur & conflabuntur.Impij uerò impiè agẽt,& nõ intelligẽt omnes impij.Eruditi uerò docebunt.Ab his nihil diſsident & Apoſtoli uerba, dicentis prophetantisque de temporibus poſtremis: Omnes qui uolunt piè uiuere in Chriſto Ieſu, perſequutionem patiantur oportet. Porrò mali homines & impoſtores proficiunt in

Deus non mandat ut impij adhuc ambulent in iniquitate.

2.Timoth.3.

peius,dum & in errorem abducunt, & errant ipsi. Cum ergo tale sit futurum mundi huius postremum seculum,pergamus constanter urgere & inculcare,quibus hæc functio obtigit,ipsum uerbum Dei,ac reuelationem Iesu Christi omnibus hominibus,nihil curantes,quid mundus & mundani homines ogganniant.

Iniusti & sordidi opponuntur iustis & sanctis.

Eleganter uerò duo sibi inuicem hominum genera opponit,iniustos iustis, & sordidos sanctis.ὁ ἀδικῶν,inquit,qui malè agit,malè agat:uel,qui iniustus est,iniustus sit:uel, qui nocet persequẽdo pios: ἀδικησάτω ἔτι, noceat adhuc uel porrò. *wer vnbill vnd vnrächts thůt,der thůye es wyter*. Huic iam opponit,Qui iustus est,iustificetur adhuc:id est,porrò & amplius,ac subinde magis magisque crescat in omni pietate, & uincat semetipsum in iusticia,cùm fidei tum operum.Iusticia enim fidei iustificamur: iusticia operum declaramur esse iusti. Qui autem iusti sunt,non tantum nemini nocent,sed inseruiunt & benefaciunt omnibus.Contrà iniusti,qui fide uera carent, luce carent: uersantur ergo in tenebris,& opera faciunt tenebrarum:persequentes & iustos & iusticiam, & affligentes omnes homines.Tales quoque in extremis diebus futuros prædixit homines Dominus,in Euangelio secundum Matth.24.cap.

Alterum genus hominum,est impurorum, pollutorũ, fœdorum, spurcorũ. ὁ ῥυπῶν, &c.Qui sordidus est, ait,sordescat adhuc. Monent autem linguæ Græcæ interpretes, ῥυπους eas esse sordes,quas colligimus ab extremis unguib. *wůst vnd vnflat*.Significat autem homines impuros anima & corpore,idololatras, fornicarios, gulones & similes. His opponit sanctos,puros,mundos:id est,fide purificatos,& sanctificationi studentes sedulò.Proinde ut impuri magis magisq; in uolutabro cœni uoluũtur, & semetipsos polluũt atq; cõspurcant:sic sancti in dié magis magisq; operam dant puritati & sanctimoniæ uitæ,Dominus Iesus iustificet & sanctificet nos in secula seculorum.

Colligit quæ docuit de futuro iudicio, & de præmijs piorum, impiorumque supplicijs.

CONCIO XCVIII.

ECce uenio citò: & merces mea mecum, ut reddam unicuique ut opus illius erit. Ego sum A & Ω, principium & finis, primus & nouissimus. Beati qui seruant mandata illius,ut sit potestas eorum in ligno uitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris autem canes,& uenefici, & scortatores, & homicidæ & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

Epilogus de iudicio futuro, deq; præmijs & supplicijs.

9 Conclusionis huius locus,est de aduentu Domini in iudicium,premioque bonis parato,& destinatis supplicijs impœnitentibus ac conscelleratis.Colligit enim in præsenti,quod cap.19 & 20, ac aliàs in hoc libro fusius & diligentius tractauit. Hunc uerò locum præ alijs inculcat & urget feruidè.Nam permultum refert, si ipsum & rectè intellexerimus,& frequentissimè animis expenderimus. Minus enim licentiosè peccauerimus,sed uigilauerimus diligentius.

Christus Dominus uenit citò.

Frequenter aũt mutantur in hac cõclusione Ioannis,personæ.Nunc enim loquitur ipse Ioannes,mox inducit Dominũ loquentem.Et in præsenti quidé facit loqui Dominum ipsum Christũ,ac dicere:Ecce uenio citò.Plus habet autoritatis,& plus inuenit fidei apud omnes,uerbũ ore Christi,q̃ apostoli,depromptũ: dicédo aũt se uenturũ citò, omnes excitare uult ad uigiliã,pœnitentiã & preces.Nã & in Euãgelio dixit:Vigilate, quia neq; diẽ neq; horã scitis.Venturus est Dominus uester hora,qua nõ putatis.Territat ergo socordes & impuros homines,qui se cõsolantur,fore ut si sit uenturus Dominus,tardè tamen aut nunquam fortasis uenturus sit.Cõtra hos ergo agés,dicit se uenturum citò.Cõtra eosdem disseruit & Malach.in cap.3 & 4.& S.Petrus in 2.cap.3. Præterea dũ asserit se uenturũ citò,cõsolatur pios, tentatos & uariè affectos in hoc seculo. Nã & pij aliquoties clamitãt,Dominũ nimis diu suũ differre aduentũ, nimis benignũ esse

esse in hostes suos. Proinde dicit, se nunc citò satis, id est maturè uenturum: ut & cultores suos asserat, & hostes atque contemptores suos atterat atque excindat.

Sequitur enim, qualis, quomodo, & in quem finem sit uenturus: Veniet gloriosus cum magna maiestate & potentia, & ut liberet atque saluet suos, condemnet autem omnes impios. Dicit enim: Et merces mea mecum. Quæ uerba petita uidentur ex Isaiæ cap. 40. & significant, Deum instructum esse abundantissimè omnibus facultatibus, quibus instructum esse oportet remuneratorem & uindicem. Dicit ergo, stipendium quod singulis annumerem, pro cuiusque opere, in præsenti mecum habeo, & quidem paratum ac copiosum. Nam rex & iudex noster, non destituitur uiribus & facultatibus: ut non rarò reges huius seculi, qui mercedem, prout decebat, uel persoluere nequeunt, uel in promptu non habent, & solutionem in longum tempus differunt. Noster uerò ille: Et merces mea, ait, mecum. Ac protinus se exponens, subiungit: Ac reddendum unicuique prout opus eius erit. Sic enim & Apostolus 2. Cor. 5. dicit, Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea quæ fiunt per corpus, iuxta quod fecit, siue bonum, siue malum. Nam & in Euangelio secundum Matth. cap. 16. dixit Dominus, futurum est ut filius hominis ueniat in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique iuxta facta sua. Idem traditur & ab apostolo ad Rom. cap. 2. *Et merces mea mecum.*

Porrò ne quis dubitaret, iudicem illum nostrum opere complere posse, quod uerbis se dixit facturum, cuilibet uidelicet redditurum pro factis suis, subiungit ipse, & dicit, Ego sum A & Ω, principium & finis, &c. Quibus uerbis significat, se uerum esse Deum, æternum & omnipotentem. Sumpta est sententia ex Isaiæ cap. 43. & 45, &c. Expositа est in superioribus. Docent hæc nos, Iesum Christum esse Deum uerum, & ideo remuneratorem munificentissimum ac iustissimum. *Ego sum A & Ω.*

Consequenter rursus, significanter, planius, & per partitionem, quid & quibus rependere uelit Dominus, Ioannes suis uerbis exponit. Et principiò quidem agit de præmio bonis parato, deinde de supplicio malis destinato Dei iusto iudicio. Penditur autem præmium, uel donatur potius, sicuti Paulus ait, mandata illius (Christi nimirũ) seruantibus. Non enim qui legunt aut audiunt mandata Dei, uel iactitãt & prędicant, beati sunt: sed qui custodiũt, & opere complent. Ita enim docuit nos Dominus & saluator noster Christus in Euãgelio secũdum Matth. cap. 7. & Lucæ 11. Sũt autem mandata illius, quæ in Decalogo exponũtur, uel in Euãgelio ad dilectionẽ Dei & proximi restringuntur, uel ab apostolo Ioãne fides & dilectio nominantur. Religiosos ergo esse oportet nos, si modò præmium à Deo accipere uoluerimus. Quod est autẽ præmium, quod à iudice pijs Dei cultoribus donatur? Tripliciter exponitur. Principiò enim dicuntur beati & felices. Deinde potestatem habebũt ligni uitæ, id est fructus arboris uitæ in ipsorum redigetur potestatem: id est, uiuent uita æterna in Christo, sicuti superius est expositum. Ad superiora enim alludit. Postremò: Per portas intrabunt, inquit, in ciuitatem (nimirum superius quoq; descriptam) in æternam patriam. *Præmia pijs parata.* *1. Ioan. 3.* *Potestatẽ habẽt ligni uitæ.*

Post hæc attingit uel colligit etiam supplicia destinata impijs: & quidem unico uerbo uniuersa comprehendit, dum Foris dicit. Hac unica uoce excludit impios patria cœlesti, & includit inferis, inferorumque tormentis infandis, interminabilibus & innumeris. Imitatur autem Dominum Ioannes, in Euangelio dicentem: Dico uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenturi sunt, & accumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium. Ita in parabola decem uirginum dicitur ianua clausa, excluſæque gaudijs cœlestibus uirgines fatuæ. Ibidem seruum inutilem iubet eijcere in tenebras extremas. Similiter apud Lucam in 13. ait Dominus, incredulos foras expelli. *Foris canes.* *Matth. 8.* *Matth. 25.*

Qui autem sunt obsecro, qui in iudicio illo extremo, foras eijciendi sunt? Canes, & reliqui qui commemorantur in damnandorum catalogo. Canum uocabulum non semper in malam sumitur partem in Scripturis, sed plerunque tamen. Abner princeps militiæ Saulis: Num caput canis ego sum, inquit ad Isboseth, qui *Scriptura sacra quid de canibus.*

contra Iudam tueor partes domus Saulis? Significans se odium incurrisse tribus Iuda, quòd hactenus retinuisset decem tribus in officio, & sub dominio domus Saulis. Alibi, ut Matth. 15, uidentur canes appellari gentiles uel ethnici, aut alieni à populo Dei. Qua appellatione quidam hodie Turcas notant, appellantes eos *die Türgkiſche hund*, id est, Turcas infideles. Iam etiam propheta Isaias in cap. 56, canes appellitat pseudoprophetas, impudentes, uoraces, inexplebiles, latrare, & ouile Domini defendere non ualentes, uel nolentes & dormitantes. Iuxta eandem significationem dicit ad Philipp. Apostolus: Cauete canes, cauete malos operarios, &c. Sunt præterea canes in Sacris literis nuncupati homines iracundi, sæui, crudeles, sacrorum contemptores, ueritatem allatrantes, conuicijsq; proscindentes & persequentes, atque blasphemi. Nam Psalmo 22 clamat Christi Domini typus Dauid: Circundedetunt me canes, cinxit me consiliũ malignantium. Quos modò uocarat canes, mox nominat malignantes. Cumq; Semei Dauidi malediceret, dicit Abysai filius Zaruiæ: Cur maledicit hic canis moriturus domino meo regi? Et Dominus in Euangelio uetat sanctum proponi canibus, margaritas porcis. Sunt item canes appellati homines fœdi, impuri, absque pœnitentia, sese uolutantes in sterquilinio scelerum & flagitiorum.

Matth. 27.

2. Pet. 2.

Etenim sanctus Petrus uocauit tales, ad uomitum recurrentes canes. Et uetat Dominus, ne quis precium scorti ac canis offerat in templum. Ideo enim sacerdotes Iudaici precium sanguinis à Iuda oblatum respuerunt. Proinde sub uocabulo Canum, intelligimus ethnicos uel infideles, pseudoprophetas uel seductores, homines crudeles, blasphemos, persequutores ueritatis, maledicos, ueritatis contemptores, impuros & fœdos, &c.

Mẽdacium amat & facit.

Quæ autem sequuntur membra, prius sunt exposita, in cap. uidelicet nono, & circa principium ac in fine cap. 21. Mendacio hic coniungit, Qui amat & facit. Nam multi non faciunt palàm, amant autem & fauent & promouent. Multi & amant & faciunt. Amant in primis mendacium, qui doctrinam mendacem fouent, eademque delectantur. Elegantissimè uerò Primasius Vticensis episcopus: His omnibus, inquit, non diligentia adhibenda est exponendi, sed solicitudo impendenda cauendi. Dominus Iesus seruet nos ab omni malo, Amen.

Author huius Operis iterum ostenditur Christus, quantus hic sit. Exponitur & desiderium Ecclesiæ, optantis Christi aduentum, & liberalis Domini promissio.

CONCIO XCIX.

EGo Iesus misi angelum meum, ut testificaretur uobis hæc in ecclesijs. Ego sum radix & genus Dauidis, stella splendida & matutina. Et spiritus & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, ueniat: & qui uult, accipiat aquam uitæ gratis.

Author huius operis Christus.

10 Locus huius conclusionis iterum ostendit huius operis authorem Iesum Christum, qui loquens hic à Ioanne inducitur, quo plus authoritatis habeat quod dicitur, totiq; operi fides ab auditoribus facilius adhibeatur. Proinde Ioanni nihil tribuendum, nisi operis scriptura, id est quòd ista omnia primus uidit, excepitq;, uel literis cõmendauit. Sed & modus reuelationis repetitur. Christus ipse nõ descẽdit in terras, aut ad inferiora hæc, sed emisit angelum suum, qui hæc ex Christo & nomine Christi aperuit, ac Ioanni cõmõstrauit. Finis quoq; missionis angeli aut reuelationis indicatur, Vt testificetur hæc in ecclesijs, & quidem uobis omnibus qui futuri estis in mundo, ad finem usq; seculi. Discimus autem ex paucissimis illis uerbis, principiò fidem adhibendam esse huic libro, utpote ab ipso Dei filio per angelum & apostolũ proposito, & omnibus

omnibus quidem in ecclesia existentibus proposito. Deinde Iesum Christum uerum esse Deum, angelorum Dominum: quod & Paulus asserit ad Hebræos cap. 1. De qua re dictum est etiam superius. Et hæc quidem clara scripturæ testimonia plus commouere debent fideles, quàm omnia Serueti Hispani, Seruetanorumque Arianisantium & Iudaisantium delitia. Obseruemus item, quòd Christus misit angelum suum, non ad iudicandum aut docendum: sed μαρτυρῆσαι, id est ad testificandum, ju bezilgen. Testimonijs legitimè susceptis, aut in literas relatis & obsignatis, nefas est contradicere. Habentur enim omnino pro authenticis. At totus hic liber à Ioanne conscriptus, testificatio uel testimonium est angeli Dei: nefas est ergo de ipso addubitare quicquam. Sed & de libris alijs & ueteris & noui testamenti hoc ipsum sentire debemus. Etenim prophetæ & apostoli appellantur testes Dei: & Euangelium doctrinaque prophetarum & apostolorum, testimonium uel testificatio. Insanit, qui arbitratur scripturam canonicam ex semetipsa non fore authenticam, nisi prius authentica reddatur per approbationem ecclesiæ & conciliorum. Præterea intelligimus, totius libri huius doctrinam non pertinere ad ecclesias modò Asiaticas septem, sed ad omnes per totum terrarum orbem dispersas: ideoque pertinere etiam singulariter ad nos, qui Tiguri aut in Heluetia, Gallia uel Germania hodie uiuimus. Aretas Cæsarien. Vt testificaretur, inquit, id est, ut protestaretur non clanculò, neque in obscuro, imò audientibus uniuersis ecclesijs, ubiq; terrarum diffusis, ne quis ultrò ignorantiam prætexens, maneat incorrectus.

Christus uerus Deus.

Libri sacri sunt authentici.

Mox ostendit ipse quoque Dominus, ac declarat, quis & quantus sit, & quę habeamus in ipso reposita fideles. Vtitur autem parabolis & allusionibus iterum propter euidentiam: & principiò appellat se radicem & genus Dauidis, id est uerum & naturalem hominem. Prius enim audiuimus, ipsum uerum & naturalem esse Deum. Rescindit autem omnibus hæreticis, negantibus & oppugnantibus ueram Christi carnem, omnes neruos: ualidissimè probans, se iuxta carnem, nostræ esse naturæ. Vnde & in scripturis appellatur fructus uentris Dauidis, & qui exortus sit ex lumbis eius. Sed & Dauidicæ deiparæque uirgini dicitur: Concipies in utero, & paries filium. Proinde hic quoque appellat se & radicem & genus Dauidis. Loquutio uerò obseruanda est. Similis enim legitur Ezech. 16. Radix tua, & generatio tua est de terra Chanaan: id est, natales tui sunt ex Chananæis, uel origo tua est ex gentibus pollutis. Interim tamen uidetur in præsenti etiam aliud quidpiam innui. Radix enim arborem portat, & nutrit uel uegetat: radix non portatur aut nutritur ab arbore: & Christus Dominus est fundamentum & conseruatio domus Dauidis, ecclesiæque fidelium. Quòd Dauid seruatus est, quòd prosapia Dauidis non excisa est, quæ sæpe extirpari meruerat, Christi Domini respectu uel merito est factum: Christus seruauit eos, idem seruat omnes quotquot seruantur, quippe qui omnium promissionum Dauidi factarum caput est, uirtus & summa, adeoque perfectihabia, utpote in quo est salus perfecta, & omnis plenitudo. Testantur hoc perspicua Isaiæ prophetæ testimonia in cap. 7. 37. & aliàs, item Osee 3. Ezechielis 34. & 37. Nec dissimilis locus est 3. lib. Reg. cap. 15. Ioan. item 5. huius sui libri cap. nuncupauit Christum Dauidis radicem, &c.

Christus radix & genus Dauidis.

Deinde uocat se Dominus stellam, & quidem non obscuram, sed splendidam & lucidam, adeoque matutinam. Cum stellam se appellauit, respexit ad uetustissimum Balaami sapientissimi illius in oriente uatis, oraculum. Prædixit is, stellam orituram ex Izraele, id est cœleste sidus, adeoque ipsum Dei filium ex homine nascendum. Ortam autem esse illam stellá magi, & ipsi Orientales, testantur apud Matthęum in cap. 2. Splendida uerò nuncupatur, quia Christus lux est, illuminans omnem hominem uenientem in mundum. De qua re multa disseruit idem ille Ioannes in Euangelica sua historia cap. primo, octauo, nono, &c. Idem Dominus noster, est etiam matutina stella, ita à Petro quoque appellatus, 2 Pet. 1. & ab hoc nostro Ioan. Apoc. cap. 2. Quia sicuti lucifer exoriens, diem post se trahit: ita Christus illucescens cordib. fidelium, ipsos magis magisque in præsenti quoque seculo illuminat, & in futura uita to-

Christus est stella splendida & matutina.

tos

tos lumine cœlesti induit. Aquinas hunc locum interpretans: Stella matutina, inquit, est, diem uidelicet prænuncians, hoc est æternam beatitudinem per resurrectionem suam. Et hæc quidem audiuimus hactenus ex ore Christi, de Christo, quis & quantus sit, & quæ habeamus in ipso reposita. Est uerus Deus & homo, incarnatus propter nos, ut esset radix nostra, uirtus, uita, lux & salus. Proinde habemus in eo repositam omnem salutis plenitudinem. Atque ita uidemus iterum librum hunc scriptum esse spiritu Apostolico, qui quidem spiritus ubicunque ipsi datur occasio, magnificè differit de Christo, & prædicat illius salutem, fidemque in ipsum omnibus commendat fidelibus. Idem ergo spiritus utrunque librum, & Euangelij & Apocalypseos Ioannis inspirauit, & conscribi ab eodem authore curauit.

Desiderium ecclesiæ erga aduentũ Christi.

11 Loco inducitur loquens Ecclesia, optans aduentum Christi in iudicium. Cum enim tantus & tam benignus & salutaris sit Dominus noster Iesus Christus, quem totus hic liber promisit uenturum & liberaturum ecclesiam afflictam in hoc seculo sanctorum, ipsius iam commemoratur ecclesiæ ingens desiderium, optantis & uocantis Dominum, dicentisque, Veni. Mox enim audiemus, Dominum promittentem atque dicentem, Etiam uenio citò: & acclamantem ecclesiam, Amen, etiam ueni Domine Iesu. Spiritum uerò sedulò pro liberatione & glorificatione clamare ad Dominum, ex hoc corpusculo, multis commemorat Apostolus ad Romanos octauo cap. Quanquam & per spiritum, spiritualis homo quilibet possit intelligi. Nam & Aretas: Spiritum, inquit, illos nominat, qui spiritualibus nuptijs habiti digni sunt: sponsam uerò, ipsam ecclesiam. Hæc ille. De sponsa nos sæpius iam diximus in hoc Opere, ut nihil necesse sit eadem cum fastidio repetere. Cæterùm ingenti desiderio cupiunt omnes pij aduenire Dominum in iudicium: impijs est dies illa tremenda & horribilis, pijs exoptata & iucundissima. Etenim intelligunt pij, se semel omnibus liberandos malis, & omnibus bonis cumulandos, gloriam & ueritatem Dei asserendam, impietatem omnem abolendam, & impios iusto Dei iudicio puniendos. Vnde sanctus Petrus in Actis tertio cap. appellat hanc diem restitutionem & exhibitionem omnium eorum quæ Deus unquam loquutus est per os prophetarum ipsius. In illa ergo die implebuntur promissa Dei de rebus maximis plenè omnia. Ideo dicit in Euangelio Dominus: Tollite capita uestra, quia appropinquat redemptio uestra. Deiectis sunt capitibus lugentes & desperabundi: Dominus iubet nos leuare capita, alacres & bonæ spei esse. Certò enim nos fore liberandos & glorificandos, qui in mundo fuimus ludibrium & peripsema omnium. Synecdochicè ergo exponendi sunt loci, qui perhibent maximum in die illa futurum ululatum uel planctum. Impij enim præ dolore & desperatione uociferabuntur, ac sese conficient: pij exultabunt in isto, quem cernunt aduenientem, ostentare plagas uulnerum, quibus ipsi sunt redempti. Quemadmodum ergo maximum fuit desiderium in sanctis, appropinquante primo aduentu Saluatoris, sicuti uel in uno Simeone inclarescit, Lucæ 2: ita & ad secundum aduentum ad iudicium Christi, indefessis uocibus clamabunt omnes sancti, & sedulò clamant, Veni Domine Iesu, ueni & libera nos, ueni & assere conculcatam propè tuam gloriam & ecclesiam: Veni expectate redemptor & saluator noster, erue nos à malis, largire nobis promissa bona, &c.

Veni.

Ergo quæ sequuntur, uel ad ecclesiam, uel ad Ioannem referri possunt, ut uel ecclesia, uel Ioannes dicat: Et qui audit, dicat, Veni. Aretas eum locum breuiter & eleganter interpretans: His uerbis illos insinuat, inquit, qui nondum quidem ad gregem assumpti sunt, ad audiendum tamen diuina parati, quique Domino cognoscendo studium adhibent. Tantum ille. Et quidem tantum est piorum desiderium, ut cupiant omnes creaturas inuitare Dominum ad ueniendum in iudicium: sicuti sæpe uidemus in Psalmis pios adhortari solem, lunam, & omnes creaturas ad benedicendum uel confitendum Domino.

Et qui sitit ueniat.

12 Locus conclusionis, amplissimam habet promissionem & consolationem Christi. Rursus enim hic liberaliter promittit. Quasi dicat: Scio quæ passuri sint fideles sub

Anti-

Antichristo, quas item & quantas hic exercitaturus sit imposturas. Omnia erunt illi uenalia, cœlum, terra, & illa quoque quæ non sunt in potestate ipsius: multisque imponet, multos deprędabitur: omnes uerò pios graui persequutione premet & atteret. Si ergo tardauero, neque uenero protinus, quando id optant uota sanctorum, uos qui me amatis, & in me creditis, fugite Antichristum, ne illi uos deprędandos exhibeatis: me expectate, ad me recurrite. Qui sitit, id est, qui donum cœleste appetit, aut qui angitur & premitur curis & malis uarijs, ad me, ad me inquã, accurrat: ego satiabo eũ bonis, leuabo malis, aut cõsolabor, & roborabo ipsum spiritu meo, in qualibuscunque periculis, ut patienter quæuis mala sustineat & uincat. Videtur autem hæc salutaria & consolatione plenissima uerba mutuò accepisse ex doctrina Isaiæ, quæ extat cap. quinquagesimoquinto, & apud Ioannem in cap. septimo De his dicta sunt quædam & circa principium ferè cap. 21. ubi legimus dixisse Dominum: Et sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis.

Cæterùm cũ dicit, Et qui uult: nõ hoc sentit, quod nonnulli ipsum sentire opinantur, in nostra uoluntate situm esse, ut saluemur. Nam scimus dixisse Apostolum: Non est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Dominus ex bona sua uoluntate nos seruat: interim tamen nolentes non seruat, sed uolentes. At confert nobis, ut uelimus: iuxta illud Apostoli, Deus est qui operatur in nobis uelle & perficere. Primasius: Nullis, inquit, bonis præcedentibus accipit aquam uitæ gratis. Quid enim habes, ait Apostolus, quod non accepisti? Ergo & uoluntatem ueniendi, à Deo gratis accepimus: cui nihil primi contulimus, ut essemus: quanto magis, ut iusti ex peccatoribus redderemur. Hæc ille. Quanquam uideri poterat huiusmodi esse loquutio, qualis illa Germanis est, *Vnd welcher wil, der kumme*: id est, liberum facio cuilibet ueniendi: neminem excludo prorsus, omnes uenire iubeo. Ita, Et qui uult: id est, omnes uenite, & accipite aquas, &c. Domino sit gloria. *Et qui uult.*

Pœna decernitur corruptoribus libri huius. Dicit Dominus, uenturum se certò in iudicium. Exoptat eius aduentum Ecclesia, &c.

CONCIO C.

COntestor enim omni audienti uerba prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de uerbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro uitæ, & à ciuitate sancta, & ex his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit, qui testimonium perhibet istorum. Etiam uenio citò. Amen, etiam ueni Domine Iesu. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis, Amen.

13 Huius conclusionis parte decernitur pœna libri huius cõtemptoribus, in primis uerò falsarijs, qui hoc diuinũ, ut elegãter & piè dixit D. Bibliander, instrumentũ & diploma sacrosanctũ imperij & põtificatus Christiani corrũpere audẽt, addendo aliquid, aut detrahendo, aut immutãdo sententiã genuinam. Locus hic petitus est ab hominũ consuetudine. Solent enim principes instrumẽta sua sub finem munire contra corruptelas, minis & execrationibus. Antichristus, Christi Domini simia, sub finẽ bullarum suarum subdit: Si quis autem huic nostro mandato cõtraire, aut illud infringere ausu temerario præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum se nouerit incursurũ. Sed & in thesauris, publicisq; reb. tuẽdis & cõservãdis, ubi timetur periculũ, adhibẽtur seræ & munitiones. Ea de causa cũ nõ ignoraret Dominus *Pœna in cõtemptores & corruptores libri huius.*

Dominus futuros, qui oppreſſum uelint abolitumq; hunc librum, probè communitum tranſmittit ad poſteros. Legimus quidem apud ueteres ab initio eccleſiæ, hæreticos quoſdam in ſcripturis corrumpendis nihil non ſibi permiſiſſe: imò & quoſdã ipſorum, integros ſacræ ſcripturæ libros reſpuiſſe. Ac Tertullianus hoc ipſum Martioni ſuo impingit, qui & ſacros libros interpolauit. Cæterùm diuina bonitate factum eſt, ut nihilominus integros & incorruptos acceperimus libros ſacros. Id quod euidenter oſtendit S. Hieronymus in Comment. ſuis ad Iſaiam lib. 3. & Eraſ. Roterod. in Apologia teſtam. noui, item in Apolog. contra Iacobum Latomum, &c.

Nihil addendũ, nihil adimendum.

Porrò nihil noui facit in præſentiarum Dominus, dum reuelationi ſuæ nihil uel addi præcipit, uel adimi. Nam ſemel & iterum per Moſen mandauit: Nihil addideris uerbo meo, neque quicquam detraxeris. Et Solomon Prouerb. 30. id ipſum præcipit. Sed mirantur multi & reprehendunt, quòd corruptoribus tot plagas intẽtauerit. Cur ergo illi ipſi in apoſtolo Paulo non improbant, quòd unico uerbo tot complexus eſt plagas & incommoda, quot hic Ioannes enumerauit, cum ad Galatas dixit: Etiamſi nos, aut angelus è cœlo prædicarit uobis Euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Et eadẽ uerba rurſus ingeminat & inculcat. Proinde ſi cõcedunt, his Paulum adeò peccaſſe nihil, ut magis meruerit laudem: ceſſent calumniari ea quæ ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto per Ioannem ſuo loco & tempore appoſitiſsimè hic poſita ſunt. Certè anathema eſt, qui exciſus ex bonorum hominum conſortio, extremo deuotus eſt ſupplicio, adeoque ſubditus præſentis & futurę uitæ malis omnibus. Id quod ex Deuteronomio & alijs libris ſacris colligere licet.

Qui addant, aut qui adimãt.

Addit autem & detrahit, nõ ille qui alijs alijsque, & ſubinde clarioribus uerbis utitur in exponẽda ſententia Reuelationis: ſed qui inſerit aliquid alienum à genuino ſenſu, & ab ijs quæ à Domino diſertè ſunt poſita: aut qui aliquid tollit, obſcurat, inuertit, quod ſignificanter ab ipſo Domino expreſſum eſt. Vnde Thomas Aquinas: Ille apponit, inquit, qui mendacium adiungit: ille diminuit, qui aliquid ex his quæ in eo ſcripta ſunt, ſubtrahit, uel etiam negando contradicit. Tantum ille. Additio ergo & ſubtractio illa, non in uerbis tantum, ſed in ſententia magis uerſatur. Neque enim prophetę Legem copioſe exponendo, quicquam uerbo Dei addidiſſe creduntur: neq; apoſtoli Euangelicam libertatem prædicantes, quicquam legi detraxiſſe dicuntur.

Conteſtari.

Eſt autem conteſtari, ſub teſtimonij religione rem aliquam dicere, aut cum conteſtatione ſeriò urgere & inculcare, adeoque audientem ueluti obſtringere, ut ſciat ſibi iſta quæ dicuntur certò imminere, pœnasque à Deo irrogandas fore, niſi obtemperet.

De pœnis aut plagis, quas in præſenti intentat, dictum eſt cap. 15. 16. 17. 18, &c. Ita ſuperius quoque explicata ſunt, quæ dici hic poterant de libro uitæ, & de ciuitate ſancta. Quinimò comprehendit hic quoque pariter omnia bona, quæ promiſſa ſunt hoc in libro pijs & obſequentibus Dei cultoribus. Ijs omnibus ſpoliabitur contẽptor aut falſarius & corruptor huius libri. Quantis ergo malis & periculis inuoluunt ſe illi, qui hunc librum omnino oppreſſum uolunt, & impediunt, quo minus palàm exponatur, & in manus omnium hominum perueniat? Econtrà certiſsimum eſt, omnimodam benedictionem à Domino conſequuturos, quotquot religioſe de hoc libro ſentiunt, & ea quæ in ipſo ad gloriam Dei & fidelium ſalutem conſcripta ſunt, illuſtrant, & omnibus commendant.

Dicit is qui teſtificatur iſta.

14 Loco ſignatur, adeoque ueluti obſignatur ſubſcriptione, huius libri authoritas. Sequitur enim, Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorũ: uel, Qui teſtificatur iſta. Omnes autem propemodum interpretes illa uerba Chriſti eſſe putant, quaſi ipſe illa confirmationis gratia adiecerit, dixeritque: Ego Ieſus hæc omnia, præcipuè autem quę de comminatione in falſarios modò dixi, ut teſtis uerax, & tanquam indubitata propoſui. Nam Aquinas: Hic, inquit, introducitur Chriſtus, aſſerens ſupradictam comminationem, & atteſtans cuncta quæ ſcripta ſunt in hoc libro. Ego uerò, ſaluo interim aliorum iudicio, arbitror eſſe beati Ioannis ſcriptoris libri huius ſubſcriptionem. Solent enim notarij uel ſecretarij aut cancellarij principum ſub finem literarum aut diplomatum regalium aut imperialium, ſuum nomen ſubſignare. Et Ioannes quidem in hiſto-

ria

ria Euangelica eundem morem ſeruauit. Nam 19. cap. dicit: Et qui uidit, teſtimonium perhibuit: & uerum eſt teſtimoniū eius. Et ſub finem hiſtoriæ ſubſcribit & ſubſignat hiſce uerbis: Hic eſt diſcipulus qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quòd uerum eſt teſtimonium eius. Sciebat enim, & confitebatur hoc uniuerſa ecclesia. Ad eundem modum uidetur & hæc ſuo nomine in præſenti ſubieciſſe & dixiſſe: Dicit qui teſtificatur iſta.

15 Loco inducit iterum ipſum Dominum Ieſum, loquentem & promittentem certò ſe uenturum, nimirum in iudicium ad redimendos glorificandosque pios, & ad puniendum impios. Ergo cum maxima aſſeueratione dicit, Etiam, ναὶ, profectò & proculdubio uenio citò: licet tardare uidear, & quibuſdam prorſus non uenturus, attamen certiſsimè, & maturè quidem uenio: ſicuti ſuperius etiam dictum atque expoſitum eſt. Repetitur autem eadem res, iiſdem propè uerbis, ſæpius, utpote ſcitu & obſeruatu digniſsima. *Chriſtus certò uenit in iudicium.*

Subiungit mox fidem ac uotum, & ingens deſiderium Ioannis, adeoq; fidelis Eccleſiæ, aut cuiuslibet pij, ꝓmiſsioni ſe ſubdentis atq; dicentis, Amen, etiam, ναὶ. Id eſt, certiſsimum eſſe agnoſcimus, & indubitatum, quòd te promittis uenturum. Ergo expectamus te iudicem uiuorum & mortuorum: imò oramus eximis uiſceribus, Veni Domine Ieſu. Nam aliàs quoque oramus ſedulò, Adueniat regnum tuum. Ac pij omnes gemitibus inenarrabilibus optant aduentum iudicis, propter gloriam. De qua re agit Apoſtolus ad Rom. 8. & nos ſuprà eandem rem attigimus.

Poſtremo & ultimo loco concluſionis imprecatur, more Apoſtolico, Gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti omnibus huius libri auditoribus & lectoribus. S. Paulus in 2. ad Theſſal. cap. 3. Sic ſcribo, inquit, in omni epiſtola, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus uobis, Amen. Congruit ergo ſibi ipſi hic, ut ubiq;, ſpiritus apoſtolicus. Gratia comprehendit totum negotium redemptionis & donorum Chriſti. Optat ergo omnibus benedictionem, quam habemus in Chriſto Ieſu Domino noſtro. De qua copioſiſsimè & optimè diſſeruit uas electionis Paulus ad Eph. cap. 1. Dominus Ieſus, qui reuelauit nobis hæc ſacra myſteria, inſcribat eadem mētibus noſtris, ac liberet nos ab Antichriſto, & ab omnibus malis: conſeruet autem nos in uera fide, & gratia ſua. Ipſi ſit honor & gloria, laus & gratiarum actio, unà cum patre & ſpiritu ſancto, in ſecula ſeculorum: Amen. Veni Domine Ieſu redemptor, & unice ſaluator noſter, & glorifica expectantes exoptatum aduentum tuum, ut in æternum glorificemus te, Amen. *Benedictio apoſtolica.*

FINIS.

INDEX LOCORVM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QVI IN hoc opere ab authore adducuntur.

Genesis 2. Paradisi descriptio 298
3. Verba serpentis ad Euam 174
3. Ponam inimicitias inter te, &c. 155
4. Vox sanguinis fratris tui 89
9. Qui effundit sanguinem 171
14. Leuo manum meam ad Dominum. 130
49. Christus est Schilo 73
Exodi à cap. 7 ad 12. describuntur plagæ Aegyptiacæ. 214 & sequentibus aliquot foliis
12. Postes sanguine aspersi 98
15. Si diligenter audieris uocem Dei tui 215
30. De incenso 76
Leuitici 16. Alter ex hircis non mactabatur 74
17. Si nihi oblaciones aliter immolabitis 167
Numeri 6. Mos erat ut pontifex populo benediceret 9
10. Vsus tubarum 107
14. Decies tentastis me 30
22. Et aliquot sequentibus de Balaamo 35
Deuteronomij 4. Deus noluit uideri 63
4 & 13. Nihil addendum doctrinæ 44
23. Aliquibus in templum ingressus prohibetur 297
Psalmo 2. Reget eos sceptro ferreo 157
11. Pluet super impios laqueus ignis 203.289
15. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? 15. Beatus qui uilipendit impium 24 (297
19. Lætus ueluti gigas currit uiam suam 199
18. Iudicia Domini dulciora supra mel & fauum 135
22. Circumdederunt me canes 308
34. Castra figit angelus 79
36. Domine in cœlo misericordia tua 285
58. Lætabitur iustus cũ uiderit uindictam 247
88. Domine in lumine uultus tui ambulabunt 296
104. Qui facit angelos suos spiritus 78
110. Scabellum pedum ponam eos 45
113. Os habent, & non loquuntur 125.288
126. Qui seminant in lachrimis, in exultatione metent 283
141. Dirigatur oratio mea sicut incensum 76.
148. Laudate eum sol, luna, stellæ 80 (106
3. Regum 8. Solomon dicit deũ omnia nouisse. 43
17. Helias cœlum clausit, ne plueret 142
18. Non ego turbaui Israelem 92
18. Quousq; claudicatis in utrumq; latus? 133
19. Helias de paucitate fidelium queritur 98
4. Regũ 16 & 17. cap. Iezabelis historia 40.42
Iob 19. Spectabo Deum è carne mea 300
34. Absit à Deo impietas 63
Prouerbiorum 3. Quos Deus amat, castigat 59
4. Per mulierem praua doctrina intelligitur. 198
27. Anima saturata calcat fauum 138
30. Nihil addideris uerbo Dei, neq; quicquã detraxeris 312
Esaiæ 6. Templum fumo impletur 208
8. Ne dicatis coniuratio 287
11. Tunc proditbit furculus 73
13. Subuertetur Babylon 238.239
22. Clauem domus Dauid ponam super humerum eius 19
26. I populc mi, & ingredere in penetralia tua. 90
33. Væ qui prædaris 171
40. Cui me assimilabitis? 288
47. Gloriatio Babylonis 243
48. Discedite inde, exite inde, &c. 241
49. Et posuit os meum ut gladium acutum 82
52. De fugienda Babylone 241
55. Inuitat deus homines ad aquas 58.286
56. Pseudoprophetæ canes appellantur 308
60. Sol non erit ibi in lucem diurnam 296
64. Quod oculus non uidit 37
Iere. 4. Iurabis, uiuit Dominus 130
5. Reddam uerba mea in ore tuo ignem. 142
23. An non uerbum meum est sicut ignis? 142
50. Vlciscimini in Babylonem 243
51. Fugite de medio Babylonis 241, 248
51. Et erit Babylon in tumulos 239
Ezechielis 1. & 10. Hasmal 17
1. Quatuor animalia quid significent 67
2. Mitto te ad filios Israelis 305
2. & 3. capite iubetur uorare librum diuinitus oblatum 134
9. Signantur quidam 98
16. Radix tua & generatio tua est de terra Chanaan 309
36. Spargam super uos aquas mundas 11
38. De Gog & Magog 273
40. & consequentibus descriptio ciuitatis Dei 290
40. cap. iubetur metiri templum 136
47. Iuxta flumen in utraq; ipsius ripa succrescent arbores, &c. 299

Danielis 2. Omnia imperia ex Deo 230
5. De capta Babylone 219
7. Ecce ueniebat in nubibus cœli quidam ceu filius hominis 208.278
7. Millia millium ministrabant ei 79.121
7. Dominatus est ei traditus 74
7. Decem cornua 231
7. & 12. Ad tempus, tempora & dimidium temporis 140
7. Rom. imperium, bestia nominatur 164.165
7. Humiliabit tres reges 20
7. Miratur Propheta uisa bestia 229
7. De corniculo 172.191.192.193.239
8. Surget rex impudens facie, &c. 185
10. Angeli præfecti prouinciarum 216.217
11. Et in tempore finis, inuehetur in eum rex Austri 275
11. Et prosperabitur & faciet, &c. 174
11. Cum corruent, iuuabuntur auxilijs paruis. 139
11. Deus Mauzim 201
11. Antichristus colet Deum auro 227
11. Antichristi sedes inter duo maria 226
12. Eritq; tempus difficile 150
12. Doctores splendebunt ut splendor firmamenti 296
12. Complures purgabuntur, dealbabuntur 305
12. Tu Daniel claude uerba, & signa librum 129.304.
12. Angelus iurat 129.130.131
Ioel. 2. Clangite tuba 107
3. Sedebo in ualle Iosaphat 207
Amos 3. Rugiente leone omnes sibi metuunt 128
8. Regnarunt, sed non ex me 165
Abacuk 2. Iustus fide sua uiuet 253
Zach. 1. Equi uarij 82
3. Cap. Christus in typo proponitur 5
4. Oculi domini peruagantur totam terram 139.141
Malachiæ 3. Christus angelus dicitur 105
3. Attendit & audiuit Dominus, & scriptus est commentarius coram eo 279
4. Salietis sicut uituli 138
Sapientiæ 3. Aurum igni probato 30
6. Potentes potenter punientur 262
Ecclesiastici 9. Verba sapientum audiuntur in silentio 105
Matth. 5. Merces uestra copiosa est in cœlis 206
7. Qua mensura alijs mensi fueritis 171.243
8. Dico uobis quòd multi uenturi sunt ab oriente, &c. 291.307
8. Sine mortui sepeliant mortuos 46
10. Gratis accepistis, gratis date 286
10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. 200. 287
10. Nolite metuere illos, &c. 210
13. Qui habet aurem audiendi, audiat 27
13. Christus, & salus quæ ex ipso est, comparatur margaritæ 295
13. Iudicium messi comparatur 208
15. Frustra me colunt 45
15 Gentiles appellantur canes 308
17. Transfiguratio Christi in monte 290
17. Quid per transpositionem montium significetur 109
18. De pœna scandali 248
20. Denarius soluitur laborantibus in uinea 293
20. Negat Christus se dare, ut ad dextram uel sinistram sedeant 61
21. Si hi tacuerint, loquentur lapides 164
24. Surgent pseudochristi 178
24. Ecce uenio sicut fur 222(95
24. Cum dixerint, Christus in deserto est, &c.
24. Nisi decurtati fuissent dies illi 268
24. Qui perseuerauerit 31
24. Euangelium per totum orbem prædicandum 199.200
24. Et partem eius ponet cum hypocritis 289
25. Tunc plangent omnes tribus terræ 223
25. Vigilate, quia neq; diem, neq; horam scitis 306
25. Ite in ignem æternum 262
28. Docete eos seruare quæ ego præcepi uobis 45
28. Ecce ego uobiscum 16
Marci 9. Ignis ipsorũ nunquam extinguitur 203
Lucæ 5. Exi à me Domine 18
12. Ne terreamini ab his 88
12. Mittam ignem in terram 106
13. Erit ibi fletus & stridor dentium 203
19. Cum uenerit filius hominis 99
20. Filij huius seculi matrimonia contrahunt 284
20. Aequales angelis sunt 294
21. In patientia uestra, &c. 172.204
21. Dabo uobis os & sapientiam 140
23. Cadite super nos montes 94.115
Ioannis 1. In principio erat uerbum 259
5. A morte transiuit in uitam 206
5. Omne iudicium pater dedit filio 200
5. Qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei 280

6. Christus manna 37
6. Ego suscitabo eum in nouissimo die 206
9. Si cæci essetis 57
11. Princeps mundi eiectus est foràs 160
14. In domo patris mei mansiones multæ sunt 269.290.293
14. Vbi ego sum, ibi erit & minister meus 88
15. Odio habuerunt me gratis 286
16. Plorabitis & lamentabimini uos 146.283
19. Qui uidit testimonium, perhibuit 313
Act. 3. Oportet Christum cœlum recipere 100
15. Fornicatio prohibita in concilio 46
26. Ad hoc apparui tibi, ut constituã te testem 265
Ad Romanos 1. Deus tradidit in reprobũ sensum 237 241
2. An contemnis diuitias longanimitatis Dei? 2. Reddet unicuiq; secundum opera sua 43
3. Gratis per illius gratiam 285
5. Amplificatur dilectio Christi erga nos 10
6. Donum Dei uita æterna 286
11. De conuersione Iudæorum 100
16. Per blandiloquentiam decipiũt corda simplicium 114
1. Cor. 1. Gratias ago Deo meo semper 59
2. Nec oculus uidit 290
3. Fundamentum aliud poni non potest 292
3. Templa spiritus sancti appellamur 295
5. Oportebit ex hoc mundo exisse, si nolitis uersari cum peccatoribus 241
6. Purgati estis sanguine Christi 286
10. Gentes immolant dæmonijs 167
10. Non dico quod simulachrum 124
13. Cernimus nunc per speculum in ænigmate 301
14. A dispensatoribus maximè requiritur, ut fidus aliquis reperiatur 39
15. Primus homo de terra terrenus, &c. 282
15. Mysterium dico uobis 131
In posteriore ad Corinthios capite 1. Gloria uestra sumus 297
2. Quotquot promissiones sunt, per Christum sunt Amen. 56
5. Omnes manifestari oportet coram tribunali Dei 258.279.307
5. Scimus quod si terrenum nostrum domiciliũ 283
11. Gratis prædicaui 286
ad Ephesios 1. cap. In Christo speramus & nos 98
2. Christus appellatur fundamentum prophetarum & apostolorum 292
ad Galat. 1. Si angelus è cœlo 44
1. Neq; ab hominibus, neq; per homines &c. uocatus 264
2. Apostoli primarij columnæ appellantur 54
2. Viuit in me Christus 46
ad Coloss. 1. Euangelium prædicatum esse per totum mundum 200
2. Nemo palmam uobis intercipiat 55
1. ad Thessal. 2. Corona gloriationis, &c. 297
4. De nouissimo die 259
in 2. ad Thessal. 2. Mysterium iniquitatis nunc agit 267
2. Antichristum non uenturum nisi hoc tollatur è medio 172
2. Antichristus filius perditionis dicitur 113
2. Antichristi aduentus erit in signis, &c. 178
3. Neq; gratis accepi panem à quoquam 286
3. Sic scribo in omni epistola: Gratia Domini 313
4. Interficiet Antichristũ spiritu oris sui 142
1. ad Timot. 3. Ecclesia columna appellatur 54
6. Viduæ uiuentes in delicijs uiuæ mortuæ 46
2. Timoth. 2. Si commortui fuerimus 31
3. Quemadmodũ Iamnes & Mambres 115
3. Omnes qui piè uolunt uiuere 305
ad Titum 2. cap. Deus uocatur magnus 278
ad Hebr. 1. Nónne sunt ministratorij spiritus 254
2. Non angelos assumpsit 73
2. Nónne sunt administratorij spiritus 78
6. De fine iurisiurandi 129.130
9. Sanguine effuso remissio est comparata 11
12. Accessistis ad montem Sion, &c. 291
13. Per ipsum offerimus hostiam 106
1. Petri 1. Ad breue tempus exultatis 30
4. Probauit afflictionibus 30
5. Diabolus circumit 157
2. Pet. 1. Christus stella matutina dicitur 45.309
2. Pseudoapostoli dicuntur fontes aqua carentes 216
3. Venient illusores 126.129
3. Patiens est erga nos Dominus 41
3. Cœlum & terram innouanda 270.282
Iacob. Beatus uir qui suffert tentationem 31
1. Ioannis 2. Videbimus eum qualis est 15
3. Videbimus eum sicuti est 300
5. Hæc est uictoria, uestra fides. 172

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM
QVAE IN HOC OPERE
explicantur.

A

Abbadon 118
abnegatio Christi 34
abominandi 287
absinthium appellatur Arrius 109
abyssi puteus 112
Achabi familia interit 42
Adorandi cultu duliæ non sunt neq; angeli, neq; diui 255
adorare & adoratio 68
adorare bestiam quid 203
adorare Deum 201
adorare diabolum 167
adorare imagines 124
adorare imperium 168
adorare recusantes bestiam, occiduntur 187
adorant diuos Papistæ 255
adorant sancti 68
adoratur agnus 75
adoratur bestia prima sub secunda 176
adorent bestiam qui 170
adorantes 136
adorantes bestiam primam 175
aduentus Christi duplex 100
aduentum Christi auidè expectat Ecclesia 309
adulteriorum præmium 215
Aegyptus spiritualis 145
Aegyptiacæ plagæ uersibus cõprehensæ 214.215
æterna damnatio allegorijs adumbrata 209
æterna uita per paradisum significatur 27
æterna uita quo pacto nobis cõmunicetur 285
æternæ uitæ corona 31
æternæ uitæ descriptio sub imagine urbis à 289. usque ad 301
æternum uocatur euangeliũ 199
Afflictiones 29
afflictiones amoris signum 60
afflictiones piorũ exercitia 217
afflictiones prædicuntur 30
in Afflictionibus prænotiones 91
afflictionum finis 29.30
adflictorum consolatio 28
Agnitio sceleris 25
agnus 196 Christus 73.232
agnus habens cornua septem 73
agnus mactatus ab origine mũdi
Alarychus 235 (170
albæ uestes 48
Alcoranus 120
Albertus Rodolp. Cæsaris filius
albus calculus 37 (187
alleluia 250
altare 136
altare aureum 119
Ambrosia 299
amen 56.250.313 (121
Amiras uocant Turcæ suos reges
Amurathes quo astu Græciam occuparit 123
Anabaptistæ 129.297
angelus abyssi 118
angelus habens potestatem super ignem 209
angelus ordinem apostolorum significat 263
angelus typus cõcionatorũ 199
angelũ uoluit Ioannes adorare 255.303
angeli 209
angeli etiam cultu duliæ nõ adorandi 255
angeli ministri 217
angeli rerum præsides 216
angeli non adorandi 256
angeli plagas effundentes 214.
angelorum excellentia 254 (215
angelorum habitus 213
angelorum ingenium, officiũ, numerus 78.79
angelorum officium 291
angelorum robur 238
angelorum uisionibus terrẽtur homines 18
de Angelis locus 254.255.256
angelis maior Christus 79
angelici hæretici 79
animæ à corporibus separatæ, immortales 88
animæ decollatorum 269
animæ morientium fidelium statim beantur 205.252
animæ non dormiunt 88.101. 206.270
animarum interfectorum propter uerbum Dei locus 88
animarum status post mortem ante iudicium 269
animarum status in cœlis 90
anniuersaria 206
Antonius de Rosellis præco potestatis pontificiæ 181
Antichristus. uide Papa, Pontifex, Roma. (199
Antichristus Biblia comburit
Antichristus compendium iniquitatis 195
Antichristus claudere librum cupit 128
Antichristus cupit Euangelium oppressum 199
Antichristus facile conuincitur à prædicatoribus ex Scripturis 141
Antichristus facit ignẽ de cœlo in terram descendere 178
Antichristus latinus erit 191
Antichristus nomen habet uicinum ponto 195
Antichristus non diu quietum regnum obtinuit 268
Antichristus oppugnatur in scripturis 128
Antichristus post mille annos fatales impudẽtissimè egit 267
Antichristus prædicatione Ioannis impugnatur 132
Antichristus prophetas monitores suos iugulabit 141
Antichristus quam diu regnaturus sit 138.140
Antichristus quibus artibus multos in suas partes pertrahat 179
Antichristus quomodo conficiendus & iugulandus 133.142
Antichristus quomodo coronã sibi pararit 127
Antichristus quomodo cũ cõcio-

moribus agat 145
Antichristus quomodo pro Euphrate conseruando se gerat 220
Antichristus summus pseudopropheta ibid.
Antichristi character 188
Antichristi doctrina quem effectum habeat 179
Antichristi familia 219
Antichristi immanitas 189
Antichristi lingua 191
Antichristi membra pœnas luĕt 262
Antichristi nomen 100
Antichristi origo 140
Antichristi origo ex Sibyllinis oraculis 194
Antichristi ortus 173
Antichristi pœnæ æternæ 250
Antichristi potentia 175
Antichristi regnum 177
Antichristi regnum amplum. 188
Antichristi regnum ruet 201
Antichristi sedes & palatium. 176
Antichristi sermo & doctrina. 174
Antichristi subditi 188
Antichristi tempore multi seruati 97
Antichristi typus Antiochus 173
Antichristi fœliciter regnante, tentantur fideles 115
Antichristo grassante non omnes perierunt 114
Antichristo oculi hominis attribuuntur 117
Antichristum concionatores fortiter aggredi debent 225
Antichristum diabolus inhabitat 118
Antichristum iubemur diligenter scrutari 190
Antichristum liberè & clarè adoriri in concionibus oportet 200.238
Antichristum oppugnantes prædicatores, quales esse oporteat 134
Antichristiana persequutio 229. 143
Antichristiana persequutio quãdiu duratura sit 262
Antichristiani regni duratio 99. 900
Antichristiani affluunt omnibus rebus 210
Antichristiani quidam non sunt, nec Christiani, quid illis eueniat 263.277.278
Antichristiani squammæ serpentis 160
Antichristiani sunt in templo 136
Antichristianis angeli plagas inferunt 211
Antichristianos pœna manet 207
Antichristianorum calamitates 149
Antichristianorum habitus. 141
Antichristianorum signorũ uis 179
Antichristianismus 172
Antichristianismus commendat se ornatu mundano 227
Antichristianismus peribit 225
Aperire pulsanti quid 61
Apocalypsis 1.6
Apocalyp. ad omnes pertinet 9
Apocalypsis cur reuelata 7
Apocalypsis est ultimus liber inter canonicos libros 301
Apocalypsis figuris plena 1
Apocalypsis frequentem Christi mentionem facit 5
Apocalypsis omnibus patere debet 304
Apocalypsis proponenda est ecclesijs 4
Apocalypsis quando scripta. 193
Apocalypsis quomodo reuelata Ioanni 302
Apocalypsis referta euangelicis consolationibus 196
Apocalypsis argumentum 5
de Apocalypsis authoritate dubitarunt recentiores 2
Apocalypsis corruptores quæ pœna maneat 311
Apocalypsis diuisio 5
Apocalypseos expositio unde petita 2
Apocalypsis sæpe de Christo cõcionatur 126
Apocalypsis scopus 104
Apocalypsis summa capita 302
Apocalypsis uerus author Christus 6.302.306
Apocalypsis utilitas 6.8.303
Apocalypsi multum tribuunt ueteres doctores 3
Apollyon 113
Apostoli ligant satanam 265
Apostoli non sunt fundamentũ ecclesiæ 292
Apostoli significantur per angelos 263
Apostoli testes dicuntur 256
Apostolorum electio 264
Apostolicus 173
Apostolicum se Papa dicit 228
Apostolica benedictio 313
Apostolica sedes 218
Apostolicæ sedi omnia regna subiecta 232
aqua doctrinam significat 216
aqua uitæ 285
aqua quid per metaphoram significet in Scripturis 142
aquæ populos sæpe significant 196.226
aquæ regna significant 233
aquæ signant afflictiones 163
aquarum miraculum 201
aquilæ alæ 163
Arbor uitæ 27
arbori assimilatur homo 279. 109
arca in templo 154
arcus 82
arrha 252
Arrius 109
Arriani 56
Asiæ urbes septem 22
Athaliæ interitus 42
Athei 223
atrium interius 136
ater color 84
Atthila Hunnus 235

Atthilam flectit Leo episcopus. 235
in Augustulo imperium desijt 192
aurum ignitum 58
aurum quid signet 228

B

Baalistæ 40
baalitica doctrina 35
Babylon fugienda 241
Babylon cur fugienda 242
Babylon Roma 201
Babylon uetus quomodo capta 219
Babylonis & Romæ collatio 201
Balaam qualis 35
Balaam augur 26
Balduinus 274
baltheus 16
baptismum secundarium appellant uota 189
Beatæ sedis descriptio 289
beatæ uitæ certitudo 284
beati mortui qui in Domino moriuntur 205
beati quid in cœlis facturi 300
beati sunt uocati 253
beatitudo animorum 204.269
beatitudo æterna qualis futura sit 283
beatitudo quid & qualis 103. 205.254
beatitudo quies ab omnibus laboribus 206
beatitudinis contemptores 104
beatitudinis descriptio sub imagine præstantissimæ urbis. à folio 289 ad 301
beatitudinis ueræ summa 205
beatitudinẽ promisit Deus 285
Belchiarok 274
benedictio Apostolica 313
bellum sacrum 83. 175. 267
bellum sacrum excitatum ab Vrbano 216
bello sacro Ecclesia affligitur 273
bella 216
bella excitata à pontificibus 216
bellis attritus orbis 83
bellorum authores clerici 116
bellorum calamitas 82
Belisarius 236
Benedictus nonus Papa magus 265
benedictio apostolica 8
benedictio debita Deo 68
Beno Cardinalis 184
bestia Papatus 73
bestia Romanũ imperium. 164.
bestia secunda primæ potestatẽ exercet 175
bestiæ duo cornua 173
bestiæ imago quid 180
bestiæ nominis numerus 190
bestia bestiæ imaginem excitat. 179
Biblia exuruntur 96
Biblia parua respectu aliorum librorum 134
Bibliorum uersiones quales esse debeant 238
Bibliander 311
Blasphemia contra fideles 29
blasphemiæ 168
blasphemant impij Deum in tormentis 224
blasphemant Deum Romani 169
Boanerges 128
boni pauci 48
Bonifacius primas dici uoluit. 173
Bonifacius tertius impetrauit titulũ Oecumenici episcopi. 112
Bonifacius octauus 83
Bonifacius 8. instituit iubilæum 173
Bullæ Papales 204

C

Cædes 125
cælibatus Papisticus 197
calamitatum origo ex defectione 121
calidus 56
calcare quid 138
candelabrum 21
candelabrum aureum quid significarit 194
candelabrum moueri quid 23
canes in Scriptura quid 307
Canonistæ 220
Canticum Mosis & agni 212
Canticum nouum 77
caput Christi & capilli 16
caput Ecclesiæ 266.267
caput Ecclesiæ Christus 16
capita septem bestiæ 230
Cardinales fiunt Papæ 194
Cardinales capitanei 116
Cardinalium senatus 219
caritas 85
carnes deuorare 234
Carolus confirmat omnia 194
Carolus magnus nouus imperator 179
Carolina gubernatio 183
Carpocratitæ 26
castris assimilatur mundus 108
Cataphryges 41.43
catena 264
cathedra 218
cauda est pseudopropheta. 157
character Antichristi in dextra aut frontibus 188
characterem bestiæ quis dicatur habere 189
characterem bestiæ accipere quid sit 203
charitas 39
charitatis opera ibid.
Cherubin 66
Chiliastæ 3.78.99. 265. 268
χλωρὸς color 85
chœnix 94
Chrisma 189
Christus 10
Christus abluit per sanguinem omnia peccata 11
Christus adorandus 75
Christus agnus 73.232
Christus altare aureum 105. 119
Christus amen 56
Christus angelus fortis 126

Christus angelis maior 79
Christus arbor uitæ 27
Christus certò ueniet in iudiciũ 313
Christus appellatur Dauid 159
Christus Dei filius & hominis 38
Christus est stella splendida & matutina 309
Christus fidelis & uerax 258
Christus gubernat omnia 72
Christus habet claues mortis & inferni 19
Christus habet & mittit spiritũ 46
Christus in iudicio accipit potentiam & regnum 152
Christus inuictus 73
Christus iudex describitur 208
Christus iurat 128
Christus leo ex tribu iuda 72
Christus ligauit sathanam. 265
Christus Michael dicitur 159
Christus nõ corporaliter de cœlo descendit 127
Christus non est author corruptæ doctrinæ 92
Christus nouit opera suorũ bona & mala 28
Christus offert preces nostras 105
Christus omnia nouit & uidet 42.46.258
Christus omnia gubernat 72
Christus pascit & uiuificat 103
Christus passus sub Rom. imperio 146
Christus patri æqualis 19
Christus pontifex ecclesiæ 21
Christus primogenitus ex mortuis 58
Christus primus & nouissimus 19.28
Christus principiũ creaturæ Dei 56
Christus qui fuerat mortuus uiuit 19
Christus quid faciat ad dextrã patris 105
Christus quis & quantus 19
Christi quomodo gladio oris pugnet 37
Christus radix & genus Dauidis 73.309
Christus reuixit 28
Christus rugit ut leo 128
Christus sanctus 50
Christus sanctus sanctorũ. ibid.
Christus sermo Dei dicitur 13
Christus solus dignus qui aperiat librum 77
Christus ubi sit 15
Christus ueniet in iudicium 11
Christus ueniet citò 306
Christus est uerax 50
Christus uerè passus 119
Christus uerus monarcha 75.258
Christus uerus Deus 73.79. 302.309
Christus uerus homo 19.309
Christus uestis est 59
Christus uindex ecclesiæ 42
Christus uincit 233
Christus est uita 19
Christi abnegatio 34
Christi caput & capilli 16
Christi cognitio omnia gubernãtis quietẽ nobis præstat 72
Christi descriptio testis fidelis, primitiæ resurgentium, princeps regũ terræ, dilexit nos, abluit 10.72
Christi descriptio 56.126.257 258.259
Christi dextera 17
in Christi dextera stellæ 21.22
Christi diuinitas 61.75.28
Christi facies lucida 117
Christi imago 15
Christi mortis fructus 77
Christi nomen incognitum 258
Christi oculi 16
Christi oculi flamma ignis 39
ex Christi ore gladius anceps 32
Christi pedes 17
Christus præsens suis adest 127
Christi uestis regalis & sacerdotalis 16
Christi uictoria 46.264
Christi uox 17
Christi uultus ibid.
Christo datum est regnum & potestas 72
Christum induere 59
Christum laudant angeli 79
Christum negare 34
Christo soli uendicatur regnum & ministrandi potestas, additur alijs omnibus 72
Christiani sunt primitiæ Deo 198
Christiani quid in diuersis dogmatibus facere debeant 44
Christianorum malitia & uictoria 53
Christianorum notæ 196
Christianorum uictoria 160
Cithara 76
citharæ Dei 212
ciuitas 282
ciuitas Dei ciuitas magna 290
ciuitatis Dei magnitudo, lux, muri, portæ, fundamenta, situs, longitudo, latitudo, altitudo, materia, ædes, plateæ, templum, ciues, mundicies, amœnitas, uictus, potus, à usq; ad 299
ciuitates quæ comẽdent 290
clamantia peccata 89
clarificatio 55
Claromontanũ concilium 274
clauis 264
clauis datur angelo 112
clauis Dauid 50
claues 19
claues adulterinæ pontificis Ro. 20
claues papæ 173
claues regni cœlorum datæ apostolis 20.50
clerus ambitiosus, superbus, audax, crudelis 116
cleri luxuria 240
clerus mollis 17
clerus profundit opes 117
Cocceus Nerua 231
cœlum aperit Deus suis 154
cœlum receßit 93
cœli apertio 257
cœli ianitores 291
cœli porta 291
cœna significat æternum gaudiũ 61
collyriũ quid 59

columna in Scripturis quid 54
columna ponitur in templo ib.
columnæ inscriptio ibid.
columnarum erigendarum mos. ibid.
columnis ueritas Dei adumbratur 127
comitijs præest Papa 181
compositio ex corrupto & integro 56
communicatio cum Babylone. 242
concordia fidei non expectanda 200
concilium Claromontanũ. 274
concilium Moguntinum damnat Gregorium 7. Papam 185
concilij Constantiensis diploma de hæreticis inquirendis. 189
concilia quatuor 119
conciliorum Papisticorum finis. 261
concilijs superior Papa 181
concionatores angeli dicuntur. 199
concionatores contra Antichristum fortiter clamare debẽt. 225
condemnationis æternæ causa. 261
condemnationis æternæ descriptio. uide Damnatio 203
confessio auricularis 178
confessio de Christo 232
confessio fidei 99
confessio in persequtione necessaria 34
confessio qualis à Papa exigatur ab hominibus 188
confiteri religionem oportet. 34
coniugium 251
coniugij usus adẽptus ministris Ecclesiæ 288
Conradinus Sueuiæ dux securi percussus instigante Papa. 186
Conradus imp. 183
conscientiæ desperatæ effectus. 278
consilium quomodo pij se in periculis gerant 172. 241
consilium pro pijs sub Antichristo 204
consilium pro seductis 189
consolatio 196
consolatio adflictorum 28. 91
consortium cum impijs 242
constantia 24
constantiæ præmia 37. 61
Constantini donatio 183. 227
Constantinopolitana synodus de spiritu sancto 65
contestari quid 312
conuicia contra Christianos. 29
cor dare 237
cordigeri 114
cornu quid in Scripturis 73
cornua decem 234
cornua duo bestiæ 173
cornua regna significant 166
corona 53. 82
corona aurea 208
corona duodecim stellarum. 156
corona uitæ 31
coronæ 116
πρεσβυτερ quid 33
creaturæ omnes Deo seruiunt. 213
creaturæ omnes laudant Deum. 80
crudelitas pontificiorum. 145. 146
cultus creaturarum 364
cultu duliæ neq; angeli neq; diui adorandi 255
cultus idolorum 288
cultus imaginum 124
curiæ Romanæ descriptio 239. 240
cursus uerbi Dei 82
custodire sermonem Christi 51
Cypr. de Apocalypsi 3

D

Δαίμων 221
dæmonem adorare 124
dæmoniorum spiritus 221
damnationis causa 261
qui Damnantur, damnãtur iustè 263
damnatio æterna 211. 280
damnatio æterna Antichristi 250
damnationem æternam adumbrat allegoria 209
damnatos si uideamus nostros, an lætari possimus 248
Danielis liber 278
Dauid Christus appellatur. 159
Dauid clauis 50
decretales 180
defectionis crimen quomodo purgandum 242
delicta 241
denarius numerus 30
desperationis causæ 95
desperationem gignit Papistica doctrina 115
desperatæ conscientiæ effectus 278
Deus ab animalibus uehitur 66
Deus auro coli non uult 227
Deus bonorum author 83
Deus cunctorum creator & seruator 69
Deus differt uenire 149
Deus fons uiuus 112
Deus initium & finis 285
Deus maturè succurrit 53
Deus misericordiæ non obliuiscetur in pœnis infligendis 85
Deus non author peccati 237
Deus nouit omnia 32
Deus nulla figura humana representatur 63
Deus omnia gubernat 66
Deus omnia iustè operatur 63
Deus paratus nos recipere 26
Deus pulsat ostium 60
Deus recordatur scelerum 242
Deus sedet in throno 70
Deus trinus & unus 9
Dei beneuolentia erga peccatores 60
Dei ciuitas 290
Dei est gloria & regnum 11
Dei gloria 290
Dei laudes 250. 251
Dei misericordia 43. 55
Dei misericordia non abutendũ 100
Dei obliuio & recordatio 279
Dei potentia 79
Dei proprietates 168
Dei templum in cœlo apertum. 154

Dei ueritas 285
Dei uiſio 300
Deum timere, honorare, adorare 201
Deorum pluralitas 176
Diabolus affligit pios 30
diabolus agmen malorum effundit in Eccleſiam 163
diabolus draco uocatur, uectis, ſerpens 157
diabolus egreditur ex carcere. 272
diabolus mali author 83
diabolus pugnat contra Eccleſiã 159
diabolus quomodo loquatur. 174
diabolus quomodo mille annis ligatus fuerit 266
diabolus quomodo regnet 267
diabolus ſpiritus immundus dicitur 220
diaboli conatus contra Eccleſiã 157
diaboli deſcriptio 156
diaboli ingenium uocibus aliquot adumbratur 160
diaboli potentia ibid.
diaboli poteſtas fracta à Chriſto 267
diaboli ſedes ubi 33
diabolum colere & adorare 124
dies Dominica obſeruanda 13
dies extremus nemini cognitus. 257
dies ſolis 13
digni gloria ſunt ſancti 48
dij gentilium 176
Diœceſes 180
diſſidia hominum improbantur. 80
diui non adorandi cultu duliæ. 255
diui non præſident rebus 217
diui non puniunt impios 248
diuorum hymnus in cœlis 77
diuorum interceſſio 266.267
diuos colere 304
diuos adorant Papiſtæ 255
diuinitas Chriſti 28.61
diuitiæ ſpirituales 29
Docti papatum oderunt 237
doctrina adulterata mox à tempore Apoſtolorum 266
doctrina Domini perpetua. 44
doctrina falſa concitat ſeditiones 92
doctrina per aquam adumbratur 216
doctrina peruerſa immundicia ſcortationis appellatur 228
doctrina per uentum adumbratur 96
doctrina per potum adumbratur 228
doctrina per fluuios & fontes adumbratur 109
doctrina perpetua quæ 25
doctrina Romanæ Eccleſiæ. 202
doctrina uino comparatur. ib.
doctrinæ corruptio in Eccleſia. 91.105
doctrinæ corruptæ author non eſt Chriſtus 92
doctrinæ corruptæ effectus. ib.
doctrinæ falſæ fructus 95
doctrinæ nihil addendum 44
doctrinæ ueræ compendiũ 1
dolo uacui Chriſtiani 198
dominus citò uenit nobis 26
dominica dies 13
Domitianus 230
Donatio Conſtantini 227
donec 270
δωρεάν 285.286
Draco magnus 156.157
Duces Italiæ 192
duliæ cultu neq; angeli neq; diui adorandi 255
Dynaſtiæ in Italia inſtitutæ. 192

E

Eccleſia chara Chriſto 52
Eccleſia figuratur per candelabrum 25
Eccleſia fugit in deſertum 158
Eccleſia generat 163
Eccleſia grauiſſimè afflicta ſacro bello 273
Eccleſia habitat ubi eſt ſedes ſatanæ 33
Eccleſia impetitur à diabolo.
Eccleſia mulier 156 (159
Eccleſia premenda bellis Gogicis 173
Eccleſia qualis, cum à beſtia affligitur 197
Eccleſia qualis, ſit deſcribitur. 54
Eccleſia Romana æternùm peribit 224
Eccleſia regnum Chriſti 198
Eccleſia rubra 219
Eccleſia ſemper durabit 272. 196
Eccleſia ſemper habet quod reprehenſionem mereatur. 35
Eccleſiæ confuſio à Papa 228
Eccleſiæ deſcriptio 156
Eccleſiæ deſiderium erga aduentum Chriſti 309
Eccleſiæ fundamentum 291
Eccleſiæ locus in deſerto 163
Eccleſiæ mali permixti 35
Eccleſiæ miniſtrorũ certus olim numerus 114.
Eccleſiæ morbi quomodo curandi 46
Eccleſiæ nomina 273
Eccleſiæ notæ 196
Eccleſiæ quando à Chriſto deſerantur 26
Eccleſiam habet Chriſtus in medijs tenebris Antichriſti 196
Eccleſiam ſemper fore, & prædicationem 82
Eccleſiarum conditiones 21
Eccleſiarum conturbatio 23
Eccleſiarum miniſtri angeli appellantur 263
Electi 233
electi tantum ſaluantur 60
Electos ſuos Deus ubiq; habet. 127
Electores ſeptem 179 183
ἐλέγχαν 59
Emendi uocabulum 58
Enoch contra Antichriſtum redibit 133
Epheſus 22
Epheſinum templum 22
Epicureiſmus 137
Epicurei 133.223.224
epinicium piorum 211.151
Epiphanius de Apocalypſi 4
ἐπταλόφος Roma dicitur 165

episcopi principes cingunt 181
episcopi successerunt in locum prætorum Romanorum. 180
episcopi infulas bicornes habent 173.195
episcoporum tituli 180
epistolæ catholicæ 21
equi 82
equus niger 84
equus pallidus 85
Erasmus Rot. 148
Erasmi Roterodami iudiciũ de Apocalypsi 2
errores in Ecclesia mox exorti. 266 (48
errores non defendit multitudo
Euangelium æternum 199
Euangeliũ per mille annos prædicatum 263
Euangelij prædicationem metuunt multi 128
Euangelium prædicabitur per totum mundum ante iudiciũ. 199
Euangelium quibus prædicandum 199
Euangelium testimonium Christi dicitur 13
Euangelij fœlix cursus 199
Euangelij oppugnatur causa dã nationis 261
Euangelij summa 199.200
Euangelici locum non habent. 189
Euangelica doctrina non causa bellorum 121
Eucharistia sacrificium ab Irenæo dicitur 106
Eucharistica oratio 152
Euomit tepidos Dominus 57
Euphrates 120
Euphratis exiccatio 219
exarchatus Rauennæ quando institutus, qualis fuerit 192
Exarchatus Rauẽnæ à Lõgobardis occupatus 192. recuperatus à Pipino 193
exarchatus distributio 193
excidunt sancti 25 (189
excommunicatio Papistica 137.
excõmunicatio principibus formidabilis 178
expeditiones multæ pro sepulchro Dominico recuperando 274

F

Fælicitas animarum 204
fælicitas impiorum 125
fælicitas multos in errore retinet 122
fælicitate uera qui excludantur. 286
falsa doctrina uarijs nominibus appellatur 108
falx acuta 208
fames 85
famem Deus immittit 85
fatalis necessitas 42
Ferdinandi contentio cum Vayuoda 123
festum tubarum 108
Fides nota piorum 196
fides 39
fidei concordia & unitas non sperandain hoc mundo 270
fidei origo 39
fidei obiectum 58
fideles diuites sunt 29
fideles in cœlo gaudent 101
fideles sacerdotes 271
fideles uirgines sunt empti de terra: sequuntur agnum quocunq; ierit 197.198
fideles uictores per Christum. 161
fidelium salus certa 204
fidelium notæ 197.198
fidelium sors 269.270
fidelitas 39
filius hominis 15
finis bonorum & malorum 224
flagella Dei quatuor contra incurabiles 86
fœdus Dei cum hominibus 252
Folkmarus 274
fons uiuus Deus 112
foras eijcere quid 137
fornicatio 27.46.125
fornicatio significat sæpe defectionem à Deo 226
fornicationis præmium 215
fornices 46
Franci per Papam euocantur in Italiam 193
Franciscus Dandulus canis dictus 178
Franciscus Lamberti 198
Franciscus Petrarcha 239
Francisci familia 114
fratres sumus Apostolorum 13
fraternitas Christiana 256
fratres Ioannis & Christi 255
fraternitates Papisticæ 13
Friderychus Barbarossa ealeatur à pontifice 178
Friderychi imperatoris interitus 274
Friderychus secundus à multis Papis excommunicatus. 186
frigidus 56
frontes signantur 99
Fuga ex Babylone 241 (115
fumus quid significet in script. fumus signum præsentiæ 214
Funccius 270
furta 129

G

Gallicus morbus 219
gaudia piorum 211
gaudia impiorum non fore diuturna 146.147
Genserich Vandalus 235
gentiles quales 137
gentes quales antequam recepcrunt Euangelium 264
gladius quid signet 32
gladius duplex Papæ 180
Gloria Deo debita 68
gloriam accipere 69
Gnostici 26.27.109
Godfridus 274
Gog 272.273
Gogicum bellum nec hodie sopitum 276
Gothorum nomen fatale 235
Gottschalcus 274
grando corrupta doctrina 108
grando talentaris 224
gratis saluamur 286
Gregorij iudicium de primatu episcoporum 112
Gregorius septimus 266
Gregorius 7. pontifex multos pontifices rexit 184.185
Gregorij 7. tempore mala inundarunt 274

Grego-

Gregorij ſeptimi ad Geuſam Hungariæ regem epiſtola 232
Gregorius Theologus de apocalypſi 3
Guardiani 114
gubernator omnium qualis ſit. 73

H

HAbitare inter prauos poſſumus 33
hæreſiarcharum pœnæ 42
hæreſes quomodo refellendæ. 36
hæreſum cauſa & origo 105.161
hæreſes uariæ 109
hæretici non fouendi 55
hæretici qui ſint Romanenſibus. 187,188.299
cum hæreticis quo pacto agendũ 24
hæreticorum libri 42
Haſmal 17
ad Hebræos epiſtola 4
Helias redibit in fine ſeculi 133
Helias & Enoch redibunt 139
Helias redijt 128
Henricus imperator excommunicatus 178
Henricus Niger imperator. 184
Henricus primus Auceps dictus. 183
Henricus quintus in patrem armatus à pontificibus 185
Hieruſalem noua 282
Hieruſalem olim ſancta ciuitas. 173
Homar 120
homicidæ 287
homicidium 125
homines per flores, gramina, arbores adumbrantur 109
honor Dei 200
honor Deo debitus 68
hora tentationis 52
hoſtes noſtri 53
humiliatis obuenit conſolatio. 18
Hungaricum regnũ occupatum à Turcis 123
Hyltebrãdus monachus & Papa 184
hymnus animalium 66
hymnus ſanctorum 250

I

IAcobus Syrus 119
Iacobitæ ibid.
Idola Chriſtianorum 125
idola coluntur à Papiſtis 288
idola gentilium 176
idololatræ 169.288
idololatria 27
idololatria Papam regem fecit. 192
idololatria reducta 176
Ieremiæ threni 243
Ieſus 10
Ignatius beſtijs obiectus 87
ignis pro cœleſti uindicta 276
ignis uis 127
ignem de cœlo deſcendere facit Antichriſtus 178
imago beſtiæ quid 180
imagines illatæ in templa 266. 268
imaginarium imperium 179
immundus ſpiritus 220
impatientia 39
imperatores plures pij 165.175. 234
imperatores quibus iniurijs à principibus affecti 186
imperatores ſtipati turma epiſcoporum 181
imperium adorare 168
imperium imaginarium 179
imperium imago beſtiæ dicitur. 187
imperium nouum à Papa regitur 181
imperium nouum conſtituit Papa 179.182
imperium nouum Papatus 172. 173.175
imperium ſacrum uocant 175
imperium translatum à Francis ad Theutonas 183
imperij imago 236
imperij noui potentia 175
imperij noui & ab Antichriſto excitati deſcriptio 180
imperij Romani anguſtia 180
imperij Ro. maieſtas, blaſphemiæ, peccata, interitus à 165. ad 171
imperij translati præludia. 194
imperij ueteris & Papatus collatio 180
imperia à Deo 165. 181
imperia quomodo ex Dracone. 165
imperiales urbes 180
impij Deum in tormentis blaſphemant 224
impij quomodo in afflictionibus ſe gerant 217.218
impij rident oracula Dei 238
impiorum æterna ſupplicia 256
impiorum exultatio 151
impiorũ fœlicitas & ſucceſſus. 125
impij in nouiſſimo iudicio perplexi erunt 278
Impij iudicantur, pij non item. 279
impiorum gaudia non diuturna fore 147
impiorum ſupplicia uaria 210
impœnitentes damnantur 124.
impœnitentium pœna 41
incenſum oratio dicitur 105
Inferi 209
inferorum deſcriptio 261
infernus dabit mortuos ſuos. 280
infulæ 195.173
increduli 287
increpationes Domini quem finem habeant 25
indulgentiarum nundinatio. 286
indulgentiæ non emuntur amplius 220
iniuſti 306
interceſsio diuorum 76.266. 267
inter regnum 186
inueſtitura principibus erepta. 185
Ioan. Euangeliſta theologus dictus 2
Ioannes eſt frater fidelium. 15
Ioannes & Iacobus filij tonitrui 197
Ioannes iterum prædicat 132
Ioannes libenter ſcripturæ uerbis in hoc libro utitur 259
Ioannes redibit contra Antichriſtum

ſtium quomodo? 133
Ioannes ſcriptor Apocalypſis. 303
Ioannis apoſtoli authoritas. 7.8.
Ioannis apoſtoli Euangelium. 5
Ioannis apoſtoli epiſtola ib.
Ioannis fletus 71
Ioannis apoſtoli humilitas 13
Ioannes octauus meretrix 226
Ioannis 22. error fœdus 270
Ioannes Friderichus Saxoniæ dux captus 216
Iob plenus hulceribus 215
Irenæus de Apocalypſi 3
Irenæus de nomine Antichriſti. 191
iris 217
iris ſmaragdina 63
Iſraelis reſtitutio 99
iubileus 108
Iudæi quid 29
Iudæi quales 51
Iudæorum multi ſeruantur 100
in Iudicium Chriſtus certò ueniet 11.313
iudicium Dei extremum per ſeptimum angelum adumbratum 222
iudicium extremum expectant ſancti magno deſiderio. 309
iudicium extremum 151.152
iudicium extremum expeditiſſimum 208
iudicium fiet ſecundum opera. 280
iudicium filij Dei 200
iudicium futurum 306
iudicium priuſquam fiat, prædicabitur euangelium 199
iudicium ultimum meſſi comparatur 207
iudicij adumbratio 223
iudicij & ſupplicij impiorum deſcriptio 260
iudicij extremi picturæ 261
iudicij extremi cognitio maximi momenti 257.263
iudicij extremi compendiaria deſcriptio 256.257.258. 259.277.278.279
iudicij extremi proceſſus 208
in Iudicio mercedem rependet Deus 153
iudicia Dei admiranda 211
iudicia Dei duplicia 281
in Iudicio quo pacto pij ſe gerãt 223
iudiciorum Dei fructus 212
iudiciorum Dei origo 213
iudiciorum Dei copioſa tractatio 210
iudicare ueniet Chriſtus, cum homines minimè expectabunt. 303
iudicandi uiui ac mortui 279
iudicis deſcriptio 208.257
Iulianus Cæſarinus Cardinalis. 216.220
iuramentum eſt confeßio 131
iuramentum per ſanctos an præſtandum ſit 131
iuramenti finis 129
iuramenta temeraria ſoluenda. 190
iurandum per Dei nomen 130
iurandum quomodo 130
iurat Chriſtus 128
iurantis ritus & uerba 130
iurati Papæ 189
iuſti 306
iuſtificationem ſequitur iuſticia 78
iuſtificationes 258
iuſtificamur gratis 286
iuſtificati gratis quid facere debeant 286

L

Lætari ſanctos de interitu impiorum 247
Landgrauius Haſſiæ captus. 216
Laodicea 55
Laodicenſium pec catum ibid.
Lateranum concilium 194
latinus erit Antichriſtus 191
latina lingua, lingua Antichriſti 191
lectus pro morbo 42
Legati pontificij 117
Legati à latere 220
Legati Papæ quales 220.221
Legati pontificij in omnium regum aulis 221
Legati Romanæ ſedis quid idem tidem clament 221
Legatorum Papæ origo 220
Legationis põtificæ negocia. ib.
legis duæ tabulæ 124.
Leo epiſcopus Atthilam mitigat 235
Leo Chriſti imago 128
leones tyrannos ſignificant 73
Leuiticum ſacerdotium abrogatum 227
liber Dei 70
liber ex utraque parte ſcriptus. 70
liber in dextra ſedentis 70
liber obſignatus ſeptem ſigillis. ibid.
liber uitæ 49.279.280
liberum arbitrium aſſerunt Pelagiani 110.111
lignum uitæ 299
linguam mordere 219
linguæ ſacræ maieſtas 238
locuſtæ 113
longaminitatis Dei contemptus 41
longobardi exarchatum occupant 192
Longobardi quartã dynaſtiam in Italia conſtituerunt 192
longobardis ereptus exarchatus 193
Lucianici 223
luna 156
luna ſicut ſanguis 93
lupanaria 27
Lutherus 148
Lutheri iudicium de Apocalypſi 2
luxuria cleri 240
luxus Romanorum 246.240
luxus monachorum 17

M

Magia 249
Magog 272.273
Mahumedis & Mahumedicæ religionis origo 120
Mahumedicorum doctrina. 122
Mahumedicorum multitudo & potentia 121
Mahumetiſmus 272
maledictio 300

Malorum causa 215
mandata Dei 307
Manichæi 109
manna 37
manus impositio 18
manus leuare 130
mare mundum adumbrat 109. 211.215.282
mare uitreum 66
Maria uirgo 73.157
Mariæ pallium 59.88
Mariæ uirgini se præferunt clerici 117
martyres causa magis facit, quàm supplicium 88
martyres multos fecit Papa. 229
martyres saluantur 88
martyrum animæ 269
martyrum laus 34
martyrum præmia 102
martyrum sanguis 249
Maximilla 41
mauzim Deus 201.272
Melanchthon 148
mendaces 288
mens subleuanda 62
mensa amicitiæ symbolum 61
mercatores deflent Romam. 240
mercatores Romani 245
mercedem rependet Deus in iudicio 153.163
meretrix Babylonica 225
meretricis magnæ descriptio. 227
meretrix Roma 225.226
merita 266.267
messis 208
metropolitani 173
Michael dux belli contra draconem 159
militia Christianorum 53
mille anni fatales 184.265
mille anni quales 269
mille annorum initium supputationis 265
millenarij 3.265
minis perpellit nos Deus 25
ministri ecclesiarum angeli dicuntur 263
ministri diligentes esse debent, 134
ministri ligant satanam 265
ministri quomodo appellentur à pontificijs 146
ministrorum uocatio 134
ministris uerbi præmia parata. 148
ministerium 39
minoritarum multitudo 114
miracula Antichristi 177
Mirandula 148
misericordia Dei 43
misericordia Dei non abutendũ 100
missa Papistica 233
missa obtrusa Germanis 194
missæ uenales 76
mixtura ex corrupto & integro 56
Moguntinum concilium 185
monachi 113.114.272
monachi antiqui 114
monachi dignitatem suam prædicant 117
monachi molles & semiuiri. 117
monachi nostro tempore 95
monachi obnoxij morbo Galli co 215
monachi per locustas adumbrati blandi sunt 117
monachi persequutores ecclesiæ 88.117
monachi pertinaces ibid.
monachi Prædicatores Bernæ exusti 177
monachi prodigales & auari. 117
monachi reges 116
monachi satisfactionis doctrinam inuexerunt 267
monachi suos habent defensores 117
monachorum corda obstinata. ibid.
monachorum fœlicitas ibid.
monachorum ordines uarij. 272
monachorum turba maxima. 114
monasticam uitam principes amplexi 94
Montanistæ 40.41.109.143
montes adumbrant regna 109
morbus Gallicus 215
morbi 85
morbi immittuntur & tolluntur à Deo 248
morbis boni & mali sunt obnoxij 86
mors pallida 85
mors duplex 270.271
mors prima 31
mors secunda ibid.
mori in Domino quid 205
mors secunda 281
mortuorum resurrectio 280
mulieris ornatus 227
mulieres silere debent in ecclesia 41
multitudo erroribus non patrocinatur 48
mundus non æternus 223
mundus per mare significatur. 215
mundi impatiẽtia cõtra ueritatẽ 164
mundi innouatio 282
mundi stultitia 167
mundum relinquere 198.241
Musculus 215
μονάζοντες 128
myrias 121
mysterium Dei 131

N

Naturæ in Christo 38
nauicula Petri 176.244.
Nazaræi 23
necessariò res quomodo fiant. 7
necessitas fatalis 42
nectar 299
negetur Christus quomodo 34.
Neapolitanum regnum occupat Papa 186
Nero impietatis pœnas dedit. 167
neutrales homines 223
Nicolaismus qualis fuerit 35
Nicolaitæ 26
Nicolaitæ nostri seculi 36
Nomen Antichristi 190
nomen quid 190
nomen nouum 37
nomina 47

notæ Ecclesiæ 188
Nubes præsentiæ Dei symbolũ. 127
numerus nominis bestiæ 190
nuptiæ 251.252

O

Obiurgationes concionatorũ. 60
obiurgationum Domini, finis. 25
Oculi Christi 16
oculi hominis tribuuntur Antichristo 117
Odacer Germanus 235
odium piorum erga impios. 24
odium sanctum 26
odit Deus impuritatem 36
Oecolampadius 148
Oecolampadij iudicium de Apocalypsi 3
Oleum 141
Onus quid 44
Opes ueræ fidelium 59
opera bona 206
opera consequuntur sanctos. 206
opera manuum hominum 124
opera sanctorum imperfecta. 46
ex Operibus quisque iudicatur. 279
Oratio per musicã & incensum figuratur 76
orationis species ibid.
orationes dicuntur incensa. 105
Origenes de Apocalypsi 3
Os loquens grandia 168
ostium aperire 50
Otthomannus 83
Otthomanni 122
Ottho iuramento obstrictus. 183
Ottho 8. primus Theutonicorum à Papa consecratus. 183
Ouile unum, & pastor unus. 200

P

Παιδίαν 59
pallium diuæ Virginis 59.83
palma 101
Papa. uide Antichristus, Pontifex Rom.
Papæ ad arma conclamant. 273. 274.275
Papa ad se pertinere dicit, ut Imperatoris electionem confirmet 186
Papa apostolicum se nominat. 228
Papa baiulatur 246
Papa bicornis bestia & pseudopropheta 179
Papa carbunculum ex tiara amisit 228
Papa Christianissimos uocat, qui Euangelium persequuntur. 261
Papa claues non habet 50
Papa cum suis dominatur principibus 227
Papa dicit se Spiritum sanctum conferre, remissionem peccatorum 178
Papa duplici gladio armatus est 180
Papa electis regibus ipse fit rex 193
Papa emittit legatos qui principes contra euangelicos instigent 220
Papa exarchatum dono accepit à Pipino 193
Papa ex cardinalibus eligendus. 194
Papa excitat locustas 112
Papa excommunicationis fulmine ferit homines 178
Papa falsò se sanctissimum appellat 50
Papa famigeratissima illa meretrix 225
Papa Francos uocat in auxilium 193
Papa generis fœminini 226
Papa gentilismum reduxit. 175
Papa graphicè descriptus mundo exhibetur 227
Papa hominibus opes rapuit. 220
Papa inferos aperit 113
Papa imaginem refert ueterum imperatorum 180
Papa imaginem bestiæ mouet. 181
Papa imperatorem bella gerentem in oriente aggreditur in occidente 275
Papa imperatorem Fridericum pedibus calcat 178.186
Papa imperatores iuramento obstringit 183
Papa imperatorum electionem confirmat 181
Papa in comitijs concilijs ibid.
Papa non est caput Ecclesiæ. 16
Papa non est pater sanctus 118
Papa omnia occupauit 114
Papa paulatim creuit 182
Papa pedes fœtentes exhibet osculandos 174.195
Papa pijs sepulturam negat. 145
à Papa plurimi quotidie deficiunt 149
Papa potentissimus rex factus. 193
Papa prohibet ne quis possit emere aut uendere 189
Papa pugnat cum omnibus mandatis Dei 174
Papa quando & quomodo emerserit 192
Papa quid de pijs ministris sentiat 148
Papa rex clericorum 118
Papa Rom. Chananæus 58
de Papa sæpe dicendum & scribendum 190
Papa sanctitas salutatur 276
Papa sacerdotium & regnum Christi sibi sacrilegè usurpat 174
Papa suos coloribus distinguit. 188
Papa supra concilium 181
Papa tria cornua auulsit 192
Papa uocat se uicarium Christi. 190
Papæ bullæ 204
Papæ claues adulterinæ 112. 173

Papæ clauigeri 112
Papæ clerus 114
Papæ corona 228
Papæ immunitas 118
Papæ incrementum 231
Papæ leges ferunt 180
Papæ ministri quibus noceant. 114
Papæ multa donata 182
Papæ nihil conferunt amplius pij 219
Papæ nomen 190
Papæ nouum imperium constituerunt 179
Papæ non satis si quis Christum confiteatur &c. 188
Papæ omnibus seculis pij uiri contradixerunt 268
Papæ pedes pij non osculantur. 201
Papæ potestas 180.181
Papæ quid tribuant 113
Papæ semper multi se opposuerunt 82
Papæ senatus 180
Papæ simoniaci contractus 204
Papæ spiritualis exercitus 116
Papæ studia 195
Papæ testes qui 140
Papæ tres creati 176
Papam liberè & clarè reprehendere oportet 239
Paparum cultus 227
Paparum insolentia 272
Paparum insolentes uoces 151
Paparum studia 174
Paparum uestitus 246
Papalia studia 118
Papatus 172
Papatus bestia dicitur 173
Papatus & Romani imperij collatio 180
Papatus Ecclesiæ scandalo nocuit 248
Papatus ex terra ortus 172
Papatus fundamentum 174
Papatus hostes 236.237.268
Papatus meretrici similis 227
Papatus multos casus expertus. 176
papatus potentia 174.175
papatum promouerunt falsa signa 178
papatus tempore inuenti multi pij 99.100.101
sub Papatu multi saluati 97
papismus quibus armis inualuerit 272
papismi finis 223 (176
papismi fœlicitas & reparatio.
papismo ethnicismus superatur 273
in Papismum liberos protrudere 242
papistæ colunt idola 288
papistæ cur odio habeant euangelium 146
papistæ diuos adorant 255
papistæ gaudent de calamitate piorum 146
papistæ mercatores 189
papistæ metuunt prædicationẽ uerbi 128
papistæ multas traditiones reuelatas dicunt 43 (176
papistæ multos Deos cõstituunt
papistæ non seruantur in sua fide 101
papistæ Papæ ascribũt quæ Christo competunt 223
papistæ quomodo pios ministros uocent 146 (199
papistæ quos hæreticos uocent.
papistica doctrina multos despe rare coegit 115 (113
papistica dogmata multiplicia.
papistica Ecclesia qualis 242
papisticæ Ecclesiæ communio fugienda 202
papisticæ fraternitates 13
papistici sacrificuli quales 36
papisticis superstitionibus communicare 242
papisantium furor contra Euangelicos 219
Papias Chiliastarum hæreseos pater 265
paradisus 27.298.299
Pasquillus Romanus 243
pater qui est, qui erat 9
patrum & maiorum exemplum
patientia 24 (97
patientia necessaria 13.39
ad Patientiam adhortatio. 28
patientiæ præmia 15
patientiæ sermo 52
Patmos insula 13
patriarchales sedes 218.276
paucitas bonorum 48
Paulus gentium apostolus. 264. 265
Paulus quando uocatus ad apostolatum 265
paupertas fidelium 29
pax altissima non speranda in hoc mundo 270
peccati author non est Deus. 237
peccata clamantia 89
peccata sanctorum 255
peccatores sunt omnes homines 49
pedem ponere 127
Pelagianum dogma 110
perditionis filius 118
Pergamus sedes Satanæ 33
permissio 40
persequutio 162
persequutio Ecclesiæ 87
persequutio Antichristiana. 143 229
persequutio non argumentum falsæ fidei 87
persequutio ubi maxima exercẽda 145
persequutionis causa 87.88
persequutionis species 29
persequutionis tempus breue. 30.90
persequutionem qui sustineant. 232
persequutionem sustinent Papæ hostes 242
persequutiones concitat diabolus 30
persequutorum descriptio 29
persequutores Ecclesiæ truculentiss. monachi 117
persequutorum pœna 166
perseuerantia 52
perseuerantiæ in fide commendatio 51
perseuerantiæ præmia 37
pestis 85.215
petentibus nihil denegat Dominus 134

Petrus episcopus Antiochiæ Christum mortuum negat. 119
Petrus heremita 274
Petrus non fuit dominus apostolorum 172
Petri nauiculam non submergi. 176.244
Petri patrimonium 172
Phiala 76.215
Philadelphia 50
philosophia corrũpit theologiã. 108
Phocas imperator 173.231
pietatis summa 1
pij sunt filij Dei 54
Pipinus à Papa cuectus 192
Pipinus fit rex 194
Pipini donatio facta Papæ. 182. 183
plagarum causa uera 215
plagarum cura 215
planctus 245
Platina 184
pluuia quid in Scripturis 142
poculum bibere 203
poculum propinat meretrix. 228
poderis 16
pœnitentia quid 25
pœnitentia apostolica 47
pœnitentia carentes puniuntur. 123
pœnitentia in quibus consistat. 59
pœnitentiæ effectus 124
pœnitentiæ nullum non tempus idoneum 60
ad Pœnitentiam adhortatio. 25
pœnitentibus spes aperitur 42
πολιόπρεσβος 195
Polycarpus 28
polycarpi epistola 28
polycarpi interitus 87
pontifex cereos ardentes ciaculatur ex alto 179
pontifex confirmat falsa signa. 178
pontifex & pontificij gentiles sunt 137
pontifex madet sanguine martyrum 229
pontifex Rom. ex assertione idololatriæ rex factus 192
pontifex Rom. maximus homicida 287.288
pontifex Romanus quale caput Ecclesiæ 23
pontifex Romanus salutari uult caput 267
pontifex usurpat sibi regnum Christi 151
pontificis bella 175
pontificis est regnorum proprietas, sed usus regum & principum 187
pontificis exercitus & potentia 180
pontificis fœderati sunt reges. 232
pontificis ortus & progressus. 193
pontificis potestas in spiritualibus & secularibus aucta. ibid.
pontifices bella excitant 216
pontifices filium armãt in patrẽ 185
pontifices inter seipsos dissentiunt 268
pontifices omnia regna sua dicunt 175
pontifices potestatem Christi sibi sumunt 173
pontifices quæ tentarint contra imperatores pro stabilienda sua tyrannide 185
pontifices qui uulnera Papatus curarunt 176
pontifices sacrilega audacia imperium sibi rapuerunt 187
pontifices unà cum Roma olim principibus subiecti 182
pontificum altercationes 82
pontificum consilia contra euangelicos 261
pontificum imperatores uexantium improbitas 184
pontificum superbia erga Cæsares 186
pontificum tyrannis contra imperatores 185
pontificij legati 117.220
prædestinatio 49
prædicatores monachi Bernæ exusti 177
prædicatorũ dignitas & officiũ 199
prædictio futurorũ malorũ. 30
prælium in cœlo 158.159
præmia bonorum 306(148
præmia parata uerbi doctorib.
præmium uirtuti paratum. 206
presbyteri & episcopi ijdem fuerunt 173
Primasius de Apocalypsi 4
primatus prohibetur à Christo.
de Primatu contentio 173(172
primitiæ 198
principes boni sub imagine bestiæ 181.187
principes Papatũ exercuerunt. 176
principes pij 234
Priscilla 41
processio spiritus sancti 65
prodigia & portenta 194
prognosticon perpetuũ omniũ seculorũ à nato Christo 81
promissio uitæ 31
promissionũ Dei constantia. 130
prophetæ potestatẽ habent claudendi cœlum, conuertendi aquas in sanguinẽ, percutiendi terram plagis 142
prophetæ ueteres qui fuerint. 1
prophetæ sunt candelabra & oliuæ 141
prophetarum arma ibid.
prophetarũ doctrina in quibus potissimum consistat 1
prophetarum habitus 141
prophetarum ordo 225
ex Prophetarũ ore ignis egredi tur 141
prophetarum origo 140
prophetare, prophetia, prophetæ 135
prophetandi modi tres
prophetia quid 256
prophetia exponenda pro ratione circumstantiarum 182
prophetissæ fœminæ 40
prouidentia Dei nos solatur. 72
prouidentia Dei omnia regũtur 70

Prouidentia iusta Dei omnia gubernantur 64
Pseudoapostoli tempore Ioannis 23
pseudodoctores per locustas adumbrati 116
pseudopropheta maximus Antichristus 220
pseudoprophetæ 92
pseudoprophetæ caudæ appellantur 122.157
purgatorium 31.205.206
puteus abyssi 112

R

Ranæ 221
ranarum interitus 222
raptus Ioannis 226
rasura uerticis 116
redemptionis Christi effectus in fidelibus 11
redempti qui 77
redemptio 77
reformatio uera 25
reges regna sua Papæ subijciũt. 232
reges sunt in regia cœli 296
reges sumus 11
regnum Christi 196
regnum Christi firmum 127
regum gloria 297
regnum sanctorum super terrã. 78
regni desolatio 186
regna per montes adumbrantur 109
religio Christiana sola uincet. 223
religio quæuis non saluat 101
religio Rom. sedis 228
religionem firmiter tenere oportet 33
reliquiarum cultus 266.267
resipiscentia 26
ad Resipiscentiã adhortatio. 36
resurgentium primitiæ Christus. 10
resurrectio mortuorum. 153.180
resurrectio prima & secũda 271
resurrectiõis primæ effecta 271
Reuchlinus 148
rex sanctorum 212
Rodolphus Habspurgius creatus Imperator 187
Roma æterna 243
Roma Babylon 201.228
Roma capta 149.192.195
Roma caput est, si à capiendo dicatur 175
Roma confusionem in Ecclesias induxit 228
Roma cur diu uexata 234
Roma dãnatur iudicio Dei. 234
Roma deleta exultãt sancti. 247
Roma meretrix 225.226
Roma non caput Ecclesiarũ. ib.
Roma olim domina, præfectura facta est 192
Roma plena idolatria 226
Roma prorsus deiecta 192
Roma quomodo uastanda. 243
Roma sanguinolenta. 226.249
Roma sanguinem fundit Christianorum 149
Roma sedes satanæ 33
Roma septicollis 165.230
Roma ueneficia exercet 249
Roma urbs magna 237
Romæ gloriatio, superbia & securitas 243(241
Romæ hostes miserè affliguntur
Romæ luxus, uoluptas & deliciæ 246
Romæ nouæ cum suo imperio interitus 236
Romæ nouæ mercatores 245
Romæ uastatæ & exustæ historia plena 234(227
Romæ ueteris interitus 171.226.
Romæ ueteris & nouæ interitus 225.236.237.239
Romæ utriusq; peccata clamãt in cœlum 243
Romam deflent principes & mercatores 245
in Romam libera ora 225
Romanus ducatus qualis 192
Romanus episcopus quomodo emerserit 173
Romanus episcopus non primus fuit 172
Rom. pontifex œcumenicus episcopus 173
Rom. Imperij inopia 180
Rom. imperij incrementũ. 166
Romani pontificis sanctionibus quantum tribuendum dicant
Rom. imperij potentia. 170 (228
Rom. consules ultimi 192
Romani mercatores 242
Romani reges 230
Romani cur non coluerint Deũ Israelis 169
Romanorum auaritia 175
Romanorum ingenium 166
Romanorum luxuria 240
Romanorum mores 165
Romanorum nauigationes. 245
Romanorum nomen deletũ. 234
Romana bestia deuorauit multos sanctos 248
Romana Ecclesia 112
Romana Ecclesia assimilatur putido scorto 227(232
Rom. Ecclesia bestia posterior.
Romana Ecclesia cur cadat. 202
Romana Ecclesia qualis 145
Romana Ecclesia magna & potens 201
Romana Ecclesia ruet 201
Romana Ecclesia sempiternis supplicijs adficietur 224
Romana religio obtrusa. 194
Romana sedes extremè corrupta 184
Romana sedes sancta dicta 218
à Romana Ecclesia defectio 242
Romanæ Ecclesiæ consortium cauendum 202
Romanæ ecclesiæ distinctio 242
Romanæ Ecclesiæ doctrina. 202
Romanæ Ecclesiæ potentia diminuta 219
Romanæ sedis potestatem Steuchus omnipotentẽ uocat 232
Romanæ sedis religio qualis 228
Romanæ sedis tenebræ 218
Romanam sedem mox à Gregorio 5. Satan occupauit 184
Rom. imperium 229
Rom. imperium bestia 164
Rom. imperium blasphemum. 166.168
Romanum imperium deficit. 191
Romanum imperium in plurima regna dilapsum. 191. 232
Rom. imperium nouum & umbratile

bratile 179
Rom. imperium plagas multas accepit 176
Rom. imperium uetus & nouũ. 164.167.168
Rom. imperium uetus funditus interijt 171.179
Romano imperio uetere sublato succreuit nouum 229.231
Romanistarum securitas 244

S

SAccus cilicinus 93
saccus quid in scripturis 141
sacerdotes sumus 11 (271
sacerdotes sunt oẽs Christiani.
sacerdotes se efferunt 117
Sacramentum 20
Sacramenta rerum significatarum nomine appellãtur. 170
sacrarum literarum studium nobis commendatur 135
sacrificia 170
sacrificium Eucharistia appellatur ab Irenæo 106
sacrificium Christianorum 76
sacrificium Papisticum ibid
sacrum bellum 175
sacrum bellum excitatum à Turbano 216
sacro bello grauissimè afflicta Ecclesia 273
Sala 250
salus gratis nobis confertur. 286
salus non contingit cuiq; in sua religione 202
salus perfecta per Christum. 161
salus quando & quomodo obtingat 205
salus unde sit 103 (94
salus quibus in rebus quæratur.
salutis certissimæ tabulæ nobis exhibentur 204 (253
salutis fidelium certitudo. 204.
salutis fundamentum 294
salutatio Apostolica 8.9
sanctus est Christus 50
sancti 252.306
sancti cœlites potentiam dant Deo, non sibi sumunt 69
sancti conuicijs adobruti 169
sancti coronas proijciunt 69
sancti cui salutem suam ferant acceptam 101
sancti digni gloria 48
sancti excidunt 25
sancti exultant ob Romam excisam 247
sancti peccant 255
sancti regnant super terram. 78
sancti Spiritus symbola 65
sancti sunt glorificandi 282
sanctos liberabit Deus omni molestia 283
sanctorum intercessio 76.105
sanctorum operamanca 46
de Sanctis in cœlis quid iudicandum 91
sanctificemur quomodo 103
sanguis 215
sanguis quid 93.142
sanguis purificat 103
sanguinis effusio 89.249 (190
sapientia uera Papã cognoscere
Sardis 46
Sarraceni 110.121.236
satanas 161
satan ciectus est, & tamẽ uexat fideles 266 (272
satan ejcitur, & tamen regnat.
satanæ & omnium membrorũ eius æterna damnatio 277
satanæ regnum semper oppugnatum 268
satanæ sedes 33
sathanam ligare quid 265
satisfactio uera 25.266.267
Sauanorola 148
scandalum dedit Romauetus & noua 248
schaddai 79
scheol 85
scholæ Papisticæ 116
scorpiones 114
scortatio 288
scortantur principes cum scorto Babylonico 226
scriptura est authentica 22 (38
scriptura breuis & sibi similis.
scriptura explicata 20
scriptura nostra est 14
scriptura sacra unde incipiat, et ubi desinat 301
scriptura est uerbum Dei 254
scripturæ claritas 2
scripturæ sacræ authoritas. 14. 32.131.253
scripturæ ueritas 301
scripturæ difficultas unde 134
scripturæ quo pacto exponẽdæ 2
scripturæ sacræ librorum præstantia 104 (309
scripturæ sacræ sunt authenticæ
sectæ fuerunt etiam Apostolorũ tempore 41
contra Sectas remedium 105
seculi extremi nequitia, ex Lactantio 267.268
securitas impia 39
sedes 218
sedes apostolica Christi & Petri
sedes satanæ 33 (218
sedes patriarchales 218.276
sedens in throno 63
seditiones 216.234
seditionum authores 92 (272
seductus orbis quomodo 271.
Senacheribus seruus Dei 121
seniores corã Deo procidunt 68
seniores uigintiquatuor 64.
septenarius numerus 73
sepulturæ honore carent cadauera sanctorum, qui à Papa iugulantur 145
sermo crucis cur dicatur 52
sermo patientiæ 82
sermonem Christi custodire. 51
seruus Christi dicitur Ioannes. 7
serui Dei 7
serui Dei dicuntur tyranni. 121
Seruetus Arrij blasphemiam restauauit 65.73.75.110.309
Seruetani 19
sessio significat regnum 66
Seuerus patriarcha Cõstantinopol. 119 (195
Sibyllina oracula de Antichristo
siccitas 217
Sigebertus chronographus. 185
sigillum primum aperitur 81
sigilla septem 71
sigillorum apertio ibid.
sigillorum usus 70.97
signa accipiunt nomina rerũ. 20
signa falsa Papatum euexerunt. 178
signa filiorum Dei 188

ſigna præcedentia diem extremum 257
ſigna uera & falſa 177
ſignorũ Antichriſti effectus. 179
ſignati ueteres quomodo 98
ſimulachra habuerunt Nicolaitæ 27
ſimulachra Papiſtarum ab ethnicorum nihil differunt. 288
ſimulachra quam materiam & formam habeant 126
ſinus Abrahæ 88
Sixtus 4. armat Heluetios 216
Smyrnenſis Eccleſiæ præclara. 28
Sodoma ſpiritualis 145
Sol obſcuratus 92
Soldanorum potentia 276
Solymannus 274
ſophiſtæ dicunt hominem ſalutis incertum eſſe 253
ſordidi 306
ſpes fidelium non uana 126
ſpiritus Dei negatur datus quomodo 266
ſpiritus dæmoniorum 221
ſpiritus immundus 220
ſpiritus medius collocatur inter patrem & filium 9
ſpiritus quid ſignificet 256
ſpiritus ſanctus per ignem ſignificatus 127
ſpiritus ſanctus per uentũ adumbratur 96
ſpiritus ſancti effectus 66
ſpiritus uitæ 147
ſpiritus ſancti ſymbola 65
ſpiritus dona ſeptem 10
ſpiritum ſanctum Apoſtoli non dederunt 178
de Spiritu ſancto 65
ſponſalia 251
ſponſæ ueſtis 252
ſponſæ præparatio ad nuptias. 252
ſtadium 293
ſtare pro miniſtrare 107
ſtat Deus 60
ſtatera 84
ſtella matutina 45
ſtella ſplẽdida eſt Chriſtus 309
ſtella de cœlo cadens 109
ſtellæ de cœlo deciduæ 93
ſtellæ prædicatores 20.109. 112.157
ſterilitas terræ 217
Steuchus Italus ſcripſit contra Vallam 151.175.232
Sueuiæ duces Rom. lupo ſe oppoſuerunt 186
Sueuiæ ducum proſapia in Conradino defecit 186
ſupplicia impiorum 306
ſupplicium ſempiternum 203
Sylueſter ſecundus 184

T

Tabernaculum 169.213
tabernaculum quid ſignarit. 54
tabulæ ſalutis nobis exhibentur 204
tabulares leges 124
τ αλαίπωρος 57
Tamerlanes 121
tanari 120.121
tau 98
tempeſtates aeris 222
templum Dei 54
templum Dei ſunt fideles 136
templum fumo repletum 214
templum nullum in cœlo 295
templorum uſus 295
tempus non erit amplius 131
tempus prædicationis prophetarum 140
tentationis hora 52
tepidus 56
terræmotus 92
Tertull. de Apocalypſi 3
teſtes qui 140
teſtimonium Ieſu Chriſti 256
Theoderychus Oſtgothus 236
Theodorychus à Niem de imperio 180
theologia per philoſophiam uitiata 108
theologaſtri 220
θεὸς unde dictus 9
threnos cantare de euerſis gentibus uulgare 245
thronus 63.218
throni deſcriptio 66
thronus pro regno 10
in Throno ubi animalia fuerint 66
Thyatira urbs 38
thyinum lignum 246
tiaræ albæ 116
timere naturale eſt 30
timor Dei 95.200
timor excludit regno Dei 287
Titan quidam putarunt nomen Antichriſti 191
titulos quales ſibi arrogent maximi hoſtes Eccleſiæ 30
tolerantia 28
tonitrui filij 66.197
tophet 261
Totila Balduilla 236
tractus Dei 58.60
traditiones Montaniſtarum 43
traditiones hominũ reiectæ 44
traditiones Pontificiæ 174
Traianus 231
tranſubſtantiatio 272
tribulationis ſpecies 29.102
Trinitas 65
tuba ſeptima 151
tubarum uſus 107
Turcæ 120.121.256.274
turcarum auxilia & blanditiæ. 123
turcarum imaginatio de æterno gaudio 78.61
turcica crudelitas 122
turcica fœdera non carent periculo 122
turcici reges 121
turcicorum imperatorum potentia 276
typographia 128.199
Tyrannis pontificum contra Cæſares 185

V

Væ 111
Valentinianorum hæreſis 109
Valla 148
uaſtatores terræ 152
uaticinia Dei ridentur ab impijs 238
uenefici 125
uenefica 249
uentus quid in ſcripturis 96
uerax eſt Chriſtus 50
uerbum Dei per gladium adumbratur 17
uerbum Dei lux 58

uerbum Dei uerum & indubitatum 302
uerbi Dei cursus 82
uerbi Dei prædicatio prohibetur 96
uerbi diuini effectus dulcis & amarus 135
ueritas non uincitur 82
ueritatis contemptæ pœna 92
Vespasianus Romanas res restituit 167
Vespasiani triumphus de Iudæis 169
uestimenta custodire 222
uestis fidelium 59
uestitus finis 48
uestium allegoria frequens 48
Vicario Christus nõ indiget. 173
uictoriale carmen sanctorum in cœlo 161
uigilantia 222
uincula species persequutionis. 30
uindicta in impios 209
an Vindictam postulent sancti in cœlo 89
uinum fornicationis 226
uirginitas 197
uirtutis præmia 48
uirtutes ex dilectione Dei proueniunt 52
uisionis secundæ argumentum et finis 62
uisiones non obscurant, sed illustrant res 2
uita æterna 101.211
uita æterna qualis futura 283
uita æterna quando & quomodo obtingat 205
uita æterna qui priuentur. 286. 287
uita æterna quomodo nobis communicetur 285
in Vita æterna uidebimus omnes sanctos 291
in Vita æterna sancti se mutuũ noscent 301
uita duplex 270
uitæ æternæ ciues 296
uitæ æternæ conditio 105
uitæ æternæ descriptio 289
uitam beatã promisit Deus. 285
unctio Papalis 189
unus pro primus 81
uocati sunt beati 253
uocatio ministrorum 134.
uoluptas 246
uoluptatum exitus 246
uota 189
uota temeraria soluenda 190
Vrbanus secundus 274.
urbis cœlestis descriptio 289
Vualdenses 168

X

Xystus Betuleius 194

Z

Zelus 60
Zion mons 196
Zuinglij iudiciũ de Apocalypsi. 2
Zuinglius 148

FINIS.

73090-B

BASILEAE, EX OFFICINA IOAN=
NIS OPORINI, ANNO SALVTIS
humanæ M. D. L VII. mense
Augusto.

[illegible] ... non habes unde exeat. ... mollior dolor est ... ex quantitate doloris ... sola qualitas ... [illegible]

[illegible commentary]

lore pungentem et similibus

Nefresitica et que circa vesicam dolores laboriose sanantur in senibus.

Passionem in renibus et vesica sanari difficile est in senibus ... [illegible commentary] ... senes hanc passionem ...

Dolores et tumores circa ventrem existentes, superiores quidem leviores, non superiores vero fortiores non sanantur faciliter.

Superiores ... [illegible commentary] ... fortiores sunt et maiores.

Ydropicas que nascuntur in corpore vulnera non facile sanantur.

Lata pustule non valde pruriginose facilius sanantur.

Pustule ... duplices ... [illegible commentary] ... vel non acute sunt.

Caput dolenti et circa dolentia sanies aut aqua aut sanguis defluens per aures aut per nares aut per os solvit egritudines.

[illegible commentary] ... aut aliis aphorismis similes alibi ...

Melancolicas et nefreticas emoroides

Emoroides non solum per hanc ... [illegible commentary]

supervenire bonum est.

[illegible commentary]

Emoroidas sanati antiquas nisi non una relicta fuerit periculum est ydropisim fieri aut ptisim aut maniam.

Emoroides ... [illegible commentary] ...

1176.1177.1178